

Field Station Uniform
Sala A
Estación
Tabla
239

1
11-174

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Republic of the Philippines
Department of Education
Division Office - Marikina

SKID	A
EMUDA	03
TABLA	
NUMERO	2139

1
H-174

R.2434



R. P. FR. FRANCISCI HENNO,

THEOLOGIA

DOGMA MORAL. ET SCHOLAST. IN GRATIAM ET JUVAMEN
STUDIOSÆ JUVENTUTIS FRANCISCANÆ FF. MINOR.

COMPLECTENS TRACTATUS

de Restitutione, de Jure et Justitia, ac statu Religioso.



MATRITI ANNO MDCCCXXVII.

EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.

Superiorum facultate.

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum, quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS PRIMUS.

DE RESTITUTIONE.

DISPUTATIO I.

De natura & obligatione Restitutionis.

Quaest. I. <i>Quid Restitutio, an sit ad salutem necessaria, & unde oriatur illius obligatio?</i>	Pág.	I
II. <i>Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis?</i>		4
III. <i>An grave nocumentum proveniens ex injustitia tantum veniali sit ex integro resarciendum?</i>		6
IV. <i>Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi, ubi intervenit contractus?</i>		8
V. <i>Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis ratione officii?</i>		10
VI. <i>De Restitutione facienda á possessore bonae fidei.</i>		11
Art. 1. <i>Quid restituere debeat possessor bonae fidei?</i>		12
2. <i>An possessor bonae fidei teneatur ad restitutionem fructuum?</i>		13
3. <i>An rem furtivam bona fide emptam possit quis reddere furi, pretium recuperaturus, & an reddens domino possit aliquid ab eo exigere?</i>		15
Quaest. VII. <i>De Restitutione facienda á possessore dubiae fidei?</i>		17
Art. 1. <i>Quid faciendum dubitanti an res accepta sit sua, nec ne?</i>		ib.
2. <i>Quid restituere teneatur, qui dubitat an actione, aut omissione dederit causam damnificationi?</i>		19
Quaest. VIII. <i>De restitutione facienda á possessore malae fidei.</i>		20

Art. 1. *Quid & quantum restituere debeat possessor malae fidei?* 20

2. *An malae fidei possessor teneatur ad Restitutionem fructuum ex re furtiva perceptorum?* 22

3. *Ad quid teneatur possessor malae fidei ratione meliorationis rei detentae?* 23

4. *An etiam debeat compensare deteriorationem?* 25

5. *An possessor malae fidei possit deducere expensas pro re conservanda, melioranda, &c.* 26

6. *Ad quid teneatur possessor malae fidei, ubi res perit apud ipsum?* 28

DISPUTATIO II.

De modo quo facienda est Restitutio.

Quaest. I. *Quo ordine facienda sit Restitutio, ubi pro omnibus creditoribus non sufficiunt bona debitoris?* 30

II. *Quaenam sit praeferentia inter creditores ejusdem rationis?* 34

III. *Quo loco, & cujus expensis facienda sit Restitutio?* 36

IV. *Cujus periculo sit restituendum?* 38

V. *Quo tempore restituendum, quot peccata incurrant differentes, quid cum illis agendum?* 40

DISPUTATIO III.

De illis, quibus facienda est Restitutio.

Quaest. I. *An sit res restituenda domino, quando ab alio ablata est?* 42

II. *An res sit restituenda domino, cum ex ea ipsi, aut alteri imminet nocumentum?* 45

III. *An liceat & valeat Restitutio facta creditori creditoris?* 46

IV. *An bona, quorum dominus est ignotus, sint restituenda pauperibus, quo jure, & quae inquisitio antea facienda?* 47

V. *Cui sint restituenda bona incerti domini, & median- te quo?* 50

VI. *Quibus applicandae sint res inventae?* 52

DISPUTATIO IV.

De Restitutione facienda ab iis, qui damno cooperantur.

Quaest. I. *Quid dicendum de jubente?* 54

II. *Quid de consulente?* 56

III. *Quid de consentiente?* 58

IV. *Quid de adulante, receptante & participante?* 60

V. *Quid de mutuo, non obstante, non manifestante?* 62

VI. *Quo ordine restituere debeant illi, qui damno cooperati sunt?* 65

VII. *Quid dicendum de illo, cui damnificatus obligationem remittit?* 68

DISPUTATIO V.

De caussis à Restitutione excusantibus.

Quaest. I. *An à Restitutione excuset impotentia physica, aut moralis.* 69

II. *An sint restituenda bona fortunae cum detrimento boni superioris ordinis?* 71

III. *An à restitutione absolvat condonatio creditoris, qui compositio cum Summo Pontifice?* 72

IV. *An cessio bonorum extinguat onus restitutionis, quos effectus habeat, & qui possint cedere foro?* 74

V. *An debitis gravato sit licitus Religionis ingressus, & an post ingressum liberetur à Restitutione?* 75

VI. *An extingui possit Restitutionis obligatio per compensationem, judicis sententiam?* 78

DISPUTATIO VI.

De Restitutione in particulari.

Quaest. I. *An ponens impedimentum ad rem spiritualem sit obnoxius Restitutioni?* 79

Art. 1. *Ad quid teneatur, qui alium retrahit à bono, aut ad malum inducit?* 80

2. <i>Ad quid teneatur, qui Candidatum, Novitium, aut Professum avocavit à Religione?</i>	82
3. <i>An ex damnificatione in spiritualibus, sive naturalibus, sive supernaturalibus oriatur obligatio Restitutionis?</i>	84
Quaest. II. <i>An sit obnoxius Restitutioni, qui alterum impedit à consecutione boni?</i>	85
III. <i>An accepta propter actionem aliunde debitam sint restituenda?</i>	87
IV. <i>An pretium ob abstinentiam ab opere illicito receptum sit refundendum?</i>	89
V. <i>An accepta ob turpem causam sint restituenda?</i>	90
VI. <i>An liberaliter data ante vel post actionem turpem possint retineri?</i>	93
VII. <i>De Restitutione facienda ratione homicidii?</i>	95
Art. I. <i>Quid restituendum sit ratione homicidii?</i>	ib.
2. <i>Quibus sint restituenda damna realia ex homicidio sequentia?</i>	98
Quaest. VIII. <i>De obligatione Restitutionis ratione adulteri?</i>	101
Art. I. <i>Ad quid teneatur adulter?</i>	102
2. <i>Ad quid teneatur adultera?</i>	104
Quaest. IX. <i>Ad quid teneatur struprator Virginis?</i>	106
X. <i>De reparatione fama.</i>	108
Art. I. <i>Quinam sint obnoxii fama reparanda?</i>	ib.
2. <i>Cui & apud quos fama sit reparanda?</i>	110
3. <i>Quantum & quomodo sit restituendum ratione fama ablata?</i>	112
4. <i>An fama sit cum aequali damno restituenda, & an detur in hac materia compensationi locus?</i>	114
5. <i>Quae causa excuset à Restitutione fama?</i>	116
Quaest. ult. <i>An & qualiter honor ablati sit restituendus?</i>	117

TRACTATUS SECUNDUS.

DE JURE ET JUSTITIA.

DISPUTATIO I.

De Jure & Justitia in comuni.

Quaest. I. <i>Quid jus, & quotuplex?</i>	119
II. <i>An jus sit objectum & medium justitiae?</i>	121
III. <i>Quid sit jus altum & bassum?</i>	122
IV. <i>Quid & quotuplex justitia?</i>	124
V. <i>An possit esse justitia inter Deum & hominem, patrem & filium, dominum & servum, maritum & uxorem?</i>	126

DISPUTATIO II.

De Speciebus Juris.

Quaest. I. <i>Quid Dominium, & quotuplex?</i>	129
II. <i>Quid titulus, traditio, usus fructus & usus?</i>	131
III. <i>An usus facti distinguatur à Dominio in rebus unico usu consumptibilibus?</i>	133
IV. <i>Quid dicendum de Constitutionibus Joannis XXII. quoad praesentem materiam?</i>	137
V. <i>Quid possessio, quotuplex, quomodo acquiratur & deperdatur?</i>	139

DISPUTATIO III.

De subjecto & objecto Domini.

Quaest. I. <i>An inter creaturas sublunares solus & omnino sit Domini capax?</i>	142
II. <i>Quarum rerum Dominium habeant uxores & filii familias?</i>	143
III. <i>An Religiosis competat aliquod Dominium?</i>	145

VI.	Index Disputationum,	
IV.	An competat Clericis saecularibus Dominium proventuum Ecclesiasticorum?	147
V.	Qualiter sit respondendum variis circa hanc materiam difficultatibus.	151
VI.	Quodnam sit objectum Dominiū humani?	153

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi Dominium.

Quaest. I.	Quaenam animalia liceat aucupio, venatione, aut piscatione capere, quaenam non?	155
II.	An prohiberi possit capio animalium in locis publicis?	157
III.	Quid dicendum de Columbibus & Columbariis?	159
IV.	Quid resolvendum de pruperibus in sylvis lignantibus, & quid de sylvarum custodibus?	160
V.	Cujus fiat thesaurus inventus?	163
VI.	An & qualiter praescriptione adquiratur Dominium?	165
Art. 1.	Quid praescriptio, qui possit praescribere, & quae res non sint praescriptibiles?	166
2.	Quae conditiones necessariae sint ad praescriptionem?	167
3.	An ignorantia aut dubium superveniens bonae fidei officiant praescriptioni?	170
4.	An praescriptio locum habeat in foro conscientiae?	172
5.	Resolvuntur quaedam alia de praescriptione.	174

DISPUTATIO V.

De Contractibus in genere.

Quaest. I.	Quid & quotuplex Contractus?	176
II.	An omnis contractus pariat obligationem?	178
III.	Quinam possint contrahere?	179
IV.	An error irritet Contractum?	182
V.	An fraus seu dolus invalidet Contractum?	184
VI.	An valeat Contractus ex metu initus?	186
VII.	An etiam valeant ibi Contractus jure positivo, &	

Quaestionum & Articulorum.

VII

quid in illis debeat vexans, & quid possit vexatus?	188
VIII. Quid de Contractibus ex metu levi, aut reverentia, li factis?	191
IX. Quibus concedatur Restitutio in integrum, quando, à quibus?	192
X. Quid sit contractus conditionatus, & quando valeat?	194

DISPUTATIO VI.

De Contractibus gratuitis.

Quaest. I.	Quid sit promissio, & quas requirat condiciones?	197
II.	Quantum, ubi, & quando obliget Promissio?	199
III.	Ex qua virtute obliget Promissio?	200
IV.	Quandomā Promissio accepta desinat obligare?	203
V.	Quid donatio, quotuplex, & an sit revocabilis?	204
VI.	Qui, & quantum donare possint?	206
VII.	Quid dicendum de ultima Voluntate?	208
Art. 1.	Quid Testamentum, Codicillus, Legatum & Fideicommissum?	ib.
2.	Qui possint testari & qui heredes institui?	211
3.	Qui sint heredes ab intestato, quinam necessarii, & an Parentes possint quandoque filios exheredare?	214
4.	An valeat Testamentum sollemnitatibus destitutum?	216
5.	An Testamentum sit revocabile, aut mutabile?	219
6.	Qui possint esse Testamentorum executores & quod sit illorum munus?	220

DISPUTATIO VII.

De Contractibus onerosis.

Quaest. I.	Quid Permutatio, Emptio & Venditio, & quas condiciones requirant?	222
II.	Quid negotiatio, an sit licita, & quibus?	225
III.	Quid dicendum de Negotiatorum monopoliiis?	227
IV.	An liceat rem pluris vendere ob dilatam solutionem, aut minoris emere ob eandem anticipatam?	229

V. <i>An vendens aut emens nomine alterius possit aliquid sibi retinere?</i>	231
VI. <i>Quid dicendum de variis emptionem aut venditionem concernentibus?</i>	232
VII. <i>Cui res post venditionem pereat, deterioretur aut melioretur?</i>	235

DISPUTATIO VIII.

De mutuo & Usura.

Quaest. I. <i>Quid sit Mutuum, & an semper obliget ad restitutionem?</i>	237
II. <i>Quid sit Usura & quotuplex?</i>	239
III. <i>Quo jure prohibeatur usura?</i>	241
IV. <i>Ex quibus titulis possit exigi aliquid ultra sortem?</i>	244
Art. I. <i>Rejiciuntur sex primi tituli?</i>	ib.
2. <i>An propter periculum amittendae sortis possit aliquid exigi aut recipi?</i>	247
3. <i>An sit licitum aliquid ultra sortem accipere ratione lucri cessantis?</i>	249
4. <i>An damnum emergens sit titulus sufficiens ut actuarium exigatur?</i>	250
5. <i>An poena apposita mutuuario suo tempore non restituenti, licite possit exigi ultra sortem.</i>	252
Quaest. V. <i>Seu potius variae quaestiunculae materiam usura concernentes?</i>	253
VI. <i>An Montes Pietatis & Lombardi sint usurarii?</i>	256

DISPUTATIO IX.

De Cambio, Contractu Societatis & Censibus.

Quaest. I. <i>Quid Cambium, quotuplex, & an liceat ars Campsoria?</i>	257
II. <i>An in Cambio minuto, locali, & temporalii liceat aliquid lucrari?</i>	259
III. <i>Seu potius quaestiones variae ad materiam praesentem spectantes?</i>	262

IV. <i>Quid sit Contractus Societatis, quas condiciones requirat, & quomodo, finita Societate, facienda sit divisio?</i>	264
V. <i>An liceat Contractus triplex cum eadem persona.</i>	266
VI. <i>Quid Census, quotuplex, & quas condiciones requirat?</i>	270
VII. <i>An possit creari Census realis pecuniarius?</i>	272
VIII. <i>An sint liciti Census personalis & vitalitius?</i>	274
IX. <i>Quid dicendum de Censu redimibili & irredimibili?</i>	276
X. <i>Seu potius quaestiones variae ad materiam hujus Contractus spectantes?</i>	278

DISPUTATIO ULTIMA.

De Reliquis Contractibus.

Quaest. I. <i>Quid depositum, commodatum, & precarium?</i>	280
II. <i>Quid assecuratio, an liceat, & quas condiciones requirat?</i>	282
III. <i>Quid Fidejussio, quandonam expiret, & qui possint fidejubere?</i>	284
IV. <i>Quid dicendum de Locatione & conductione.</i>	286
Art. I. <i>Quid Locatio & Conductio, quae res sint locabiles & quibus?</i>	287
2. <i>Quae sint obligationes Locatoris & conductoris?</i>	289
3. <i>In quo resolvuntur reliqua ad hunc contractum spectantia?</i>	291
Quaest. V. <i>Quid Feudum, & Emphyteusis, & quas condiciones requirant?</i>	292
VI. <i>Quid Ludus, quotuplex, quis prohibitus, quis Restitutioni obnoxius?</i>	294
Ult. <i>Quid sit contractus sponsionis, & an sit licitus?</i>	298

APPENDIX

SEU DISPUTATIO ACCESSORIA.

De Iudice & Iudicio publico.

- Quaest. I. *Quid iudex, quid debeat, & quid possit?* 299
- II. *Quomodo debeat se gerere iudex circa torturam, sententiam ferendam, & munera oblata?* 303
- III. *Quid accusatio judicialis, quibus competat, an liceat, & an aliquando obliget?* 307
- IV. *Qui possint testificari, quando teneantur, quot ad sententiam requirantur testes, & an testimonium datum aut denegatum possit esse obnoxium Restitutioni?* 309
- V. *An reus teneatur fateri veritatem, an detegere occulta testium crimina & quomodo possit se contra sententiae executionem defendere?* 313
- VI. *Quae sint onera & peccata Advocatorum?* 316
- VII. *Quid dicendum de Scribis, Notariis, Procuratoribus?* 317

TRACTATUS TERTIUS

DE ESTATU RELIGIOSO.

DISPUTATIO UNICA.

De Variis Statum Religiosum concernentibus.

- Quaest. I. *Quid sit status Religiosus, quotuplex, & quisnam perfectior?* 319
- II. *Ad quid teneatur qui vovit Religionem?* 322
- III. *Quinam possint ad Religionem recipere, quid debeant observare, & an possint postulantem repellere?* 324
- IV. *Quinam sint ad-Religionem recipiendi, quinam dimittendi?* 326
- V. *Qualis debeat esse habitus, locus & annus Novitiatus?* 330
- VI. *Quid dicendum de elemosynis, expensis, & Testamentis Novitiorum?* 333

- VII. *Quos effectus habeat Probatio, & Professio Religiosa?* 336
- VIII. *Quomodo debeat testificari Professio nulla, & quando liceat contra illam reclamare?* 339
- IX. *Ad quid teneatur Religiosus ratione votorum sollemnium?* 342
- Art. I. *Quid obedientia Religiosa, quid & qualiter possit Superior praecipere, quibus & in quibus teneatur inferior obedire?* 343
2. *Quid Castitas Religiosa, quos effectus habeat, & in quo differat à voto Castitatis simplicis?* 347
3. *De paupertate Religiosa?* 349
- §. 1. *Quid Religiosa Paupertas, quos effectus habeat, & praesertim in Franciscanis?* 350
2. *Quaenam conditiones requirantur, ut quis possit uti rebus aliquibus intra terminos Religiosae Paupertatis?* . 353
3. *An usus Peculii liceat Religioso, & quae conditiones requirantur, ut sit licitus?* 357
4. *Quid sit peccatum proprietatis, qualis materia requiratur ad mortale, & quae poenae proprietariorum?* . . 360
5. *Quid ludo exponere possit Religiosus, quid expendere Praelatus, & quando insit illis obligatio restituendi?* . 363
- Quaest. X. *Quid dicendum de clausura Religiosorum & Monialium?* 366
- XI. *Qualis debeat esse electio Superioris?* 370
- XII. *Qualis debeat esse Praelatorum vita, quale regimen?* 372
- XIII. *Seu variae quaestiunculae magis obviae Superiorum electionem concernentes?* 374
- XIV. *Seu aliae quaestiunculae ad eandem materiam spectantes?* 376



TRACTATUS I.

DE RESTITUTIONE.

Negotium sane tum sui utilitate, tum materiarum amplitudine ita necessarium, ut non immerito tractatus integer & particularis pro ipsius expositione, ac elucidatione assignetur. Ut autem ordinem clarum & facilem stabiliamus, primo de restitutione in communi, idest, de ejus natura, proprietatibus & obligatione, ac etiam de ordine, loco, tempore, modo, quo facienda est, sicut & de personis, quibus fieri debet, tractabimus. Deinde de restitutione in particulari, seu de illa que fieri debet ob violatam in materiis Justitiam, puta in fama; in honore, in integritate corporali, in bonis fortunæ, &c. breviter disseremus.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura & obligatione Restitutionis.

Restitutio, si spectetur nominis etymologia, est alicujus in pristinum statum repositio: quo sensu, qui ab aliquo officio decidit, & ad idem reassumitur, dicitur in gradum priorem restitui, sive interim id sibi debeatur, sive non, sed hic strictius accipitur, nempe pro actu Justitiæ, quo res ablata, detenta, læsa, aut destructa indemnis in se, vel in æquivalenti domino redditur.

Q U Æ S T I O I.

Quid Restitutio, an sit ad salutem necessaria, & unde oriatur illius obligatio?

CONCL. I. Restitutio est actus Justitiæ commutativæ, quo vel suum domino redditur, vel damnum illatum reparatur.

Dicitur 1. *Actus Justitiæ*; quia per illam redditur dominus indemnis in rebus suis, ad quod inclinatur Justitia, quæ est virtus tribuens unicuique quod suum est.

Dicitur 2. *Commutativæ*; quia in restitutione servari debet

æqualitas rei ad rem, ita ut tantum reddatur aut reparetur, quantum fuit ablatum, aut damnificatum.

Dicitur 5. *Quo vel suum*, & in hoc differt restitutio à solutione, quod hæc fiat ex proprio solventis, illa ex proprio recipientis. Cujus ratio est, quod ille cui fit solutio, ante solutionem non sit dominus rei solvendæ: ille tamen, cui fit restitutio, sit antea dominus rei restituendæ, saltem ubi restituitur res in sua specie, & inde sequitur pecuniam mutuo acceptam, in rigore non restitui, sed solvi: cum pecunia mutuo data statim fiat accipientis tamquam domini.

Dicitur 4. *Domino redditur*; & ideo licet tua restitutio facta creditori tui creditoris valeat in foro conscientiæ, non admittitur tamen in foro externo; imo etiam in foro interno, si quod inde detrimentum patiatur dominus, resarciendum est.

Dicitur 5. *Vel damnum illatum reparetur*; quia cum non tantum violetur justitia alienum auferendo, sed etiam aliena destruendo, aut deteriorando, postulat æquitas, ut indemnizetur proximus tam in rei suæ damnificatione, quam in ejusdem ablatione, aut retentione. Ex dictis.

Resol. 1. Ex violatione Charitatis, Religionis, aun alterius virtutis numquam oriri obligationem restituendi: quia restitutio, cum sit actus Justitiæ, necessario supponit Justitiam violatam, aut saltem violandam, & ideo qui negligit succurrere indigenti, ad quod non tenebatur ex Justitia, sed ex Charitate, non est obnoxius restitutioni.

Resol. 2. Nec oriri vinculum restitutionis ex læsione solius Justitiæ distributivæ; quia tunc alienum nec auferitur, nec læditur; cum supponatur illos, quibus sit bonorum communium distributio, non habere jus ad illa; alias violaretur Justitia commutativa: & ideo

Resol. 3. Filium obligatum ex patris testamento distribuere parochiæ pauperibus 20. raserias bladi, juxta uniuscujusque paupertatem, teneri satisfacere, si aliquibus minus dederit, quam requireret eorum paupertas, non quia læsit Justitiam distributivam, sed commutativam, eo quod quilibet pauper haberet jus ratione testamenti ad portionem suæ inopiæ proporcionatam. Idem dic in casibus similibus.

CONCL. II. Necessaria est ad salutem restitutio necessitate præcepti, non necessitate medii. Est autem Necessarium necessitate medii id sine quo non potest obtineri salus, etiamsi inculpabiliter omittatur: ut Baptismus in re parvulis, Pœnitentia lapsis &c. Necessarium vero necessitate præcepti id sine quo potest obtineri salus, si sine culpa omittatur, ut sumptio Eucharistiæ &c.

Prob. 1. pars (quam olim negaverunt quidam Græci, imo & Erasinus, qui tandem editione quinta sententiam mutavit) probatur, inquam, tum ex Scriptura Rom. 8. *Reddite omnibus debita*; tum ex Aug. Ep. 54. ad Macedonium: *Si res aliena, propter*

quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum. Tum ratione naturali dictante esse alteri faciendum, quod quis vellet sibi fieri; atqui læsus in suis cupit indemnificari; ergo & idipsum præstare debet aliis. Accedit, quod sit de necessitate salutis servare Justitiam commutativam; atqui restitutio est actus illius virtutis, ut diximus: ergo.

Obj. 1. Nullo Decalogi præcepto injungitur restitutio: ergo.

Resp. neg. antec. Qui enim dixit, non capies alienum invito domino, dixit & implicite non retinebis alienum eodem invito, cum eodem modo lædatur proximus per injustam rei suæ detentionem, ac per ejusdem ablationem, et consequenter dici potest pertinere restitutionem ad septimum præceptum.

Obj. 2. Illud Lucæ cap. 11. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*, ubi Christus alloquitur Pharisæos, qui intus erant pleni rapina & iniquitate: ergo falsum est, quod restitutio sit ad salutem necessaria.

Resp. Varie varios ad hunc locum respondisse; sed omissis aliis expositionibus, dico, quod sicut Christus per illa verba non exclusit Pœnitentiam; ita nec restitutionem: unde nihil aliud voluit, quam quod operibus Justitiæ & Pœnitentiæ adjungere deberent opera Misericordiæ pro peccatis.

Obj. 3. Dominus rei detentæ, non est rationabiliter invitus: ergo detentor non tenetur illam reddere. Prob. ant. quia ne detentor peccet retinendo, debet dominus ex lege charitatis rem suam illi cedere; cum bonum spirituale prævaleat temporali.

Resp. neg. ant. & ejus prob. quia non tenemur impedire peccatum proximi cum magno nostri detrimento, alioqui debemus dare 100. aureos homini volenti furari, si alias non vellet à furto abstinere: quod nemo dixerit.

Prob. 2. pars; quia ignorans invincibiliter se obligari ad restitutionem, aut factus impotens ad illam, potest salvari, ut concedunt omnes: ergo evidens est, non esse necessariam necessitate medii; quod expresse docet Aug. Ep. 54. sup. *Non remittitur peccatum*, inquit, *nisi restituatur ablatum: sed ut dixi, cum restitui potest.* Ex quo deducitur, restitutionis incapacem posse à peccato absolvi, adeoque salvari. Ex dictis in hac conclusione.

Resol. 1. Procrastinantes sine justa causa restitutionem de die in diem esse in continuo peccato, tenerique ad omne interesse inde proveniens domino. Ratio est; quia restitutionis præceptum obligat statim, ubi commode fieri potest.

Resol. 2. Corrigenendum esse errorem vulgi putantis animas Defunctorum tamdiu in Purgatorio torqueri, quamdiu restitutio, ad quam tenebantur, non mandatur executioni. Puniuntur quidem ibi propter negligentiam propriam restituendi, non tamen ob ne-

gligentiam hæredum, cum ibidem expientur peccata propria, non aliena.

Resol. 3. Posse tamen heredes restituendo, liberare citius animam defuncti, in quantum nempe restitutio est actio meritoria, adeoque impetratoria liberationis: & ideo forte cap. 5. *De Raptoribus*: monentur heredes Incendiarii condigne pro incendio satisfacere, ut liberetur Incendiarius.

CONCL. III. Obligatio restitutionis oritur ex triplici capite, aut quasi ex triplici capite: nempe ratione rei acceptæ tantum, ratione injustæ acceptionis tantum, et ratione utriusque. *Ratione rei acceptæ* tenetur restituere, qui habet apud se rem alienam sine sua culpa, puta, donatione, emptione, deposito, aut alio titulo apparenter justo, eo quod habeat quod suum non est. *Ratione injuste acceptionis* obnoxius est restitutioni, qui rapina aut furto abstulit rem alienam, quam destruxit, dissipavit, aut consumpsit. Item & ille qui proximum damnificavit v. g. domum incendiando, segetes vastando, equum occidendo &c. quia licet sibi per hoc non profuerit, alteri tamen nocuit, justitiamque læsit, quam ideo tenetur reputare: unde *injusta acceptio* hic comprehendit & quamlibet injustam damnificationem, etiam sine emolumento damnificantis. *Ratione utriusque* restitutionem facere debet qui rem furto ablatam apud se retinet. Alii alios proferunt titulos, nempe ratione contractus, aut quasi contractus, sed inde oritur obligatio solvendi non restituendi.

Q U Æ S T I O I I.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis?

Suppono 1. culpam aliter usurpari à Jureconsultis, aliter à Theologis: hi enim culpam sumunt pro peccato sive mortali, sive veniali, & dicitur culpa Theologica: illi autem pro quadam incircumspectione; seu negligentia, ex qua damnum oritur proximo; sive interim Deus offendatur, sive non: & dicitur culpa Juridica.

Suppono 2. culpam Juridicam esse triplicem, nempe latam, levem, & levissimam. Lata, est ommissio diligentiae à personis prudentibus ejusdem sortis in tali casu adhiberi solitæ, ut si famulus aut ancilla reliquerit officinam apertam vesperi. Levis est ommissio diligentiae quam adhibent diligentiores, ut si non fuit clausa fenestra granarii elevati. Levissima, ommissio circumspectionis, quæ à diligentissimis adhibetur, ut si eadem fenestra non fuit munita ferreis perticis. Huic triplici culpæ superaddunt aliqui duplicem, nempe latiore & latissimam: hanc dicunt esse dolum evidentem, illam dolum præsumptum: ex prima semper oritur obligatio restituendi, ex secunda ordinarie.

Suppono 3. Quæstionem nostram esse intelligendam secluso contractu & officio, de quibus postea.

CONCL. I. Nullus tenetur resarcire damnum secutum ex culpa levi, aut levissima. Est communis contra Adrianum, & Angelum, volentes obligationem oriri ex qualibet culpa.

Prob. Nullus tenetur esse magis circumspectus ad vitandum damnum alienum, quam ad vitandum proprium; sed qui ad vitandum damnum proprium adhibet eam diligentiam, quam homines suæ sortis solent adhibere, non reputatur moraliter negligens, aut culpabilis: ergo respectu damni alieni, quod tunc potius fortuito, quam ex culpa evenisse judicandum est.

Confr. 1. Quia qui secluso contractu, aut quasi contractu, majorem requirit in altero diligentiam pro conservatione rei; quam soleant homines ejusdem conditionis adhibere, censetur irrationabilis.

Confr. 2. Ille non tenetur restituere ratione rei acceptatæ, cum supponatur alienum non habere: nec ratione injustæ acceptionis, cum nulla interveniat culpa Theologica: ergo ex nullo capite.

CONCL. II. Communior & probabilior est sententia asserens, nequidem ex culpa lata oriri obligationem restitutionis, ubi propter naturalem inadvertentiam, aut oblivionem nulla prorsus intercedit culpa Theologica.

Ratio est, quia nulla formaliter committitur injustitia. Accedit, quod damnum inferens non teneatur ratione rei acceptæ, utpote non extantis, nec ratione injustæ acceptionis, cum illius actio non sit formaliter injuriosa.

Dices 1. Exodi 21. & 22. præcipitur reparatio damni, etiam sine culpa Theologica commissi.

R. Cum Interpretibus, legem illam esse pure judicialem adeoque expirante Christo, expirasse.

Dices 2. Gregorius IX. cap. ult. *De injuriis* asserit non excusari eum, cujus imperitia, vel negligentia damnum illatum est, sed solum eum, qui, *ut non accideret, de contingentibus nihil omisit*; atqui in nostro casu de contingentibus aliquid omisit: ergo.

R. Pontificem loqui de eo, qui aliquid omisit, aut neglexit cum culpa Theologica; subjicit enim: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere*, ubi aperte de ignorantia vincibili, adeoque Theologice culpabili.

Dices 3. Obligatio restitutionis non oritur ex iniquo damnificantis animo, sed ex læsione damnificati, qui sive peccet damnificans, sive non, interim semper læditur.

R. Oriri quidem ex læsione proximi, sed formaliter injusta: sicut enim restitutio est actus formaliter reparans Justitiam: ita & supponit ipsam formaliter læsam. Ex dictis

Resol. 1. Relinquentem ex pura oblivione naturali ignem aut candelam accensam in loco, unde comburitur domus, ad nihil teneri, quia nullum intercessit peccatum.

Resol. 2. Nec à fortiori teneri restituere amentem, aut dor-

mientem, si aliquem occidat, supellectilem destruat, vestes laceret, &c.

CONCL. III. Ex qualibet culpa Theologica formaliter damnificativa, sive mortali, sive veniali, oritur obligatio restitutionis, saltem proportionate ad culpam.

Prob. *De peccato mortali*; quia tunc damnum illatum, est plane voluntarium, adeoque totaliter imputabile damnificanti; & ideo secundum omnes tenetur ad reparationem totius nocuenti.

Prob. *De peccato veniali*; vel enim damnificans peccat venialiter, quia damnum est leve, vel quia non satis advertit ad damnum grave: si primum, cum omnino libere & advertenter proximum damnificaverit, exigit æquitas naturalis, ut ipsum indemnem reddat. Et certe, si ille, qui ad valorem aurei alterum læsit, teneatur aureum restituere quidni & ille, qui læsit pro schellingo, teneretur schellingum reddere? Si secundum, est actio formaliter Justitiæ læsiva, adeoque obnoxia Justitiæ reparationi.

Q U Æ S T I O I I I .

An grave nocumentum proveniens ex injustitia tantum veniali, sit ex integro resarciendum?

Dico: *ex injustitia veniali*, id est, ex actione graviter quidem damnificativa; sed quæ defectu advertentiæ sufficientis excusetur à mortali. Circa hanc difficultatem varie opinantur Doctores: alii enim volunt non esse restituendum, alii è contra totum, alii partem; sed ante resolutionem.

Notandum, raro evenire, ut quis tantum peccet venialiter per actionem graviter damnificativam: quia etsi in actibus internis nonnumquam desit advertentia ad peccatum mortale sufficiens, eo quod actus illi facile, sæpe & subtiliter oriantur, & quidem circa objecta naturali inclinationi accidentia; nihilominus non est idem de actibus externis, præsertim gravioribus: cum enim rarius eveniant, ideo fortius animunt pulsant, suique cognitionem ingerunt. Præterea, ut conveniunt omnes, sufficit ad peccatum mortale cognitio confusa periculi, aut diligentia majoris adhibendæ, quam facile gignit actus externus notabilis; & ideo, nisi constet de contrario, præsumendum est, ordinarie loquendo, actionem graviter damnificativam, fuisse mortalem. In supposito tamen, quod fuerit tantum veniale, sit

CONCL. UNICA. Non est obligatio reparandi damnum integrum. Est communior & verior.

Prob. Ubi injustitia formaliter levis, ibi levis obligatio restituendi, sed in nostro casu etsi injustitia sit materialiter gravis, est tamen levis formaliter, ut supponitur: ergo est tantum levis obligatio restituendi; adeoque non est obligatio restituendi totum,

alias obligatio esset notabilis. Prob. maj. Ubi nulla est injustitia formaliter, ibi nulla obligatio restituendi, & ubi injustitia formaliter gravis ibi & gravis restituendi obligatio, ergo ubi injustitia formaliter levis est, ibi tantum levis obligatio restitutionis.

Confirmat. In tantum est onus reparandi justitiam; in quantum læsa est; atque per peccatum veniale tantum læditur leviter: ergo est tantum onus leve illam reparandi, seu, quod idem est, es tantum obligatio partem levem restituendi.

Obj. 1. Advertentia sufficiens ad veniale respicit totum damnum: ergo vel totum restituendum est, vel nihil.

Resp. dist. ant. Respicit totum damnum valde admodum imperfecte, C. Perfecte, N. & ideo non totum, sed pars, juxta viri prudentis arbitrium, debet resarciri, ita ut sufficere possit restitutio quinquagesimæ aut sexagesimæ partis.

Obj. 2. Totum damnum ex alterius culpa accidit: ergo tenetur totum reparare.

Resp. dist. ant. Ex alterius culpa graviter injuriosa, N. Leviter, C. & ideo nego consequentiam.

Replic. Onus Restitutionis sequitur nocumentum illatum, sed illud est notabile: ergo.

Resp. dist. antec. Onus restitutionis ratione rei acceptæ sequitur nocumentum illatum, transeat. Dico *transeat*; quia non est semper verum. Ratione injustæ acceptationis, nego universaliter, alioqui etiam dormiens, aut amens, teneretur damnum reparare in somno, aut amentia factum. Onus ergo restitutionis propter injustam acceptionem potius sequitur injustitiam formalem, quam nocumentum materialiter spectatum.

Inst. Ex injustitia veniali potestorri gravis obligatio restituendi: ergo.

Resp. dist. ant. Ex injustitia veniali, de actu advertentiæ sufficientis ad damnum inferendum, N. ex injustitia veniali defectu advertentiæ ad priores damnificationes, ut si quis furetur schellingum nullatenus advertens ad 3. alios schellingos, quos antea furatus est, C. Est autem discrimen inter unam & alteram, quod in prima damnum non nisi imperfectissime sit voluntarium; in secunda autem plene & integre voluntarium, cum singulæ damnificationes supponantur factæ cum plena advertentia ad damnum, quod per illas inferebatur: unde hæc est actus injustitiæ perfectus, illa imperfectus.

Obj. 3. Qui accepit et consumpsit ovem alienam credens invincibiliter esse suam, tenetur restituere in quantum factus est ditior, licet acceptio non sit injusta: ergo hic à fortiori.

R. dist. ant. Tenetur restituere ratione rei acceptæ in æquivalenti permanentis, C. ratione acceptionis, N. quia si non esset factus ditior, ad nihil teneretur.

Obj. 4. Peccatum veniale est obnoxium gravissimis Purgatorii tormentis; ergo à fortiori reparationi gravis nocuenti.

R. N. conseq. & suppositum; restitutio enim non est pœna, nec imponitur ad culpæ deletionem, sicut pœna Purgatorii; sed ad reparationem justitiæ læsæ; & ideo non plus obligat, quam læsa sit formaliter.

Obj. 5. Sicut obligatio promissionis oritur ex voluntate promittentis; illius autem gravitas, vel levitas ex gravitate, vel levitate materiæ promissæ; ita obligatio restitutionis oritur ex actu formaliter injusto, sive mortali, sive veniali: illius autem gravitas aut levitas ex gravitate aut levitate damni illati; atqui in nostro casu reperitur actus formaliter injustus, & damnum illatum notabile: ergo.

R. Argumentum illud confirmare conclusionem nostram: sicut enim obligatio non oritur, nisi ex promissione facta cum plena & perfecta advertentia, ita nec oritur obligatio restitutionis integræ, nisi ex actu injustitiæ perfecto.

Q U Æ S T I O I V.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi, ubi intervenit contractus?

CONCL. I. Ratione contractus potest quis obligari ex culpa juridica, etiam levissima, imo ex casu fortuito.

Ratio est; quia tanta est contractus obligatio, quantam imponunt sibi contrahentes: ergo, si in dictis casibus de obligatione restituendi conveniant, restituendum est.

CONCL. II. Si contractus cedat in utilitatem solius recipientis, ut fit in Commodato, oritur obligatio restituendi ex culpa etiam levissima, non tamen ex casu fortuito, nisi intercesserit culpa, mora aut pactum.

Prob. 1. pars: tum ex Jure Can. cap. unico *De Commodato*: ubi ait Pontifex: *cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*. Tum ex Jure Civ. l. *In rebus*, ff. *Commodati*, ubi legitur: *in rebus Commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus pater familias suis rebus adhibet*. Tum etiam ratione; quia diligentiam illam particularem exigit honestas & gratitudo, quam alter in re sua tibi commodanda benevole ostendit; & ideo si pallium aut quid simile habueris commodato, & illud reliqueris in cubiculo, clauso quidem, sed non obserato, teneris illud restituere, si inde auferatur. Aliud esset, si illud tantum haberes Precario: tunc enim, ut dicitur l. *Quæsitum*, ff. *de Precario*, solum teneris ex dolo, vel culpa lata; cum minorem favorem faciat tibi dominus dando Precarium, quam dando Commodatum: illud siquidem est ad nutum domini quandolibet revocabile, hoc autem non nisi post certum tempus.

Prob. 2. pars; quia quodlibet perit suo domino, & consequenter cum res commodata non sit commodatarii, sed commodantis,

vitiatam, tenetur, ubi vitium agnovit, pretium reddere, aut damnum compensare; sed in nostro casu res vendita est maxime vitiata, cum sit obnoxia restitutioni: ergo. Accedit quod contractus fuerit nullus, adeoque pretii restitutione rescindendus.

CONCL. II. Non potest emptor bonæ fidei, restituendo rem domino, quidquam ab ipso exigere, nisi certè sciens esse alienam emisset viliori pretio, ut eam domino redderet.

Prob. 1. pars; quia nullus tenetur rem suam emere: ergo nullus potest pro ea pretium à domino petere. Deinde nihil potest ex justitia exigi, nisi adsit titulus, sed hic nullus intervenit: ergo.

Prob. 2. pars; quia non est rationabile, ut quis recta intentione gerens utiliter negotium domini, damnum patiatur: unde in simili casu præsumitur rationabiliter fuisse recuperatus.

Q U Æ S T I O V I I.

De restitutione faciendâ à possessore dubiæ fidei.

Cum possessor dubiæ fidei quodammodo mediet inter possessionem bonæ, et malæ fidei, ideo non tantum quid in dubio rei acceptæ, sed etiam quid in dubio injustæ acceptionis, seu damnificationis restituere debeat, sequentibus articulis examinandum venit.

A R T I C U L U S I.

Quid faciendum sit dubitanti, an res accepta sit sua, necne?

Vel dubium fuit ab initio possessionis, vel supervenit possessioni pacificæ; et bonæ fidei.

CONCL. I. Qui dubitavit ab initio, an res posset juste possideri, necne, eo quod dubium foret, an res illa esset donantis, legantis aut vendentis, an alterius, peccavit graviter: si illam accepit animo retinendi, teneturque, præmisso diligenti examine, ad restitutionem vel totius, vel partis dubio proportionatæ.

Prob. 1. pars; quia exposuit se manifesto periculo rem alienam occupandi, et eandem, invito domino, possidendi.

Dixi: *Si accepit animo retinendi*, si enim recepit ex intentione inquirendi dominum, & ipsi comparenti restituendi, tantum abest ut peccaverit, ut è contra negotium domini utiliter gesserit: & ideo dominus comparens debet ei pretium refundere, ut in simili diximus. Tempore autem quo fit inquisitio, non ad plus tenetur circa rei conservationem, quam teneatur ille, qui est depositarius in commodum domini, & consequenter, si pereat, aut deterioretur casu fortuito, vel etiam ex culpa levi, aut levissima, ad nihil tenetur.

Prob. 2. pars; vel enim, præmissa inquisitione, deprehendit

rem esse furtivam, vel iterum dubitat: si primum, totum restitui debet domino, si cognoscatur, vel, ipso incognito, iis quibus restituenda sunt bona inserta, nempe pauperibus: si secundum, postulat æquitas ut rem dividat pro qualitate dubii cum proprietario, vel cum pauperibus; si ille sit ignotus. Volunt quidem alii nunc restituendum esse totum, sed videtur sententia nostra rationi & æquitati conformior, adeoque in praxi sequenda. Hinc.

Resol. 1. Teneri restituere ementes à quibuslibet personis quælibet supellectilia, quæ vident, aut videre debent, aut saltem dubitare, quod sint furtiva: ad quod advertere debent, maxime post deprædationes injustas.

Resol. 2. Illos qui à filiisfamilias emunt vestes, utensilia coquinæ, merces, vasa argentea & alia hujusmodi, teneri plerumque ad omnium restitutionem, etiamsi pretium datum non sint recuperaturi; quia sæpe dubitare debent, an non sit à parentibus furto ablata.

Resol. 3. Eidem oneri obnoxios esse caupones illos, qui permittunt à juvenculis graves, immo & quandoque enormes expensas fieri, quas sciunt, aut suspicantur furtis domesticis esse solvendas.

Petes: quid restituere teneatur ille, qui cepit à possessore bonæ fidei rem aliquam, de qua dubitabat, an non esset sua?

Resp. Totum esse restituendum, eo quod melior sit conditio alterius, nempe possidentis.

CONCL. II. Qui ab initio rem aliquam bona fide possidet, sed in successu temporis, propter rationes supervenientes incipit dubitare, an non sit aliena, ad nihil tenetur, modo adsint certæ modificationes. Ita Doctores satis communiter contra Scotum, qui manente dubio, vult faciendam esse divisionem rei inter possessorem & eum de quo dubitatur an sit dominus vel pauperes, si hic sit ignotus: & contra Adrianum, qui docet totum esse restituendum, quando facta sufficienti inquisitione, non constat de rei veritate.

Prob. Concl. 1. Ex hac regula juris in 6. *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, quæ non est sic intelligenda, ut volunt aliqui, quasi major pars esset assignanda possidenti, & minor domino dubio, sed quod huic nihil, & totum illi debeatur; quandoquidem ita intelligat praxis recepta omnium Tribunalium tum Ecclesiasticorum tum Civilium: unde hæc regula, *in dubio tutior pars est eligenda*, non habet locum in materia Justitiæ, quando dubium est utrimque æquale, & penes unum est rei possessio.

Prob. 2. In foro judiciali res, cujus dominium est dubium, adjudicatur tota possessori: ergo potest possessor totam sibi adjudicare in foro conscientiæ; quia nulla facienda est diversitas inter forum exterius, & interius, nisi aliqua ratio urgeat, quæ hic non apparet, præsertim cum possit potestas suprema ob justam causam de bonis inferiorum disponere, ut patet in præscriptione. Hinc

Resol. Possessorem illo casu non tantum posse rem retinere, sed etiam vendere, consumere, usui applicare &c. quidquid in contrarium dicat Corduba, & certe si tantum possit recipere, non tamen & uti, non est melior conditio possidentis.

Dixi in Conclusionem: *modo adsint certæ modificationes*; nam
1. Debet possessor sufficienter & suo tempore inquirere de rei veritate; quia licet ante inquisitionem possit rem possidere, & servare tamquam depositarius; non tamen ea alienare, consumere, deteriorare &c. ut docent communiter DD. nisi certe res esset talis, ut non posset conservari sine periculo deteriorationis: tunc enim ex præsumpta rationabiliter alterius voluntate posset illam vendere, aut consumere, cum animo restituendi pretium domino comparenti.

2. Debet possessor post habitam inquisitionem deprehendere, quod ultra possessorem habeat jus æquale cum altero, de quo dubitatur, an sit dominus.

3. Tenetur, si rem vendat, ementi dubium manifestare, cum certum sit illud aliquid de pretio diminuere.

4. Quando, facta sufficienti inquisitione, rem consumit aut vendit, debet voluntatem habere restituendi similem, aut saltem pretium rei venditæ, aut consumptæ, si Dominus certus compareat.

Petes, an ille, qui neglexit inquirere de re, quando incepit dubitare, an esset sua, teneatur ad restitutionem, si jam inquisitio facta sit impossibilis?

Resp. Teneri proportionate ad dubium suum, idque domino dubio, si compareat, alias pauperibus. Ratio est, quia non est verisimile quod Jus totum in dubium adjudicans possidenti, voluerit favere obligationem suam negligenti.

ARTICULUS II.

Quid restituere teneatur qui dubitat, an sua actione aut amissione dederit causam damnificationi?

Sensus quæstionis est, an ille, qui dubitat an suo consilio, consensu, mandato, suffragio &c. secutum fuerit damnum proximo, necne, debeat illud resarcire? aliqui affirmant, alii negant, alii distinguunt: alii obligant ad partem; alii ad totum.

CONCL. I. Debet ante omnia dubitans, an influxerit in damnificationem, consulere illum, si fieri possit, qui physice damnum intulit, & si hic habeatur fide dignus, asseratque non ab alterius mandato, consensu, consilio &c. sed à propria malitia ad id fuisse motum; manet dubitans liber ab onere restitutionis.

Dixi, *si fieri possit*; quia si absit damnificans, aut nequeat consuli, colligendum est ex circumstantiis, puta ex mora temporis, quod intercessit inter consilium & damnum illatum, ex indole, habitudine, qualitate, subjectione &c. damnificantis. Ubi tamen, omnibus illis consideratis, adhuc manet dubium.

CONCL. II. Tenetur dubitans ad restitutionem pro qualitate dubii. Hæc si non communior, est tamen probabilior, & æquitati conformior.

Ratio est: quia tam potest fieri quod damnum intulerit, quam non intulerit: ergo justum est, ut fiat illius reparatio juxta qualitatem dubii.

Confir. 1. Quia irrationabile est, quod faveamus potius nocenti, quam innocenti: atqui certum est, dubitantem ratione consilii; mandati, &c. esse nocentem, damnificatum vero esse innocentem: ergo.

Confirm. 2. Quia tali casu nulla est præsumptio in favorem consentientis, sed potius contra ipsum, quandoquidem constat de consilio dato, licet dubitetur de effectu secuto.

Dices: in dubio melior est conditio possidentis, atqui dubitans est in possessione suæ rei: ergo.

Resp. 1. Possessionem tali casu stare potius contra, quam pro dubitante, cum constat de actione injusta.

Resp. 2. Dictam regulam juris ad summum habere locum, quando quis incipit dubitare, an res, quam hæctenus bona Fide possedit, sit sua; an aliena, non autem quando dubitat, an per rem, quam certo scit esse suam, debeat damnum illatum resarcire necne. Ex dictis

Resol. Eum, qui percussit alterum, ex cujus vulnere dubitatur, an mors non fuerit secuta, an autem ex morbo superveniente, teneri pro rata sui dubii ad restitutionem damnorum inde sequentium.

Resol. 2. Quando constat aliquem ex duobus, aut tribus actione sua damnum intulisse, dubitatur autem quisnam illorum intulerit, teneri singulos restituere pro ratione sui dubii. Ratio est: quia cum possessio stet pro delicto, & aliunde non sit ratio obligandi potius unum, quam alterum, videtur divisio facienda. Sic tamen intellige, ut inter illos non fuerit mutuus consensus, aut consilium, alias teneretur quilibet in solidum, ubi deficerent alii.

QUÆSTIO VIII.

De restitutione facienda à possessore malæ fidei.

Varia inquiri possunt de possessore malæ fidei; 1. quantum restituere debeat. 2. An teneatur ad restitutionem fructuum. 3. Meliorationis. 4. Deteriorationis. 5. Rei fortuito pereuntis. 6. An possit restituendo deducere expensas? de quibus breviter sequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

Quid & quantum restituere debeat possessor malæ Fidei?

CONCL. I. Debet possessor malæ Fidei (sicut & bonæ Fidei)

restituere rem in individuo, si adhuc extet; alias æquivalens.

Prob. 1. pars; quia res ubicumque sit, clamat dominum suum, & consequenter ipsamet domino restituenda est, & non alia, unde miror, Navarrum & Clavem regiam excusare à mortali restituentem æque bonam: etiam ubi invitus est dominus; cum hic gravem patiatur injuriam, ubi specialiter erga rem suam affectus est; aliud esset, si esset indifferens, aut certe non esset ita affectus.

Sed quid si res ablata ita fuisset cum aliis permixta, ut non posset discerni; v. gr. oleum cum oleo, triticum cum tritico, aurei cum aureis, &c. omnino similis, aut certe æquivalens restituenda foret; sicut fieri debet quando res non extat amplius, idque ut servetur æqualitas, & inde manet probata 1. pars.

Dices: rei ita mixtæ, ut discerni & separari nequeat dominium acquirit ille, qui rem alienam suæ commiscuit, ut colligitur ex L. 78. ff. De solutionibus & L. 5. ff. De rei vindicatione: ergo ad nihil tenetur.

Resp. dist. ant. dominium acquirit cum onere simile restituendi, transeat sine onere, N. & certe mirum foret, quod quis ex injusta damnificatione ditaretur.

Dices 2. Saltem possessor bonæ fidei illo casu ad nihil teneretur. Prob. assump. Non teneretur ratione injustæ acceptionis, cum nulla fuerit: non ratione rei acceptæ, cum jam per mixtionem in ejus dominium transierit: ergo nullo titulo.

Resp. neg. assump. 1. ad prob. dico, teneri ratione rei acceptæ; quæ etsi fiat miscens, cum obligatione tamen satisfaciendi domino, cui ideo jura concedunt actionem in miscentem. Præterea dici potest translationem illam domini respicere mere forum externum, non autem forum conscientiæ. Hinc

Resol. 1. Contra Bonacinam & alios, vendentem librum pro 10. nummis furtivis, quos bona fide credebat esse eментis, teneri illos restituere domino; ubi comperit esse furtivos, sive interim illos miscuerit cum suis sive non; quandoquidem mixtio illa nihil faciat ad rem pro foro conscientiæ.

Resol. 2. à fortiori obnoxium esse restitutioni, qui scienter emit 50. Baserias bladi ab eo, cui 20. furto ablata suis 30. miscuerat: quidquid dicat idem Bonacina.

CONCL. II. Tantum restituere debet possessor malæ fidei, quantum necesse est, ut dominus rei ablatæ aut damnificatæ nullum damnum, nullumve interesse patiatur.

Ratio est; quia postulat æquitas naturalis, ut dominus ex alterius actione injusta nullatenus in re sua damnificetur. Hinc

Resol. 1. Illum, qui combussit villam cum pecoribus, granis, utensilibus, &c. tantum debere restituere, quantum vir prudens judicaverit, attentis mature omnibus circumstantiis, ut reum valore.

Resol. 2. similiter resarciendum esse lucrum cessans, & damnum quod emersit domino ex rei suæ absentia; sicut & om-

nes expensas; quas facere debuit pro ipsius recuperatione.

Resol. 3. differentem rei emptæ solutionem ultra terminum præfixum, teneri ad omne interesse, quod inde patitur mercator; nisi juri suo cesserit; ad quod serio reflectere debent illi, qui sine scrupulo per plures annos alienis vestiuntur, nutriuntur, veliuntur; delectantur, &c.

Resol. 4. conculcantem segetes immaturas, occidentem pullum equinum, vastantem arbores tenellas, non debere restituere proportionate ad valorem de futuro; cum sit longe minoris pretii res in spe, & in virtute, quam in actu; sed proportionate ad valorem de præsentem, consideratis omnibus circumstantiis spei, periculi & temporis, quo dominus erat illa servaturus.

ARTICULUS II.

An malæ fidei possessor teneatur ad restitutionem fructuum ex re furtiva perceptorum.

CONCL. I. Tenetur possessor malæ fidei ad restitutionem omnium fructuum, tum naturalium, tum mixtorum ex ea parte qua sunt naturales, sive adhuc extent, sive sint consumpti, sive inde factus sit ditior, sive non; non tenetur tamen ad mere industriales.

Prob. 1. pars; quia possessor malæ fidei non tantum rem, sed etiam fructus ex re provenientes per injustitiam formalem retinet: & consequenter sive ipsos consumpserit, sive non, semper tenetur ad eorum restitutionem ratione injustæ acceptionis.

Prob. 2. pars; quia ratio probans possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus mere industriales, etiam militat pro possessore malæ fidei.

CONCL. II. Debet insuper restituere omnes fructus, quos dominus sine peccato ex re sua percepisset, licet ipse non perceperit.

Ratio est, quia ubi quis est causa efficax damni proximo illati, debet illud reparare; atqui possessor malæ fidei est causa efficax, cur dominus privetur fructibus alias percipiendis: ergo. Hocque colligitur ex C. *De restitutione militum*; convenit tamen deduci expensas, quas pro fructibus percipiendis facere debuisset dominus. Dico *convenit*, & non *oportet* propter rationes postea dicendas.

Dixi: *Quos sine peccato percepisset*; quia respectu fructuum injuste, aut per usum turpem recipiendorum censetur irrationabiliter invitus, adeoque non sunt restituendi; patet ex L. *fructus* 34, ff. *De rei vindicatione*.

CONCL. III. Tenetur etiam ad restitutionem fructuum, quos ex re ablata percepit, etsi dominus uno fuisset illos percepturus. Est communior.

Ratio est: quia omnis res domino suo fructificat, & consequenter ipsi & non furi acquiritur fructus.

Dices; retinens fructus, nullum infert damnum domino; cum non esset illos percepturus.

Resp. neg. ant. Cum enim fructus nascentur domino, eo ipso quo iisdem privatur dominus, censetur damnificatus: unde diximus etiam, ad id teneri possessorem bonæ fidei, si adhuc extent fructus, ubi autem sunt consumpti, in quantum factus est ditior.

CONCL. IV. Non debet tamen restituere fructus, quos nec dominus percepisset, nec ipsemet percepit, licet percipere potuisset per laborem extraordinarium.

Ratio est; quia nullus apparet restitutionis faciendæ titulus: non quidem damnum illatum, cum nullum patiat dominus: non etiam res accepta, quia supponitur nihil esse perceptum: non denique injusta acceptio, cum nulla intercesserit actio injusta.

Dices 1. Adfuit actio injusta negative, seu non fecit domino lucrum; quod poterat facere.

Resp. dist. assumpt. Lucrum quod poterat, & tenebatur facere, N. cum sit irrationabilis dominus, qui extraordinaria postulat. Quod poterat, & non tenebatur facere, C. ubi nulla injustitia.

Dices 2. L. *si fundum* 17. Cod. *De rei vindicatione*, obligatur possessor malæ fidei ad restitutionem fructuum, quos poterat ex re ablata percipere.

Resp. Legem illam loqui de fructibus labore ordinario obtinendis, & ideo dixi: *quos percipere potuisset per laborem extraordinarium*; quia non dubitamus quin debeat circa rem illam ita diligenter se gerere, sicut faceret circa propriam, adeoque laborem ordinarium impendere, licet Dominus illum non adhibuisset, quia cum sit Dominus tam rei, quam fructuum, pro suo libitu circa illa se gerit, quod non competit injusto detentori.

ARTICULUS III.

Ad quid teneatur possessor malæ fidei ratione meliorationis rei detentæ?

Duplex potest esse rei melioratio, aut deterioratio; intrinseca una; extrinseca altera. Intrinseca est, dum res in se mutatur; vel per incrementum, ut sit pullus fiat equus, vel per decrementum, ut si bos pinguis fiat macer: extrinseca, dum res in se non mutata, pluris tamen vel minoris æstimatur, ob emptorum multitudinem, aut rei abundantiam.

CONCL. I. Tenetur fur ad restitutionem meliorationis tum intrinsecæ, tum extrinsecæ.

Prob. 1. pars: quia rei melioratio intrinseca habet se instar fructus, & consequenter sicut fructus obvenit domino, ita & melioratio. Accedit quod si res melioraretur furi, posset ex alieno ditescere: quod non admittitur.

Prob. 2. pars; quia cum melioratio extrinseca non proveniat ex industria furis, sed ex bona fortuna ejus, ad quem pertinet res ipsa, nulla est ratio cur accedat furi, & non domino. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui furatus est pullum, & retinuit, donec esset equus, debere equum restituere, aut saltem equi pretium, si ipsum vendidit, & ideo non satisfacit suæ obligationi, si non plus restituat, quam valeret pullus, dum fuit ablatum. An autem deducendæ sint expensæ? infra dicemus.

Dices. Non tenetur ad plus, subripiens pullum, quam occidens illum; atqui occidens non tenetur plus restituere, quam valeret pullus tempore occisionis: ergo nec plus restituere subripiens, quam valeret tempore ablationis.

Resp. Disparit. esse, quod cum pullus occisus non possit fructificare, aut meliorari; ita nec plus valet domino; secus accidit in pullo furtivo.

Resol. 2. Furantem aureum valoris 10. florenorum, teneri meliorationem extrinsecam refundere, si dum cum consumpsit, valebat 12. florenis, quia non est justum, ut fur ditescat ex alieno.

Resol. 3. Etiam teneri restituere fructus provenientes ex re meliorata; quia cum melioratio sit homini, ita & fructus ex melioratione percepti.

CONCL. II. Etiam stat præcedens conclusio, quando dominus rem suam erat servaturus usque ad illud tempus, quo fuisset ejusdem valoris, ac erat dum fuit ablata: v. gr. furatus es equum 50. nummorum, quem dominus servaturus erat ad annum sequentem, in quo tantumdem valuisset: tamen tempus illud præveniens vendis 60. propter equorum raritatem, teneris 60. refundere. Ita Malderus, Wiggers & alii.

Ratio est; quia pretium succedit loco rei, sed justum illius pretium, non sunt 50. sed 60. ergo.

Confirm. 1. Quando equus valebat 60. nummis, erat totus domino: ergo similiter pretium totum est illi, alias non reciperet æquivalens suæ rei.

Confir. 2. Ex axiomate communi; quia nemo potest ex alieno ditescere.

Dices 1. Industria est furis, quod rem potius vendat nunc, quam postea; sed fructus industriæ non est restituendus: ergo.

Resp. neg. maj. Nulla enim industria est vendere rem pretio currenti.

Inst. Vendere rem in loco, ubi majus est pretium, industria est: ergo hic similiter.

Resp. Disparit. esse, quod secundum moralem hominum estimationem, fit quidem industria per epistolas, correspondentes, aut aliter inquirere in aliis locis de pretio rerum venalium, illucque merces transferre vendendas; non autem pretio currenti vendere.

Dices 2. Si Dominus statuisset servare equum ad illud tempus

huic perit, & non illi: & hoc expresse decernitur cap. unico, De Commodato.

Dixi: *Nisi intercesserit culpa, mora, aut pactum*; quia loco jam citato in terminis haberetur: *nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset*; & ideo si tibi commodatus est liber ad mensem, quam retinuisti per bimestre, si equum habuisti, ut conficeres 12. leucas, & cum eo confecisti 20. si habuisti servitium mensale argenteum, ut illo uteris in urbe, & tamen illo usus es in pago, teneris ad restitutionem: si eo tempore quo eras in culpa, vel in mora, casu fortuito perierint v. g. si liber igne consumptus est, si equus à latronibus captus, si servitium mensale ab hostibus ablatum. Excipe tamen, nisi res apud dominum eodem modo fuisset per casum fortuitum peritura, aut deterioranda, eo quod non erat illam alienaturus, quia tunc nullatenus censeris causa damni.

Sed quid si tempore debito rem commodatam (idem est de re locata, aut deposita) per nuncium creditum communiter fidelem remisisses, & interim fortuito, aut etiam culpa nuncii periisset? Ad nihil teneris: quia res perit domino suo. Secus esset de re mutuata, quæ in se, vel in æquivalenti remitteretur; quia cum mutuatarius sit rei mutuate dominus, donec perveniat ad mutuatore, illo casu ipsi periret.

Petes an, quando non potest quis in incendio, aut simili casu, rem suam & alienam commodatam salvare; possit suam alienæ præferre? Negant aliqui, ubi res aliena & propria sunt æqualis valoris eo quod teneatur rem alienam præcise in suam utilitatem concessam diligentius custodire quam propriam: probabilius est tamen contrarium, quia sicut charitas bene ordinata incipit à se ipso, ita & rebus propriis: volunt quidem leges ut custodiamus diligentissime rem commodatam: nullibi tamen præcipiunt, ut, si nostra & illa non possint simul salvari, commodatam nostræ præferamus: nihilominus si res nostra vilior esset commodata, hæc esset præferenda, etiam si foret apud nos in nostri & domini utilitatem: non tamen si in utilitatem solius domini: & hæc videntur fundari in æquitate naturali.

CONCL. III. Si contractus cedat in utilitatem utriusque, idest tam accipientis, quam tradentis, seu domini, tenetur accipiens ex culpa lata & levi; non tamen ex levissima. Patet ex l. 3. Instit. tit. *Quibus modis contrahatur obligatio* §. *Creditor*, ubi dicitur, quod accipiens pignus teneatur ad exactam illius custodiam: non tamen exactissimam, ut habet Glossa ibidem; sed pignus cedit in utilitatem & creditoris, & debitoris, creditoris quidem, in quantum assecratur per hoc quod sibi debetur: debitoris vero, in quantum pignus tenet locum pecuniæ: ergo. Præterea; quando contractus cedit in utilitatem solius domini, teneor ex culpa lata, quando autem in mei solius utilitatem, ex culpa levissima; ergo postulat æquitas, ut

quando cedit in utilitatem utriusque, teneat ex culpa levi, quæ mediat inter utramque: & ideo, si habeam depositum pro mercede custodiendum, si habitem domum elocatam, si utar equo conducto, si habeam alienum in pignus, & illa perierint ex culpa mea sive lata, sive levi, teneor damnum resarcire, non sic, si tantum fuerit culpa levissima.

CONCL. IV. Si contractus cedat in utilitatem solius domini, ut fit in Deposito gratis custodiendo, solum obligaris ex dolo, aut culpa lata. Patet ex Justiniano l. 3. Institut. tit. 15. ubi dicitur: *Is, apud quem res aliqua deponitur..... ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit*: ubi secundum Glossam, Interpretes, immo & jura, nomine *doli* etiam venit culpa lata.

Ratio conclusionis est; quod non videatur justum ut quis non sibi, sed alteri utilitatem præbens, teneatur diligentius rem ipsius custodire, quam propriam.

Porro, licet obligatio in tribus ultimis conclusionibus asserta, non oriatur ex natura rei, cum spectato jure naturæ, videatur quis obligationi suæ satisfacere, si rem commodatam custodiat, sicut suam: item si in custodiendo commodato eandem diligentiam adhibeat, ac in custodiendo precario: nihilominus leges humanas id statuentes in conscientia obligare, etiam ante omnem judicis sententiam, tenet communis sententia contra Sotum, quia, positus legibus censetur contractus dependenter ab earum dispositionibus fieri; sicut virtualiter intendunt contrahentes ita se obligare.

Q U Æ S T I O V.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis ratione Officii?

Officiales, de quibus hic posset esse quæstio, sunt Curatores, Tutores, Advocati, Consilarii, Pastores, Confessarii, Theologi, Medici, Chirurghi, Pharmacopolæ, Artifices, quorum aliqui id muneris exercent pro stipendio, alii gratis, alii ex justitia, alii ex charitate.

CONCL. I. Nullus illorum, ordinarie loquendo, tenetur ad restitutionem ex culpa levi aut levissima, etiam si mercede conductus munus suum obeat. Est communis contra Sylvium.

Prob. 1. quia eo ipso, quo quis assumit aliquod Officium, non censetur se ad plus obligare in eo exercendo, quam soleant homines ejusdem officii & conditionis, & consequenter non nisi ad diligentiam communem & ordinariam.

Prob. 2. quia si mercede conductus teneretur habere diligentiam majorem aut maximam, ipsius diligentia esset major ordinaria & non esset, esset, ut supponitur, & non esset, quia cum omnes conducti tenerentur ex officio eandem habere, ipsius diligentia esset communis & ordinaria.

Dixi: *Ordinarie loquendo*; nam, si se præsentet tamquam in sua arte, aut officio peritorem aut diligentorem & ideo avertat eum, qui talem quærebat, ab ulteriori inquisitione, tenetur ex culpa levi, immo & levissima, si dicat se peritissimum, aut diligentissimum.

Ratio est; quia eo ipso obligat se ad plus præstandum, quam soleant alii.

CONCL. II. Quilibet officialis tenetur ex dolo, aut culpa lata, etiamsi gratis inserviat.

Ratio est: quia eo ipso quo quis officio exercendo se ingerit, imponit sibi obligationem id præstandi, quod solent homines prudentes ejusdem artis, aut officii, qui communiter habentur conscientiosius. Hinc

Resol. 1. teneri ad restitutionem Parochum, qui defectu scientiæ debite injungit restitutionem faciendam, cum esset omittenda: aut omittendam, cum esset facienda; sive interim verbis expressis, sive silentio id insinuaverit.

Ratio est; quia tunc est vera & moralis causa damni poenitenti, vel tertio evenienti. Sed quid de confessario, qui non ex Justitia, sed ex Charitate id muneris exequitur; verius est & probabilius ad idem teneri, cum non minus sit causa damni suo consilio, quam Parochus. Præterea, eo ipso quo se exponit, ad recte consulendum se exponit, & obligatur.

Resol. 2. Non teneri restituere Parochum, aut alium Confessarium, qui ex mera inadvertentia, aut ex oblivione naturali non movit poenitentem de restitutione facienda. Et idem est si bona fide credebat poenitentem, suæ obligationis conscium. Ratio est: quia nulla tunc intervenit culpa Theologica, quam supponimus hic adesse in culpa lata.

Resol. 3. Damno restituendo obnoxium esse Advocatum, qui ex malitia, ignorantia aut negligentia culpabili perdit littem justam, qui auctor est divisionis injustæ, qui consulit contractum invalidum, & idem dic cum proportione de Consiliario, Theologo, Concionatore & similibus, sive interim mercedem recipiant, sive non.

Resol. 4. Ad nihil teneri eum, qui ingenue fatendo capacitatis suæ limites, respondet sibi ita videri in casu proposito; nec illius executionem, suadendo nec dissuadendo. Ratio est; quia tunc non potest reputari causa damni.

Q U Æ S T I O VI.

De Restitutione facienda à possessore bonæ fidei.

Triplicem hic distinguimus possessionem, nempe bonæ, malæ, & dubiæ fidei. Primus est, qui bona fide rem alienam possidet tamquam suam, utpote quia illam obtinuit emptione, donatio-

ne, testamento, aut alio titulo apparenter justo. Secundus est, qui vel scienter, vel cum ignorantia culpabili rem alienam aufert, aut detinet. Tertius, qui illam detinet, vel aufert dubitans, an sit sua, necne. De possessore bonæ fidei hic per aliquot articulos agemus, de aliis postea acturi.

ARTICULUS I.

Quid restituere debeat possessor bonæ fidei?

In idem redit quæstio, si petatur, quid sit restituendum ratione rei acceptæ?

CONCL. I. Licet possessor bonæ fidei valeat de re aliena disponere tamquam verus dominus, quamdiu credit invincibiliter esse suam; ubi tamen competit esse alienam, debet illam gratis domino reddere prima opportunitate; si secus fecerit, fit possessor malæ fidei, subjacetque omnibus eventibus, periculis, conditionibus, &c. quibus hic exponitur.

Prob. 1. pars; quia res ubicumque sit, quocumque titulo, aut colore fuerit acquisita, clamat dominum suum. Dixi gratis esse reddendam, quod est verum etiamsi contractu oneroso, puta emptione, illam obtinisses; quia injustum est, ut dominus rem suam emat: pretium quidem dedisti, sed cum illius dationis non fuerit causa dominus, tibi soli perit. Deduci tamen possunt expensæ, quæ fieri debuerunt pro rei conservatione, immo & aliquando illæ, quæ factæ sunt pro emptione, ut dicemus postea.

Prob. 2. pars; quia ubi comperisti rem esse alienam, & data restituendi opportunitate ipsam retines, injuriam facis domino rationabiliter invito, tenerisque restituere, non tantum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ detentionis, quæ æquiparatur actioni injustæ.

CONCL. II. Si possessor tempore bonæ fidei rem alienam consumpsit, aut distraxit, ad nihil tenetur, nisi inde factus sit ditior. Est communis.

Prob. 1. pars; non tenetur ratione injustæ detentionis, aut actionis; quia nulla intercessit: non etiam ratione rei acceptæ; quandoquidem, utpote bona fide consumpta, supponatur non amplius existere.

Prob. 2. pars; quia cum id, in quo factus est ditior, succedat in locum rei alienæ, quæ ideo dicitur in æquivalenti exstare; justum est, ut saltem illud domino restituatur, cum nemo debeat ex alieno ditescere. Porro censetur quis occasione rei alienæ ditior factus, quando transacta bona fide, agnoscit se propter illius detentionem, consumptionem, venditionem, aut donationem aliquid habere, quod non habuisset, aut pepercisse certis sumptibus, quos alias ex proprio fecisset. Si autem, facta diligenti inquisitione, du-

bitet an inde factus sit ditior, tenetur, juxta dubii proportionem restituere. Ex dictis.

Resol. 1. Invitatum ad prandium, quod postea novit furtivum, præcise teneri ad expensas, quas domi aut alibi fecisset, etiamsi duplo plus consumpserit; si autem prandium furtivum fuerit minus pingue, quam fuisset domesticum, solum tenetur ad æquivalentem rei consumptæ. Sed quid si invitatus sit commensalis, qui debet equidem prandium domesticum solvere? Ad nihil tenetur, cum non sit inde factus ditior.

Resol. 2. Eum, qui rem alienam donavit, alias nihil ex suo daturus, ad nihil teneri: si autem daturus erat aliquid vilioris pretii, tenetur præcise ad pretium rei donandæ. Ubi vero occasione dationis, est ipsi aliquid redonatum, illud subjacet restitutioni, cum sit occasione rei alienæ acquisitum. Excipe tamen, nisi redonatum consumpsisset, nihil alias ex proprio consumpturus.

Resol. 3. Illum, qui pinguem hereditatem adiit, & ideo statum mutavit, equos, rhedam, famulos assumendo, vestibus pretiosis utendo, mensam lautiolem usurpando, &c. ad nullam restitutionem obligari, si ubi comperit, se non esse legitimum heredem, videat sua bona esse in eodem statu, in quo fuissent, seclusa illa hereditate, quia non est inde factus locupletior. Si autem bona sint meliorata, tenetur ad auctarium.

Resol. 4. Idem esse dicendum, etiamsi res aliena ex culpa possessoris parva, aut magna perierit tempore bonæ fidei. Ratio est, quia non potest assignari titulus, unde obligetur: non quidem res accepta, cum perierit, non etiam injusta damnificatio, seu acceptio, cum nullus possit committere injustitiam formalem circa rem, quam credit invincibiliter esse suam.

Resol. 5. Eum, qui fecit contractum usurarium credens bona fide non esse usurarium, sed licitum, non esse obnoxium restitutioni, si ex lucro usurario largius subvenit pauperibus, gratificavit amicos, mensam habuit lautiolem, &c. quod alias non erat facturus.

ARTICULUS II.

An possessor bonæ fidei teneatur ad restitutionem fructuum?

Loquor de fructibus adhuc in se, vel in æquivalenti extantibus: si enim nullatenus extent, nullam etiam faciendam esse restitutionem, compertum est apud omnes, & sequitur ex articulo præcedenti. Sunt autem fructus triplicis generis, nempe mere naturales, quos spontanee fert natura, nullo aut modico adhibito hominum labore ut fenum, glandes, poma, nuces, fetus animalium, lana, &c. mere industriales, quos producit sola hominum industria, ut lucrum ex arte, aut negotiatione proveniens: mixti, qui partem à natura, partim ab industria proficiscuntur, ut legumina, segetes, vi-

num, oleum, merces rerum locatarum, &c. Hi autem fructus dicuntur quandoque naturales, quandoque industriales, juxta causam prævalentem. Ubi autem dubitatur quales sint, in foro externo arbitrio judicis, in foro conscientiae arbitrio viri prudentis standum est.

CONCL. I. Non tenetur possessor bonæ fidei restituere fructus mere industriales, etiamsi ex re aliena tamquam instrumento prodierint. Ita expresse Scotus 4. dist. 13. q. 2. estque communis.

Ratio est; quia solum tenemur restituere alienum, sed fructus mere industriales non sunt alieni, sed nostri, cum nascantur ex re, cujus sumus domini, ut est labor, ars, & industria nostra: ergo, &c. Unde ne quidem illos restituere tenetur possessor malæ fidei, si intelligantur certæ modificationes, de quibus fusius postea. Si ergo instrumento alieno statuam fabricasti, tua est, non alterius: si cum pecunia aliena negotiando lucrum reportasti, tibi lucratus est, non alter.

CONCL. II. Si fructus naturales extent in se, aut in æquivalenti, restituendi sunt domino rei, ex qua prodierunt, deductis tamen pro labore & industria expensis, ita ut nullatenus damnificetur bonæ fidei possessor.

Ratio conclusionis est; quia res fructifera domino fructificat: ergo sicut res obnoxia est restitutioni, ita & ejus fructus. Sed quid si dominus fructus ex re sua non collegisset, v. g. quia pratum erat sterile, quia poma, glandes, &c. reliquisset in arbore? Adhuc sunt restituendi; quia equidem nascuntur domino.

Dices: 1. *Bonæ fidei* 48. ff. *De acquirendo rerum dominio* dicitur: *Bonæ fidei emptor, non dubiæ, percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes.* Ex quo inferunt Jurisconsulti plurimi, possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus naturales, qui nascuntur ex re, quam titulo oneroso possidet, puta emptione, locatione, &c.

Resp. Priori Legi opponendam non tantum auctoritatem Glossæ plurium Jurisconsultorum, & omnium Theologorum; sed etiam *L. Item veniunt* 20. ff. *De petitione hæreditatis*, & *L. fructus* 45. ff. *De usuris*. Ubi soli fructus industriales, non naturales, dicuntur fieri possessoris bonæ fidei: unde etsi sententia illa aliquam probabilitatem habeat in foro externo, non tamen in foro conscientiae. Præterea dici potest, in illa lege fieri mentionem de fructibus nec in se, nec in æquivalenti extantibus.

CONCL. III. Etiam restituere debet fructus mixtos, detractis similiter expensis, & æstimatione laboris, ac industriæ. Ratio est; quia fructus mixti sunt partim naturales, partim industriales: ergo ex ea parte qua sunt naturales; obnoxii sunt restitutioni. Unde si ex agro alieno vinum, aut segetes colegisti, si cum navi, curru, aut jumento alieno, merces vehendo, lucrum fecisti, tantum

debes, ordinarie loquendo, restituere, quantum pro iisdem conducendis tribueres locatario. Dixi, *ordinarie loquendo*: quia si toto tempore bonæ fidei ratione fulguris, bellorum, sterilitatis, inundationum, &c. non feceris fructus, nisi labori, aut expensis correspondentes, ad nihil teneris.

Sed quid si dominus equum suum, navem, agrum, &c. non elocasset? Equidem teneris reddere præteritum locationis, quia res fructifera domino fructificat. Si autem tua negligentia nullos ex re aliena fructus percepisses, nihil foret restituendum; cum non esses inde factus ditior, & aliunde nullam injustitiam formalem commiseris, eo quod bona fide crederes rem esse tuam: & in hoc differt possessor bonæ fidei à possessore malæ fidei, qui tales fructus tenetur restituere.

ARTICULUS III.

An rem furtivam bona fide emptam possit quis reddere furi, pretium recuperaturus; & an reddens domino, possit aliquid ab eo exigere?

Suppono 1. Quod emens rem furtivam sciens, aut dubitans esse furtivam, teneatur illam reddere domino, etiamsi pretium datum perdere debeat. Ratio est; quia non tantum obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis; quandoquidem non possit rem furtivam emere sibi appropriandam sine injustitia formali, ut patet: pretium quidem perdit, sed suæ malitiæ, & injustæ emptioni imputare debet.

Suppono 2. Etiam domino, & non furi, reddendam esse rem, si illam gratis à fure accepisti. Ratio est, quia cum res clamet dominum suum, & non extraneum, & aliunde possis illam reddere domino sine tuo incommodo, evidens est, te ad id obligari.

CONCL. I. Qui rem furtivam bona fide emit, ubi reperit non esse suam, debet illam reddere domino, non furi, licet pretium non sit recuperaturus. Ita Cajetanus, Soto, Medina, Sylvius, & multi alii tam antiqui, quam recentiores.

Prob. 1. Res, ubicumque sit, clamat dominum suum: ergo domino, & non furi restituenda est.

Prob. 2. Non potes sine injuria domini rem ipsius in deteriori statu ponere; atqui si illam redderes furi, quem prudenter judicas non redditurum, poneres eam in statu deteriori, quam sit apud te: ergo.

Confirm. Non potes rem alienam deteriorare sive intrinsece, sive extrinsece, absque injustitia formali; sed res posita apud furem deteriorata est, saltem extrinsece: ergo.

Prob. 3. Illicite rem furtivam traderes extraneo, ut pretium tuum recuperares: ergo & illicite furi, cum hic non plus juris habeat in illam, quam extraneus.

Prob. 4. Fure non comparente, teneris certo illam reddere domino: ergo etiam ipso comparente. Prob. conseq. Ideo teneris in primo casu, quia dominus habet jus ad rem suam; sed idem jus habet, fure præsente, ac ipso absente: ergo.

Obj. 1. Reddendo rem furi, non facis injuriam domino, cum ponatur in eodem statu, in quo erat ante.

Resp. Poni quidem in eo statu, in quo erat ante emptionem; sed tamen in deteriori, quam esset post emptionem: quod tibi non licet propter rationes præfatas.

Obj. 2. Venditio rei furtivæ fait nulla: ergo rescindibilis est.

Resp. dist. consequens: Rescindibilis est, sic ut possit à fure pretium repeti, C., sic ut res possit reddi furi, N.

Obj. 3. In pari casu innocentie debet emptor potius sibi, quam domino rei consulere: ergo.

R. Majorem esse veram, ubi emptor potest sibi consulere mediò licito, non tamen ubi tantum illicito, ut hic, rem alienam extrinsece deteriorando.

Obj. 4. Possum rem in via repertam ibidem reponere, si credam fore mihi nocivam: atqui res empta in nostro casu est mihi nociva: ergo possum furi reddere.

R. 1. neg. min. quia non res empta, sed malitia furis rem non suam vendentis mihi nociva est.

Resp. 2. Disparitatem esse, quod reponendo rem inventam, tantum desuam illam custodire: quod mihi licet, ubi ex ejus custodia imminet mihi grave nocumentum; reddendo autem illam furi, concuro positive ad illius deteriorationem, saltem extrinsecam.

Inst. Ideo res furi reddita deterioratur, quia ponitur in statu pejori: atqui res posita in via publica, est in statu pejori, quam in manibus meis: ergo.

R. Totum esse verum; sed nego deteriorationem præcise esse causam, cur non possit reddi furi, sed bene deteriorationem, invito rationabiliter domino, eo quod ejus res ponatur moraliter in statu perditionis: quod non accidit in alio casu, ubi exponitur, affixo domini nomine; cum sit longe probabilius, rem expositam casuram in manus æque securas ac meas, eo quod sint in his locis quadraginta contra unum, qui nollent aliena retinere. Præterea libenter concedo rem expositam pati aliquam deteriorationem, sed non talem, qualem rationabilis dominus debeat præferre gravi meo nocumento.

Petes: an emptor bonæ fidei, qui rem emptam etiam alteri bona fide vendidit, satisfaciatur (comparente domino) remittendo secundum emptorem pro pretio recuperando ad ipsum furem, seu an teneatur ipsemet pretium ab ipso receptum reddere?

Resp. Teneri pretium reddere, nisi secundus emptor velit actionem in furem acceptare. Ratio est; quia ut docet D. Thoma 2. 2. q. 77. a. 2. vendens rem vitiatam, ignorans invincibiliter esse

quo valere 70: teneretur fur totidem restituere; ergo cum statuerit servare ad tempus, quo tantum valebit 50. non debet plus refundere.

Resp. neg. conseq. Disparit. est, quod nisi dominus in 1. casu reciperet 70. pateretur damnum ex rei suæ ablatione: in 2. autem casu nullum fur patitur damnum refundendo 60. imo servat præcise justitiam commutativam.

ARTICULUS V.

An etiam debeat compensare deteriorationem?

CONCL. I. Si res deteriorata est intrinsece ex negligentia detinentis, v. g. si bos pinguis factus est macilentus, si terra fecunda facta est sterilis & arida, debet possessor malæ fidei deteriorationem illam resarcire: quod etiam verum est, licet dominus ex incuria rem suam ad eundem statum redegisset.

Prob. 1. pars, quia servari debet æqualitas inter ablatum & redditum; sed bos ablatum habebat notabile pinguedinis incrementum: ergo cum eodem incremento debet restitui, vel aliunde defectus reparari.

Dixi in conclusione: ex negligentia detinentis; quia si deterioretur ex indispositione naturali, aut ex morbo similiter apud dominum contrahendo, non videtur ratione deteriorationis præcise ad quidquam obligandus aliud esse, si animal deterioratum fuisset propter talis loci aeris intemperiem, aut malam herbarum qualitatem, quia tunc loquendum est sicut in conclusione.

Prob. 2. pars, quia etsi possit dominus, tanquam rei suæ arbiter, illam pro libitu negligere, non sequitur, quod idem possit malæ fidei possessor, alias sicut potest dominus illam donare, aut destruere sine injustitia, idem etiam posset male fidei possessor: unde tenetur circa rei ablatæ conservationem talem curam gerere, qualem gereret diligens rei alienæ custos.

Sed, quid si bos ablatum macer, factus sit pinguis, & iterum ex incuria possessoris redactus sit ad primam maciem? Debet tantum restituere, quantum valebat bos pinguis. Ratio est; quia cum teneretur bovem restituere eo tempore, quo erat pinguis (cum etiam tunc cum sua melioratione clamaret dominum) censetur retinendo juxta proportionem detrimenti damnum intulisse domino, adeoque obnoxium esse illius reparationi.

Confirm. Ideo qui deterioraverit rem ab initio bonam, tenetur æquivalens rei & ejus bonitatis refundere, quia tota res cum sua bonitate erat domini; atqui bos qui fuit ab initio macer, sed jam pinguis, totus est domini cum sua pinguedine, cum res meliorescat domino: ergo qui causa est ejus deteriorationis, debet damnum resarcire.

Dices, credit quilibet satisfacere suæ obligationi, si reddat rem

domino talem, qualis erat tempore ablationis, aut injustæ detentionis.

CONCL. II. Si res sit deteriorata extrinsece, id est secundum suum valorem, debet quoad deteriorationem indemnificari dominus, si illam erat venditurus: secus, si retenturus erat ob recreationem, pompam, utilitatem, &c.

1. pars per se patet, cum non sit justum, ut damnum patiatur dominus ex injusta rei suæ ablatione, aut detentione.

Prob. 2. pars (cui contradicunt aliqui) quia seclusa deteriorationis extrinsecæ reparatione, servatur omnimoda æqualitas inter ablatum & redditum: cum injustus detentor non tantum reddat rem talem, qualem abstulit, sed etiam talem, qualis pro tunc foret apud dominum, nec aliunde excogitari possit titulus deteriorationis reparandæ obligativus.

Dices 1. Reparari debet deterioratio intrinseca, licet dominus non fuisset rem venditurus; ergo & extrinseca.

Resp. dist. ant. reparari debet deterioratio intrinseca, si proveniat ex culpa detinentis, v. g. quia equo alimenta sufficientia, aut proportionata non tribuit, C. si proveniat ex causa naturali, aut fortuita similiter apud dominum eventura, N. Jam autem deterioratio extrinseca, seu rei diminutio quoad valorem, supponitur hic fieri absque ulla detinentis culpa.

Dices 2. Non restituitur res tanti valoris, quanti erat tempore ablationis; ergo nec servatur justitia.

R. neg. conseq. Quia cum diminutio pretii non proveniat ex culpa possidentis, non est illius habenda ratio.

ARTICULUS V.

An possessor malæ fidei possit deducere expensas pro re conservanda, melioranda, &c.

Suppono 1. Expensas alias esse necessarias, alias utiles, alias voluntarias. *Necessaria* sunt, sine quibus res non potest debite conservari, aut esse sufficiens usibus ordinariis, & sunt illæ, quæ impenduntur pro reparandis ædificiis, nutriendis animalibus, fertilizandis agris, &c. *Utiles*, quæ conducunt ad rei meliorationem, v. g. ad impinguationem ovium, boum, aut aliorum animalium, ad majorem domus commoditatem, &c. *Voluntariæ*, quæ soli voluptati, aut recreationi deserviunt, absque ulla rei melioratione intrinseca, aut extrinseca; ut certa arborum dispositio.

Suppono 2. Nomine expensarum necessariarum, aut utilium etiam venire laborem & industriam, quæ possessor adhibuit pro rei conservatione, aut melioratione, sicut et pro fructibus colligendis, vendendis, &c.

Suppono 3. Possessorem bonæ fidei deducere posse omnes omnino expensas, adeoque & voluntarias, si illas fecerit ex fructibus

rei detentæ, alias ex proprio non facturus. Ratio est; quia præci-se debet id restituere, per quod factus est ditior: unde si ex locatione domus perceperit 100. aureos, & 20. in expensis voluntariis impenderit, tantum tenetur ad 80. His suppositis

CONCL. I. Etsi possit malæ fidei possessor expensas voluntarias separare, ubi sunt absque rei detrimento separabiles, non potest tamen eas deducere, ubi non possunt separari.

Ratio est: quia cum expensæ illæ supponantur domino omnino inutiles, non tenetur dominus illas in diminutionem pretii restituendi admittere; unde illarum jacturam imputare sibi debet iniquus detentor, cum illas absque domini consensu fecerit. Idem videtur dicendum de possessore bonæ fidei, eo quod nulla lege cogatur dominus res sibi omnino inutiles pretio comparare.

CONCL. II. In rigore justitiæ non tenetur dominus expensas, sive utiles, sive necessarias à possessore malæ fidei factas admittere, aut refundere. Hæc est minus communis, sed in fundo rei longe probabilior.

Prob. Qui pro libitu & nullatenus conductus reparat domum alienam, excolit ejus hortum, aut vineam, laborando applicando, colligendo, aut etiam terram impinguando, nihil potest ex justitia à domino exigere, ut per se patet; atque idipsum accidit in nostro casu: ergo. Unde tantum potest expensas separare, si sint absque rei læsione separabiles, alias nihil ipsi debetur.

Confirm. 1. Quia nulla lege, nulla necessitate, nulla conventionem expresa, aut tacita teneretur in alieno laborare, cum possit hic & nunc alienum reddere: ergo si laboret, censetur laborare gratis.

Confirm. 2. Quia si innocenti agrum alienum sine ulla conventionem excolenti; nihil ex justitia debeatur, cur deberetur nocenti, & rem alienam contra domini voluntatem retinenti?

Dices 1. Nemo potest ex alieno ditescere, atqui hoc fieret in nostro casu: ergo.

R. neg. suppositum: quia fur in alieno laborans, non sibi, sed domino laborat, & consequenter labor non est ipsius, sed domini: nisi certe esset à re separabilis.

Dices 2. Etsi non debeat dominus pati incommodum in restitutione, non debet tamen commodum referre.

R. Commodum illud non oriri ex restitutione, sed ex eo quod fur sine pacto explicito, aut implicito in alieno laboraverit, adeoque sibi infructuose.

Inst. 1. Tacite consentit dominus in expensas, cum sit ejus voluntas, ut si fur rem detineat; illam conservet.

R. Voluntatem domini non esse aliam, nisi ut suum habeat: nec multum curat, an res conservetur, necne, cum equidem, sive peccat, sive non, debeat indemnificari.

Inst. 2. Non potest fur pactum cum domino inire; alias se proderet: ergo debet tacite consentire dominus.

R. ant. esse verum; & ideo non debet alienum excolere, sed reddere; sed neganda est consequentia.

Dices 3. Potest bonæ fidei possessor utiles, & necessarias deducere: ergo & possessor malæ fidei.

R. neg. conseq. disparitas est, quod in 1. casu adsit certo voluntas domini tacita, ut res mediis necessariis conservetur, immo & melioretur, quandoquidem si periret aut deterioraretur, non possessori, sed sibi detrimentum foret: cujus contrarium fieret in 2. casu.

Dixi in concl. *In rigore justitiæ*, nam si consulatur lex humanitatis, non deberet tam rigidus esse dominus.

ARTICULUS VI.

Ad quid teneatur possessor malæ fidei, ubi res perit apud ipsum?

Non loquimur de possessore bonæ fidei, cum certum sit ad nihil teneri: nisi forte ratione rei perditæ factus esset ditior, aut nisi etiam, ubi novisset rem non esse suam, fuisset in mora culpabili ad restituendum; tunc enim æquiparatur possessori malæ fidei.

CONCL. I. Si res peritura apud dominum ex injustitia, pereat apud furem, obnoxius est restitutioni.

Ratio est; quia qui prævenit damnificationem, prævenit & restituendi obligationem.

CONCL. II. Si res pereat apud possessorem malæ fidei eodem loco, eodemque tempore, quo erat apud dominum certo peritura, non tenetur illius pretium refundere: quod verum est, etsi culpa intercesserit nova.

Prob. 1. pars; quia nullus est titulus unde obligetur: non quidem res accepta; cum nec in se, nec in æquivalenti subsistat: non etiam injusta acceptio; quia in tantum parit obligationem restituendi, in quantum infert nocumentum domino: atqui in nostro casu nullum infert, cum similiter dominus esset aliunde damnificandus: ergo.

Confirm. 1. Quia non est justum, ut dominus ex rei suæ ablatione commodum reportet; reportaret autem, si esset obligatio pretii refundendi, ut per se patet.

Confirm. 2. Ex L. 1. ff. *Ad legem Rhodiam, de jactu*; ubi nauta transferens, invito domino, merces de una navi ad aliam deteriorem, in qua pereunt, non obligatur ad restitutionem, si etiam prima navis pereat in eadem tempestate.

Prob. 2. pars; quia, ut ait Wiggers, parum videtur interesse, an res pereat apud furem ex culpa, an fortuito; cum non excusetur à restitutione, ex eo quod tali vel tali modo perierit, sed quia res erat domino certo peritura; sic, ut nihil commodi ex ea percipisset.

Dices 1. Injusta acceptio est unus è titulis obligantibus ad restitutionem.

R. Esse titulum, ubi damnum infert, alias non.

Dices 2. Possessori malæ fidei imputatur casus fortuitus: ergo.

R. dist. ant. Imputatur quando res non erat similiter apud dominum peritura, C. quando erat, N.

Dices 3. Depositarius, apud quem res perit ex culpa lata, obnoxius est restitutioni; licet eodem modo fuisset apud dominum peritura: ergo similiter.

D. Disparitatem esse, quod depositarius obligetur ad rei custodiam ex contractu, idque independenter ab omni eo quod poterat accidere rei apud dominum exstanti. Accedit, quod res apud Depositarium posita sit extra curam domini, adeoque male dicitur apud dominum peritura, qui, ne apud se periret, illam alterius curæ commisit. Ex dictis

Resol. 1. Non teneri possessorem malæ fidei ad restitutionem, si apud ipsum vinum ace scat, equus moriatur, domus male possessa inundatione evertatur, vestis vermibus corrumpatur, &c. Si hæc omnia erant similiter apud dominum ex causis naturalibus certo eventura.

Resol. 2. Si abstulisti equum, ab hostibus justis abducendum, si ovem à lupo devorandam, si vestem ab incendio consumendam, &c. ad nihil teneris, si moraliter eodem tempore ab iisdem abducantur aut destruantur. Idem est si merces tempore naufragii surripuisti, & eadem tempestate absorveantur. Ratio est; quia res illæ à tempore ablationis non coeperunt iterum domino valere, cum semper fuerit in eodem periculo.

Resol. 3. Si laceras pallium, occidis equum, comburis lintamina, incendis segetes, & alia domino certo & inevitabiliter jam peritura, non esse tibi onus restituendi, licet graviter pecces, si ex odio, aut vindicta id feceris. Ratio est; quia cum res illæ in tali casu nullius sint valoris, etiam nullum domino infers detrimentum.

Resol. 4. Idem esse de illo, qui occidit hominem jam ex morbo, aut justa judicis sententia moriturum: etsi enim reus sit homicidii, non tamen obnoxius est damnorum secutorum reparationi. Item nec tenetur occidens hominem sanum ad funeralia, cum eisdem sint aliquando ab hæredibus facienda: teneretur tamen ad interesse, si quod ex eorum anticipatione paterentur.

Resol. 5. E contra tibi inesse obligationem restituendi, ubi res, quam ab incendio, aut inundatione liberasti, apud te perit, licet fortuito, si illam suo tempore non restitueris, quia existenti in mora culpabili imputantur omnes casus, etiam fortuiti. Aliud esset, si moram purgasses; illam domino opportune offerendo.

Resol. 6. Si bovem jam naturaliter moriturum abduxisti ad locum saniores, ubi convaluit, te obligari illum reddere, aut pretium ejus, si occidisti, aut vendisti. Ratio est; quia ubi periculum transit, rursus incipit res domino suo valere, estque bona illius fortuna, quod fuerit in alium locum abducta, aut pro alio tempo-

re reservata. Dixi in concl. *res certo peritura*: nam si destruxisti rem, de qua dubitabatur, an esset peritura necne, restituere debes proportionate ad valorem rei tali periculo affectæ.

CONCL. III. Si res pereat apud possessorem malæ fidei eo tempore, quo necdum sciebatur apud dominum peritura, tenetur ad æquivalens, sive interim pereat ex nova culpa, sive non: ita Paludanus, Covarrubias, Wiggers; immo Bartolus communiter receptus asserit, esse opinionem inter jurisconsultos communem.

Ratio est; quia eo ipso, quo res perit apud injustum detentorem, succedit domino actio in ipsum loco rei suæ destructæ; sed nulla est ratio, cur actu jam creata extinguatur per infortunium subsequens, in quo dominus rem suam perdidisset, si non esset destructa: ergo.

Dices 1. Quando res perit apud furem eodem tempore quo perisset apud dominum, non succedit domino actio in furem: ergo nec quando perit antea.

Resp. Disparitatem esse quod 1. casu destruat res quæ domino nullius est valoris, & cujus dominium est ipsi inutile, cum jam sciatur certo peritura; & ideo non est cur succedat ipsi actio in furem: 2. autem casu, cum ignoretur futura rei destructio, censetur adhuc domino valere; immo tanti venderetur, ac si non esset destruenda.

Dices 2. Non est justum, ut dominus ex tua damnificatione commodum referat: atqui hoc fieret, si reciperet pretium suæ rei perituræ: ergo.

Resp. Nullum inde commodum relaturum, cum non plus reciperet, quam valeret ipsa res tempore destructionis secundum communem existimationem; quod autem fur prius rem destruat, quam esset apud dominum peritura, bona est fortuna domino, non furi.

DISPUTATIO II.

De modo quo facienda est Restitutio.

Quæritur in hac disputatione, quo ordine, qua præferentia, quo loco, cujus expensis, cujus periculo, & quo tempore facienda sit restitutio? Quæ omnia clare & breviter discutiamus.

QUÆSTIO I.

Quo ordine facienda sit restitutio; ubi pro omnibus creditoribus non sufficiunt bona debitoris?

Loquimur hic de ordine servando ex jure naturæ: de ordine enim seu præferentia, quam jus positivum introduxit, dicetur postea; sed ante resolutionem

Suppono 1. Creditores alios esse personales, seu chyrographarios, alios reales, seu hypothecarios: priores sunt qui solam debitoris personam habent sibi obligatam: posteriores, qui personam & bona, ratione pignoris aut hypothecæ.

Suppono 2. Hypothecam (quæ est obligatio rei licitæ ad securitatem creditoris) aliam esse expressam, quam introducit mutua contrahentium conventio; aliam tacitam, quæ statuitur per leges, sic bona recipientium vectigalia, sunt hypothecata fisco, bona tutoris, pupillo, bona mariti, uxori pro dote, bona patris aut matris ad secundas nuptias transvolantis, filiis præcedentis matrimonii; & alia, de quibus fusiùs apud juristas. Insuper alia est universalis, quæ afficit omnia creditoris bona præsentia & futura; alia particularis, quæ tantum obligat bonum speciale, ut villam, molen-dinum, &c. Hæc bona vendita transeunt cum suo onere, non sic bona hypothecæ universalis, quorum loco succedit pretium, si vendantur: licet non possint alienari absque consensu creditoris.

Suppono 3. Nos hic confundere pignus cum hypotheca (licet in rigore differant, cum hypotheca sit in re immobili, & pignus in re mobili) & ideo quod dicemus de bonis hypothecatis, dictum erit de pignoratis. Ne autem hanc materiam iterum postea tangere teneamur

Suppono 4. Quasdam inesse obligationes creditori & debitori respectu pignoris. Ex parte creditoris 1. est, ut non utatur pignore, nisi in gratiam debitoris, vel si utatur, damna ex usu illata reparet. 2. Ut non permittat pignus destrui aut deteriorari. 3. Ut fructus pignoris debitori computet. 4. Ut debito soluto: reddat pignus. Ex parte vero debitoris 1. est, ut res oppignorata uni, non oppignoretur alteri. 2. Ut indemnizet creditorem de expensis tum necessariis, tum utilibus pro pignoris conservatione factis. 3. Ut pignus non repetat, nisi debito soluto: his suppositis

CONCL. I. Fere omnibus creditoribus personalibus, etiam privilegiatis, præferendi sunt creditores hypothecarii, etsi posterior contractus sit debitum. Est communis, patetque ex L. *Eos* Cod. *qui potiores in pignore*.

Ratio est; quia bona hypothecata, vel oppignorata dicunt certum respectum ad personas, quibus sunt obligata, quem non dicunt ad alias: ergo potius illis, quam his sunt tribuenda. Prob. ant. Quia sunt pro hoc debito, non pro aliis, quasi fide jussores: unde dant specialem securitatem creditoribus, ut in quolibet eventu solutionem sibi ex eis procurent.

Confir. Videtur habens duplicem actionem præferendus illi, qui habet unicam: sed hypothecarii habent actionem duplicem, unam in personam, alteram in rem hypothecatam; ergo.

Dixi *fere omnibus*; quia creditoribus, etiam hypothecariis, anteponuntur creditores personales, qui pro funeralibus debitoris, aut etiam ipsius uxoris, filii, servi, & aliorum, quos debitor ipse se-

pelire tenebatur, expensas moderatas fecerunt. Dico moderatas, quia sicut tunc hæres non potest statum convenientem excedere, ita nec debitor occasione funeris aliis præferendus est pro excessu. Patet ex L. penultima ff. *De religiosis & sumptibus funerum*. Quam legem extendunt Doctores satis communiter ad expensas factas pro medico, chirurgo, pharmacopola; confectore testamenti, inventarii, &c. hæcque videntur in jure naturali fundata; nam cum non sit ab illis abstinendum, ut satisfaciatur creditoribus, & aliunde nullus esset expensas illas factururus, ubi putaretur hæreditas insufficientis, merito aliis præponuntur. De præferentia inter hypothecarios dicemus quæstione sequenti.

CONCL. II. Rei venditor non est aliis quoad rem suam præferendus, si jam res transierit in dominium emptoris, secus si non transierit.

Prob. 1. pars, quam impugnant plurimi; quia eo ipso, quo res transiit in dominium emptoris, non est potius venditoris, quam alia res, ergo sicut non debet aliis præferri quoad aliam rem, ita nec quoad illam.

Confirm. 1. Quia res illa nec aliquo jure, nec contrahentium conventionem hypothecata est venditori: quod est tamen fundamentum adversariorum.

Confirm. 2. Quia si emptor rem illam vendiderit tertio, primus venditor non potest illam repetere apud secundum emptorem: ergo signum est non esse illi hypothecatam.

Dices 1. Repugnat æquitati naturali, ut res mea non soluta, & apud alium existens integra, potius assignetur aliis in solutionem, quam mihi.

Resp. neg. suppositum; quia eo ipso, quo alter illius dominium obtinuit, non est amplius tua, sed illius, sicut quælibet alia; adeoque inter creditores est æqualiter dividenda ubi cetera sunt paria.

Dices 2. In tali venditione tantum transfertur dominium sub tacita conditione pretii solvendi: ergo ubi pretium non solvitur, res ad dominum redit.

Resp. neg. ant. hocque patet evidenter ex eo, quod possit emptor ante solutum pretium rem alteri vendere, sicque absolute dominium transferre: quod certe non posset, si ipsemet absolutum dominium non haberet.

Prob. 2. pars; quia cum res clamet dominum suum, sequitur, quod ubi non est translatum dominium, domino proprio sit reddenda. Accedit, quod possit debitor ex bonis alienis creditoribus satisfacere.

Porro censetur esse translatum dominium (alias non) quando, re tradita, venditor pignus, aut fidejussorem loco pretii acceptavit, vel nuda emptoris promissione fuit contentus, perinde ac si pretium esset solutum, quod leges vocant, *habere fidem emptori*. Ex dictis

Resol. 1. Dominium rei furtivæ non esse aliis præferendum, si fur rem ablatam ita suis commiscuerit, ut non possit ab aliis discerni; quia tunc sua rei illius dominium acquisivit, licet cum onere restituendi. Patet ex L. 40. ff. *de solutionibus*, ubi id ipsum asseritur de nummis mixtis.

Resol. 2. Rem, cujus dominium non est translatum in emptorem, esse cum præferentia dandam pauperibus, si ignoretur dominus; quia talis præsumitur voluntas ignoti domini, qui, si adesset, omnibus aliis, præferendus, cum res sit domino specialiter obstricta.

Resol. 3. Quod, cum juxta Panormitanum & alios, sit privilegium Ecclesiæ, fisci, & minoris, ut res, quam per procuratorem vendunt credito, seu habendo fidem emptori, non transeant in dominium ipsius emptoris ante solutum realiter pretium, debeant, quoad rem venditam, omnibus aliis præferri, si adhuc extet in sua specie.

CONCL. III. Debita contracta ex delicto, puta, ex furto, rapina, usura, contractu fraudulento, &c. non sunt præferenda contractis ex pacto justo, si amplius non extent in sua specie, sed sunt æqualiter solvenda. Est probabilior.

Ratio est; quia talis præferentia neque ex jure positivo, neque ex jure naturæ potest colligi: non ex jure positivo, cum nullibi distinguitur inter debita ex delicto, & debita ex contractu justo; ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: non etiam ex jure naturæ, cum debitum unum non fortius obliget, quam aliud; utrumque siquidem obligat, ne jus alienum lædatur.

Confirm. Quia in foro judiciali debita illa æquiparantur: ergo signum est nec ex jure positivo, nec ex jure naturæ præferentiam habere.

Dices 1. D. Thom. opusc. 73. docet expresse contrarium.

Resp. cum Silvio, opusculum illud non esse D. Thomæ, cum in editione Romana habetur litteris distinctis.

Dices 2. Debita ex delicto continent duplicem injuriam, unam Deo, alteram debitori irrogatam: ergo sunt prius solvenda.

Resp. Hic non haberi rationem injuriæ Deo illatæ, cum per poenitentiam sit delenda; sed restitutionis ad æqualitatem faciendæ.

Dices 3. Durius est domino, carere suis per vim ablati, quam carere scienter datis per contractum: ergo.

Resp. dist. ant. Durius est domino, quia plus patitur in fortunæ bonis, N. Quia insuper fit ipsi injuria & violentia, C. sed hoc aliunde reparandum est.

CONCL. IV. Creditores certi non sunt præferendi incertis, idest, illis ad quos scitur quidem rem pertinere, sed quinam determinate illi sint, aut ubi sint, ignoratur. Hæc est minus communis, sed probabilior.

Ratio est, quia pauperes tenent hic locum creditorum incerto-

rum, sed si hi adessent, non deberent aliis postponi: ergo nec pauperes,

Confirm. 1. Quia tantum jus habet creditor ignotus in bona debitoris, quantum creditor notus: ergo non est ratio, cur pauper ejus locum tenens postponatur.

Confirm. 2. Si creditor ignotus mitteret personam, quæ suo nomine debitum reciperet, illa cum aliis creditoribus æquali incederet gradu; sed hic sufficit loco suo personam pauperis, ut postea dicemus: ergo.

Dices: Pauper nullum habet jus in bona debitoris: ergo nulla fit ipsi injuria, sit postponatur.

Resp. Non pauperem, sed dominum ignotum habere jus in illa bona, quæ quia non potest recipere, censetur vellet, ut dentur pauperi; cui si non dentur, non pauperi, sed domino fit injuria, quia non servatur ejus voluntas.

CONCL. V. Ceteris paribus creditor pauper non est præferendus diviti. Est communis contra paucos.

Ratio est; quia ex jure naturæ tantum jus competit diviti, quantum pauperi: ergo cum jus positivum circa hoc nihil immutaverit, non est ratio, cur unus præferatur alteri. Dicitur quidem probare contrarium D. Thom. opusc. 73. nempe quia plus læsus est pauper ablatione suorum, & plus indiget, sed hoc opus non est D. Thomæ, ut diximus superius.

Dices 1. Potest fieri, quod pauper sit in maxima necessitate.

Resp. Tunc esse præferendum, in quantum necessarium est, ut subveniatur ejus necessitati, non tamen ex justitia, sed ex charitate, qua tenemur quibuslibet in simili necessitate succurrere.

Dices 2. Fit restitutio, ut indemnificetur proximus, sed plus damnificatur pauper ex non solutione, quam dives: ergo.

Resp. Restitutionem fieri, ut non lædatur jus alienum, quod cum sit æquale in divite, ac paupere; etiam in solutione sunt æquiparandi.

Q U Æ S T I O I I.

Quænam sit præferentia inter creditores ejusdem rationis?

Quæritur, quinam in restitutione debeant præferri inter hypothecarios, quinam inter personales privilegiatos, & quinam inter non privilegiatos.

CONCL. I. Inter hypothecarios illi sunt præferendi, qui sunt priores in hypotheca. Patet ex hac 54. regula juris in 6. *Qui prior sit tempore, prior est in jure*: quod verum est, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis; si tamen excipiantur certi casus, in quibus ex privilegio hypothecæ quædam posteriores prioribus non privilegiatis anteponuntur.

1. Casus respicit hypothecam dotalem, per quam bona mariti

ita sunt obligata uxori & ejus filiis, ut præferantur creditoribus anterioribus habentibus hypothecam tacitam. Patet ex L. *Assiduis*, Cod. *qui potiores in pignore habeantur*. Dico *tacitam*, & non *expressam*: quia durius esset, quod creditores anteriores ratione matrimonii supervenientis perderent jus, quod ex conventionione expressa habebant in bona mariti. Interim, quantum ad hoc, consulatur mos patriæ, & inquiretur, an dos de facto fuerit à marito recepta; alias privilegium illud non competit uxori.

2. Quando quis rei hypothecatæ conservandæ aut reparandæ causa, dedit pecuniam mutuo: ille enim præfertur aliis habentibus in eadem re hypothecam qualemcumque. L. *Interdum*, ff. *qui potiores in pignore*.

3. Ubi mutua est pecunia pro vectura mercium & conductione ædium, in quibus asservarentur: tunc enim merces manent hypothecatæ mutuanti cum omnimoda præferentia. L. 6. ff. supra.

4. Quando pecunia pupilli empta est res aliqua: hæc siquidem manet ipsi obligata prælative ad hypothecas, generales expressas, aut tacitas, si excipiat illa, quæ fit causa militiæ. L. penul. Cod. *de pignoribus*.

5. Omnia bona contrahentium cum fisco, sunt ipsi obligata cum præferentia ad hypothecas anteriores, saltem tacitas. L. *Si is qui*, ff. *de jure fisci*. Fiscus autem & dos pari gradu incedunt, & solum est potior in jure, qui prior est tempore.

6. Præferentiam habet ille ante quaslibet hypothecas, etiam causa dotis, aut fisci, qui pecuniam dedit ad militiam, puta, pro sustentatione in Castris, pro emptione armorum, equi, &c. L. *Assiduis* Cod. *qui potiores in pignore habeantur*.

7. Præfertur hypothecariis generalibus mutuans pecuniam ad emptionem domus, aut alterius rei cum pacto expresso, quod manebit sibi hypothecata: L. *Licet*, Cod. supra. Denique hypotheca ex promissione gratuita postponitur hypothecis quibuslibet ex contractu oneroso.

CONCL. II. Post hypothecarios creditores sequuntur personales privilegiati, ac

1. Qui fecit expensas pro funeralibus, &c. ille enim etiam hypothecariis præfertur, ut diximus supra.

2. Sponsa de futuro, si sponso tradita est dos, non secuto matrimonio. L. *quæsitum*, §. *Sponsa*, ff. *de privilegiis creditorum*.

3. Deponens pecunias apud nummularium publicum: seu depositarium à republica constitutum, nullo inde percepto lucro. L. *Si ventri*, ff. *De privilegiis creditorum*.

4. Respublica, quæ habet privilegium præferentiæ ante omnes creditores privatos non hypothecarios. L. *Bonis venditis*, ff. ut supra.

CONCL. III. Ubi solutum est hypothecariis & personalibus privilegiatis, solvendum est pro rata (saltem ubi cetera sunt paria) creditoribus ex contractu oneroso, puta, venditione, locatione, &c.

1. Creditoribus ex titulo gratuito, v. gr. ex promissione, aut voto.

2. Legatariis & hæredibus, ita tamen, ut hæredes necessarij præferantur legatariis, quoad suam legitimam. Quia tamen variis in locis variæ introductæ sunt consuetudines particulares, ideo, omisiss illis, quæ jam ex jure communi diximus, prudenter ad illas recurrens, immo & in conscientia observabis, ubi sunt rationi consentaneæ, ac propter bonum commune introductæ.

Dixi: *Ubi cetera sunt paria*: nam prius debitum exigens in judicio, sententiamque obtinens, debet aliis nec hypothecam, nec privilegium habentibus anteponi, etiam quoad integrum debitum. Patet ex L. *Si hominem* §. *Queris* ff. *depositi*, & alibi, ubi diligentia & vigilantia prius postulantis preferentia adscribitur. Immo probabilius est, idipsum, esse concedendum prius petenti extra judicium, licet sit tempore posterior; quia vigilantia ipsum facit inter creditores jure potior, sicut hypotheca aut privilegium: hocque videtur praxis communis auctorizare: & colligitur ex L. *Qui autem* ff. *quæ in fraudem creditorum*, & L. *Pupillus* eodem titulo. Non potest tamen debitor sciens se non habere unde solvat omnibus, non petentem aliis præferre; quia cum ille non sit potior in jure, ita nec debet esse in solutione: unde tenetur debitor omne malum, quod per hoc aliis intulit, resarcire, si ad pinguiorem fortunam pervenerit.

An autem prior tempore sit etiam aliis præferendus, nihil determinat jus positivum, sicut determinat pro creditoribus hypothecariis, & ideo recurrendum est ad leges, aut consuetudines locales legitime introductas.

Q U Æ S T I O I I I.

Quo loco, & cujus expensis facienda sit Restitutio.

Obligatio restituendi alienum in certo loco, oriri potest vel ratione rei bona fide acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis, vel ratione contractus.

CONCL. I. Res bona fide accepta restitui debet in loco, ubi cognoscitur esse aliena, vel si ad dominum absentem remittatur, illius expensis remittenda est.

Prob. 1. pars; quia jus tum civile tum canonicum, nullum gravamen imponit bonæ fidei possessori: ergo obligationi suæ satisfacit, si rem Tornaci restituat, ubi novit Tornaci esse alienam; si tamen postquam alienam novit; alio transtulerit, debet expensas, quas non fecisset dominus, ipsemet subire; nisi certe bona fide credidisset, transportationem utiliore fore domino.

Prob. 2. pars; quia si possessor bonæ fidei deducere possit expensas, quas fecit pro rei conservatione, ut patet ex L. *Possessor*,

ff. *De petitione hæreditatis*, quidni & illas, quas fecit pro eisdem restitutione? Antequam tamen remittat, prudenter per epistolam dominum rogavit, quid velit de re sua fieri?

Sed quid faciendum, si res sit minoris momenti, quam forent expensæ pro transmissione faciendæ? aut etiam, si dominus, quia nimis distans, non possit moneri.

Resp. Si spes effulgeat dominum vel ipsam rem, vel ipsius præmium aliquando obtenturam, esse retinendam, vel in pio loco deponendam; alias pauperibus erogandam, & maxime consanguineis domini, si pauperes sint. Ratio est; quia rationabiliter præsumi potest talem esse voluntatem domini.

CONCL. II. Res injuste ablata, aut detenta restitui debet in loco, in quo illam haberet dominus, si apud ipsum mansisset, aut suo tempore fuisset ei reddita, idque expensis debitoris. Est communis & certa.

Ratio est; quia justitia postulat, ut nullum incurrat dominus nocumentum propter alterius injustitiam; & consequenter, ut rem suam habeat integram & salvam apud se sine ullo sui onere: unde si occasione rei ablatæ, aut injuste detentæ, vel etiam solutionis à debitore moroso dilatæ, debuisset alio migrare, aut domicilium transferre, deberet injustus detentor, etiam omnibus expensis sua culpa factis subvenire. Ubi tamen domicilium mutavit dominus sine culpa detentoris, potest hic expensas illas deducere, quas ille fecisset pro rei suæ transportatione; quia cum sufficiat domino, quod per restitutionem servetur indemnis, non debet ex illa lucrum reportare.

Sed, quid si expensæ faciendæ superent rei transmittendæ valorem?

Resp. Potest transportatio aliquando differri, si speretur minoribus sumptibus postea facienda; quia potest præsumi, talem esse voluntatem domini, inde nullum, aut exiguum incommodum patientis. Si tamen ex dilatione notabiliter læderetur dominus, aut nulla foret spes deinceps restituendi, nisi modo fieret, quibuslibet expensis esset facienda; quia non est justum, ut propter alterius delictum careat dominus re sibi debita; imputet sibi injustus possessor, si restitutio tot expensis sit obnoxia.

Dices 1. Irrationalis esset dominus, qui vellet rem tot sumptibus restitui: ergo tunc danda est pauperibus.

R. neg. ant. Quia non est irrationalis ille, qui non vult cum magno sui detrimento gratiam impendere illi, à quo ex mera malitia nocumentum passus est.

Dices 2. Fit restitutio, ut servetur æqualitas; atqui tali casu magna esset inæqualitas: ergo.

Resp. dist. maj. Fit restitutio, ut servetur æqualitas inter ablatum & redditum, C., ut servetur æqualitas; etiam computatis sumptibus, qui restitutionis causa fieri debent ab iniquo rap-

tore, N. Alias damnificaretur dominus ex alterius culpa.

CONCL. III. Debita ex contractu restitui debent, aut solvi in loco, ubi factus est contractus, sive sit onerosus, ut venditio, locatio, &c. sive gratuitus, ut donatio & promissio: nisi certe aliter conventum esset, aut dispositum.

Ratio est; quia, attenda contractus justitia, ac contrahentium voluntate non potest assignari locus convenientior: unde si contrahentes alium locum intendissent, proculdubio id in contractu appouissent. Porro generaliter loquendo fieri debet solutio in domo debitoris, ut colligitur ex L. 1. ff. *De eo quod certo loco.*

Dixi: *nisi aliter conventum esset*: Unde si rem emisses insulis, solvendam Antuerpiæ, teneris ibidem solvere; debet tamen onus illud aliunde compensari; alias læderetur justitia. Item si in via mutuatam pecuniam accepisti, censeris te implicite obligasse ad solutionem faciendam in loco, ubi domicilium habet mutuator.

Addidit: *aut dispositum*; si quis enim tibi legasset 100. aureos Parisiis recipiendos, aut vestem pretiosam ibidem existentem, deberes illam propriis expensis quærere, aut ad te transmitti curare; quia non est verisimile: quod voluerit testator hæredem suum ad expensas pro re obtinenda necessarias obligare. Aliud esset, si hæres legatum alio transtulisset tunc enim deberet illud suis sumptibus remittere.

Quantum ad expensas pro transportatione, hæc sit regula generalis; nempe faciendas esse ab eo, in cujus utilitatem factus est contractus; & ideo si, ut te à pluvia protegeres pallium habuisti commodato, debes tuis sumptibus illud remittere ad locum, in quo accepisti: quia non est rationabile, ut dominus subeat expensas, tibi gratiam præstando. Si tamen pallium habuisti Duaci, & Ambianum petierit dominus, non teneris expensis tuis Ambianum remittere, sed Duacum tuis, & deinceps Ambianum expensis domini: quia alias noluisse commodatum cum tanto onere accipere: è contra, si depositus sit apud te equus in gratiam solius domini, ubi illo indiget in loco distanti, ejus expensis remittendus est; quia alteri favorem exhibendo, non debes gravari. Imo idipsum dicendum est, secundum Medinam, etiamsi, pro deposito conservando aliquid acceperis, cum pretium illud sit præcise merces rei apud te custodiendæ.

Q U Æ S T I O I V.

Cujus periculo sit restituendum?

Sensus quæstionis est, an quando quis ob distantiam domini, aut famæ conservandæ causa, remittit rem per alium, imputetur ipsi periculum forte in via obventurum, an autem domino? Anteresolutionem

Suppono 1. Ubi nuntius ab ipsomet creditore electus est, aut designatus, si res in via pereat, quomodocumque pereat, illam perire creditori; cum tunc nuntius gerat personam illius. Et idem est, si creditor reliquerit debitori optionem eligendi quemcumque voluerit, & hic habitum communiter fidelem assumpserit; quia tunc adest consensus domini.

Suppono 2. Si res transmissa in itinere auferatur, aut à nuntio detineatur, eam perire debitori, si, inconsulto domino, illam remittat per nuntium non satis fidelem, aut per viam à latronibus obsessam; quia cum ex culpa & imprudentia mittentis perierit, non debet inde creditor damnificari: unde solum procedit quæstio, dum res remittitur per nuntium creditum fidelem; & quidem per vias tutas; sive interim debitor illam remittat præcise ratione rei acceptæ, sive ratione injustæ acceptionis, sive ratione contractus.

CONCL. I. Ubi debitor remittit rem, quam apud se habebat sine ulla sua culpa. v. g. quia illam invenerat, quia bona fide emerat, &c. si nuntius fidelis reputatus sibi illam usurpet, aut ipsa in via pereat, perit creditori, manetque debitor ab omni onere solutus.

Ratio est; quia nullus hic habetur restitutionis faciendæ titulus: non quidem injusta acceptio, quia nullam esse supponimus, non etiam res accepta, cum illam nec in se, nec in æquivalenti possideat.

CONCL. II. Ubi debitor rem injuste ablatam remittit per nuntium, etiam creditum fidelissimum si hic illam sibi retineat, aut aliter in via pereat, antequam domino reddatur: tenetur mittens rei ablatæ, aut destructæ pretium refundere. Hæc videtur probabilior.

Prob. 1. Quia ut fur debite restituat, debet ponere æqualitatem realem inter ablatum & redditum; sed quamdiu res ablata non pervenit ad manus domini, non ponitur æqualitas: ergo si antea pereat, manet debitor obligatus ad æqualitatem ponendam.

Prob. 2. Si res illa inter manus debitoris periret, periret debitori, ut constat; atqui nuntius ferens gerit personam debitoris: ergo.

Dices 1. Si fur rem ablatam tradat confessario, ut eam reddat domino, censetur communiter satisfacere: ergo etiam si tradat nuntio fideli.

Resp. dist. ant. Censetur communiter satisfacere, quia medium illud est ordinarie securum, C. quia ad nihil amplius tenetur, si Confessarius deficiat, N.

Dices 2. Restituens per amicum fidelem, prudenter se gerit: ergo non tenetur ad plus.

R. dist. consequens. Non tenetur ad plus, si res perveniat ad dominum, C. alias N., prudenter quidem agit, sicut prudenter ageret, se ipsemet referret, sed sicut non obstante illa prudentia, teneretur rei pretium refundere, si spoliaretur in via, ita similiter teneretur rei pretium si pereat apud nuntium, qui censetur illius personam agere.

Dices 3. Non tenetur per seipsum restituere: ergo satisfacit per alium.

Resp. dist. conseq. Satisfacit per alium, si hic de facto restituat, C., si non, nego.

Dices 4. Perit res creditori, ubi ipsemet convenit de nuntio; sed in nostro casu tacite consentit, ubi sibi res sua per nuntium fidelem remittatur: ergo.

Resp. dist. min. Tacite consentit, quantum ad hoc, quod potius per fidelem, quam in fidelem remittatur, C., quantum ad hoc, ut si res transmissa pereat, sibi pereat, N., cum enim non teneatur jacturam illam subire, ita nec censetur illi consentire.

CONCL. III. Res debitæ ex contractu transferuntur cum periculo creditoris, ubi remittitur idem numero, ac fuit acceptum, ut fit in commodato, deposito, &c. è contra cum periculo debitoris, ubi tantum redditur idem in genere aut specie, ut fit in mutuo, emptione, &c.

Prob. 1. pars; quia sicut quælibet res dominum suum clamat, ita & domino suo perit; atqui in contractibus, ubi reddendum est idem numero, res semper manet sub dominio creditoris: ergo si pereat, perit creditori, & non debitori, nisi ex parte hujus culpa intercesserit, de qua diximus initio disputationis primæ.

Prob. 2. pars; quia in contractibus; ubi non idem numero, sed tantum specie restituendum est, rei transmissæ dominium est penes debitorem, tamdiuque ipsius est, quamdiu necdum ad manus domini pervenit, & consequenter si in via pereat, perit debitori tamquam domino. Excipe tamen, nisi illam tradidisset personæ ab ipso creditore designatæ: aut debitori dixisset dominus: *Cuicumque illam tradideris, mihi traditam habuero*: tunc enim eo ipso quo traditur nuntio (fidei tamen) transfertur dominium creditori, adeoque & periculum. Ex dictis

Resol. Si per nuntium habitum fidelem remittat debitor pallium commodatum & simul pecuniam ex mutuo, aut emptione debitam, teneri ad restitutionem pecuniæ, non pallii, si nuntius cum omnibus aufugiat, aut omnia in itinere perdat; quia pallii dominium erat penes creditorem, pecuniæ autem, penes debitorem. Idem dic in similibus.

Q U Æ S T I O V.

Quo tempore restituendum, quot peccata incurrant differentes, & quid cum illis agendum?

CONCL. I. Debita ratione rei acceptæ, aut injustæ acceptio- nis sunt restituenda quamprimum moraliter: debita autem ex contractu, tempore præfixo, ubi determinatum est, alias quando rationabiliter urget creditor. Tres partes continet conclusio.

Prob. 1. pars; quia ubi quis novit se habere alienum, potest-

que illud domino comparenti reddere; secundum omnes reputatur iniquus detentor; si differat: ergo signum est teneri quamprimum moraliter.

Confir. Quia licet præceptum illud sit formaliter affirmativum, cum præcipiat actionem, æquivalet tamen huic negativo: *Non retinebis alienum*: atqui præceptum negativum obligat pro semper, id est, omni instanti: ergo debet statim adimpleri.

Dixi: *Quamprimum moraliter*, id est, data opportunitate; & ideo esset excusandus ille, qui tempore officii divini, laboritii, honestæ recreationis, &c. memor factus restitutionis faciendæ, illam paululum differt, eo quod non censeatur pro tempore modico invitatus rationabiliter dominus: sicut nec censeri debet, quando fit dilatio ob viarum difficultates, latronum multitudinem, nimiam creditoris distantiam, &c.

Quanta autem requiratur dilatio ad peccatum mortale, pendet à prudentis viri judicio, attendita temporis longitudine, restituendi opportunitate, sicut & domini renitentia & detrimento: quæ si reputantur gravia, gravem inducunt culpam; si levia, levem.

Prob. 2. pars, quia contractus in tantum obligant, quantum sonant, & ideo ubi in illis tempus solutionis præfixum est, tempus servandum est: etiamsi non urgeat dominus, quia dies præfixa interpellat pro domino, ut patet ex cap. finali *de locato & conducto*.

Prob. 3. pars, quia certum est, debitum esse aliquando solvendum, sed ubi tempus non est determinatum, nullum assignari potest convenientius, quam dum creditor urget rationabiliter ad solutionem: ergo. Excipe tamen, nisi creditor obliviosus, impotens, aut timidus illud non exigeret, quia tunc non potest præsumi dilationem longiorem concedere, sicut præsumitur, quando advertenter & libere illud non exigit. Ex dictis

Resol. 1. Non restituentem, quando potest, & omnibus attentis, urget restitutio, esse in continuo statu peccati mortalis: adeoque esse omnium Sacramentorum incapacem, licet restituere proponeret.

Resol. 2. Potentes restituere, salva fama, tempore infirmitatis, aut ante, reos esse, si contenti sint id injungere hæredibus per testamentum; quia cum tunc possint, & non velint, censentur tantum velle restituere, si moriantur quod est inordinatum. Ubi autem fama periclitatur, possent per testamentum, aut codicillum summam debitam creditori legare, aut per confessarium, aut aliam probæ fidei personam restitutioni modo secreto providere.

Resol. 3. Non semper esse accusandos peccati gravis procrastinantes solutionem ex contractu debitam, licet creditor quandoque urgeat; modo ex dilatione nullum, aut leve subeat nocumentum, & aliunde nullum sit debiti perdendi periculum. Ratio est, quia cum dilatio non sit creditori graviter injuriosa, non censetur etiam graviter invitatus, nisi id sufficienter ostendat.

CONCL. II. Tot numero peccatorum reus est differens in iuste restitutionem, quot vicibus renovat intentionem non restituendi moraliter interruptam, aut quoties post interruptionem moralem, suæ obligationis memor factus, illam tamen negligit, & procrastinat.

Ratio petitur ex lib. 2. Sentent. ubi dicitur, unitatem, aut multipliciter peccatorum numericam desumi ex unitate, aut multipliciter morali actionum.

Ubi tamen pœnitens non potest propter temporis longitudinem, aut sæpius iteratam interruptionem, peccatorum multitudinem assequi, debet confessario statum suum aperire eo meliori modo, quo potest, declarando nempe spatium temporis, et interruptionum consuetudinem, v. gr. quod ter, aut quater in septimana vellet & non vellet restituere, ex quibus prudens confessarius peccatorum numerum aequaliter colliget.

CONCL. III. Absolutionem denegare debet confessarius, non tantum restitutionem facere nolenti, aut per partes restituenti, cum possit totum simul; sed etiam illi, qui semel aut bis uni, aut alteri confessario promisit restitutionem facere, & tamen sine justa causa neglexit.

Ratio; quia ille de facto versatur in continuo peccato, sed qui potuit, & promisit peccatum deserere, & non fecit, non est absolvendus, ut tamquam certum supponimus ex tractatu de Sacramento Pœnitentiæ: ergo.

Dixi: *Et tamen sine justa causa neglexit*; quia si superveniant certæ circumstantiæ, propter quas præsumitur creditor dilationem approbare, aut saltem approbaturus, ubi causam noverit, potest confessarius ipsum absolvere, modo tamen habeat firmum restituendi propositum, quando opportunitas aderit.

DISPUTATIO III.

De illis quibus facienda est Restitutio.

Certum est restitutionem faciendam esse domino, ubi comparat, & nulla aliunde apprehendantur inconvenientia; sed quoniam ignotus potest esse dominus, & quandoque cognito non expedit restitutionem facere saltem immediate; ideo quædam dubia circa materiam illam in hac disputatione resolvemus.

Q U Æ S T I O I.

An res sit restituenda domino, quando ab alio ablata est?

Rem bona vel mala fide possessam surripit tibi fur. Quæritur,

an hic nesciens rem illam non esse tuam, sed alterius, debeat illam tibi restituere an domino? Tibi esse restituendum, asserit indistincte D. Thom. sed crediderim loqui de possessore bonæ fidei, & quidem non omni, ut jam dicemus.

CONCL. I. Ordinarie loquendo res ablata ab eo, qui illam bona fide, iustoque titulo possidebat, ipsi reddenda est, & non domino. Est communis.

Ratio est: quia sic facienda est restitutio, ut jus alienum nullatenus lædatur, sed ubi sit restitutio domino, & non possessori, manifeste læditur jus possessoris, cum privetur justa possessione, administratione, custodia, &c.

Dixi: *Ordinarie loquendo*: quia si ex eo quod restitutio fiat domino, nullum inde nocumentum eveniat possessori, parum interest utri fiat. Ex dictis

Resol. 1. Furantem à sartore vestem, à fullone panum, fari nam à molitore, &c. teneri ipsis, & non domino restituere. Ratio est; quia si restitutio fieret domino, exponerentur illi periculo amittendi pretium laboris, imo periculum esset ne ob præsumptam incuriam in custodiendis rebus sibi traditis, eorum officina desereretur.

Resol. 2. Rem commodatam, depositam, oppignoratam, locatam, &c. reddendam esse commodatario, depositario, locatario, &c. quia cum succedant in jura domini, quantum ad rei possessionem, aut detentionem, læduntur in jure suo, ubi aliter restituitur, suntque de omni interesse indemnizandi.

Resol. 3. Restituentem pupillo, aut minori rem ablatam à tutore, aut curatore, teneri ad secundam restitutionem, & idem est si bonum adventitium ablatum à patrefamilias restituatur filio, aut bonum commune reddatur uxori. Ratio est; quia licet illi, quibus fit restitutio, sint rei restitutæ domini: quia tamen secundum jura non habent illius administrationem, non ipsis, sed administratoribus reddenda est. Ubi tamen dominus rem sibi traditam in suam utilitatem convertisset, non esset facienda secunda restitutio.

Resol. 4. Surripientem à religioso, uxore, filio familias, &c. res in usum ipsis legitime concessas, non satisfacere restituendo monasterio; marito, patri, &c. nisi certus sit reddendas esse postea usurariis. Ratio est; quia usurarii privantur jure, quod habebant ad usum rerum illarum. Sed quid, si à pupilo, minore, religioso, uxore, &c. auferretur aliquid quod non est ipsis concessum in usum? Reddendum esset administratoribus, & ideo esset onus secundæ restitutionis, si esset inutiliter dissipatum.

CONCL. II. Res ablata à possessore malæ fidei, non ipsi, sed domino restituenda est.

Ratio est; quia talis possessor nullum jus habet in illam, adeoque nec juste potest conqueri, quod sibi non reddatur. Debet tamen restituens monere injustum possessorem de restitutione facta, ne hic iterum restituat, aut ulterius maneat in voluntate non restituenda.

di. Item & monere debet dominum, ne ab injusto detentore restitutionem aliam exigat.

CONCL. III. Ubi quis bona fide possidet alienum sine ullo jure detinendi, si ab ipso illud accipis per contractum gratuitum; debes illud domino restituere, ubi deprehendis esse alienum, si per contractum onerosum, reddere potes possessori, pretium tuum recuperaturus.

Prob. 1. pars; quia cum talis possessor nullum jus habeat in illud, etiam nullo jure debetur ipsi ejusdem restitutio, sed domino, saltem ubi fieri potest sine gravi tuo incommodo: quod addo, quia ubi illud adesset, posses reddere possessori, cum non tenearis alienum curare cum tanto tui detrimento, immo irrationabilis esset dominus, qui vellet ad plus te obligare. Excipe tamen, nisi possessor esset tibi merito suspectus, utpote quia fere nullius conscientiae, quia prodigus, quia multum avarus, quia usurarius, &c. si enim rem bona fide emptam à fure tenearis domino reddere, etiam cum jactura pretii, quia rem reddendo furi poneris illam in deteriori statu, quam esset apud te, etiam debes in hoc casu domino reddere cum tui gravamine, cum militet eadem ratio. Posses tamen expensas deducere, cum sis ipsemet, ut suppono; etiam possessor bonæ fidei.

Prob. 2. pars; quia tunc merito præsumitur, esse voluntatem domini rationabilis, ut non ipsi immediate restituas, sed illi, à quo pretium recuperaturus es, cum inde nullatenus deterioretur res ipsius, eo quod ille, sicut tu, supponatur possessor bonæ fidei, & quidem nullo modo suspectus.

Confirm. 1. Quia si dominus rei esset in tuo loco, idem vellet sibi fieri, quidni præsumi potest id ipsum velle & aliis?

Confirm. Possessor bonæ fidei potest rem alienam committere fideli nuntio, ut eam reddat domino, quidni & possessori priori, à quo similiter reddenda est domino? Monendus est tamen possessor, ut sciat rem non esse suam, sicut & dominus, ut illam repetat.

Dices 1. Non licet reddere furi rem ab ipso emptam, ut recuperetur pretium: ergo similiter.

Resp. disparit. esse, quod reddendo furi ponatur in deteriori statu, non sic in casu nostro.

Dices 2. Res clamat dominum suum: ergo ipsi, & non alteri, est reddenda.

Resp. dist. ant. Clamat dominum suum, sic ut semper debeat ipsi restitui immediate, vel mediate, C., sic ut semper immediate, N. patet ex variis casibus conclusione præcedenti relatis: quod à fortiori hic verum est ubi adest justissima causa, immo & præsumpta rationabiliter domini voluntas.

QUÆSTIO II.

An res sit restituenda domino, cum ex ea ipsi, aut alteri imminet nocumentum?

Nocumentum hic potest esse duplex, spirituale & temporale, & de utroque procedit quæstio.

CONCL. I. Lædit charitatem, qui restituit domino rem eo tempore, quo prævidet fore ipsi, aut alteri probabiliter nocivam in spiritualibus, nisi certe ex dilatione restitutionis immineret differenti grave detrimentum.

Prob. 1. pars, quia mandavit . . . unicuique (Deus) de proximo suo. Eccli. 17. Ergo tenetur quilibet ex lege charitatis impedire, quantum potest, proximi ruinam spirituales. Accedit quod præceptum diligendi proximum sicut nosmetipsos, maxime obliget in rebus ad salutem pertinentibus. Præterea sicut volentem committere duellum, aut aliud peccatum, teneor domi retinere, si commode valeo, ut hoc impediam: sic teneor à fortiori differre solutionem pecuniæ in usus animæ nocivos expendendæ.

Dices 1. Pecunia reddita non ordinatur ad peccatum alterius: ergo possum illam reddere.

Resp. dist. ant. Non ordinatur per se, C., ex malitia recipientis quam teneor ex charitate impedire, N.

Dices 2. Non mea interest, an creditor in usus malos vel bonos, pecuniam suam expendat: ergo non teneor solutionem differre.

Resp. dist. ant. Non mea interest ex lege justitiæ, C., quia non est specialiter curæ meæ commissus: ex lege charitatis, qua teneor salutem proximi sicut meam diligere, N.

Prob. 2. pars; quia non teneor cum gravi detrimento vitare peccatum illius, qui libere, & ex pura malitia vult peccare: unde si ex reddita pecunia peccet, non mihi, sed sibi debet imputare; quandoquidem illam reddendo præcise consulam damno meo vitando; non attendendo, an alter sit pecunia sua abusurus, necne. Hinc

Resol. 1. Violare legem charitatis illum, qui restituit pecuniam domino volenti cum ea luxuriose vivere, injuste litigare, beneficium emere, &c. quod à fortiori verum esset de eo, qui in talibus circumstantiis pecuniam mutuaret, cum hic minus obligetur ad pecuniæ mutationem, quam alter ad pecuniæ solutionem.

Resol. 2. Solventem pecuniam volenti cum ea corrumpere mulierem, reum esse duplicis peccati, in quantum non consultit, quantum potest, & sollicitantis & sollicitatæ saluti.

Resol. 3. Non esse causam sufficientem ad reddendam pecuniam illi, qui in salutis perniciem eadem abusurus est, quia times illius amicitiam fracturam, quidquid dicant aliqui: quia inordinatum est amicitiam fragilem præponere saluti proximi.

Resol. 4. E contra causam esse sufficientem ad pecuniæ solutionem, si iudex, monitus tamen de mala intentione creditoris, ad id me obliget; quia tunc non mihi, sed iudici culpa imputaretur.

CONCL. II. Peccat contra charitatem & justitiam reddens domino rem suam in iis circumstantiis, in quibus prævidetur ipsi, aut alteri corporaliter obfutura.

Peccare contra charitatem, conveniunt omnes peccare contra justitiam, dissentiunt aliqui.

Prob. tamen: qui aliquo modo concurrat ad inferendum proximo nocumentum, violat justitiam, teneturque ad omnium damnorum reparationem, sed reddens instrumentum homini cum eo furari, aut occidere volenti, concurrat ad proximi nocumentum: ergo. Major certa est ex hac regula, quam assignat Greg. IX. cap. finali. *De injuriis & damno dato: Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, &c. jure super his satisfacere te oportet.*

Prob. min. Quia tunc reddens instrumentum, eodem modo se habet, ac si illud commodaret, cum hic & nunc non teneatur reddere, sed qui *ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium: vel scalam sciens... commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter ad furtum faciendum intervenerit, tamen furti actione tenetur: L. Si pig-nore 26. §. 4. ff. De furtis: ergo.*

Confirm. Quia si tunc propria instrumenta ministraret, cense-retur ad damnum concurrere: ergo etiam reddens instrumenta aliena, cum illorum dominus jus nullum habeat, ut sibi reddantur in illis circumstantiis. Hinc

Resol. 1. Reddentem scalas, aut clavem adulterinam domino, qui scitur illis usurus ad furandum, teneri ad restitutionem nocu-menti illati, fure deficiente.

Resol. 2. Restituentem gladium, à quo prævidetur dominus, aut alter occidendus, esse homicidam, tenerique de damno secuto in alterius defectu. Hæc tamen conclusio eodem limitanda est, ac precedens, id est, ubi quis potest rem alienam detinere sine gravi suo nocumento: si enim ex detentione immineat sibi æquale aut gravius damnum, quam immineat alteri ex restitutione, potest alienum restituere, cum in pari casu tenearis potius tibi, quam alteri consu-lere: nec censis propterea damno alterius cooperari, eo quod non illud, sed præcise tui incolumitatem intendas.

Q U Æ S T I O I I I.

An liceat & valeat Restitutio facta creditori creditoris:

Debeo 100. aureos Petro, qui & totidem debet Paulo. Quæritur, an satisfaciam dando 100. aureos Paulo?

CONCL. I. Ordinarie illicita est talis restitutio, ubi fit contra voluntatem immediati creditoris. Ratio est, quia taliter restituens assumit officium judicis: quod non licet personis privatis.

Confirm. 1. Non licet creditori à debitore solutionem negante aliquid auctoritate propria accipere: ergo nec à fortiori licet mihi rem creditoris, aut creditori debitam, dare illius creditori.

Confirm. 2. Quia creditor meus habet jus, ut sibi, & non alteri, solvam: ergo si non illi, sed alteri solvero, injuriam patitur. Hinc

Resol. 1. Si accepisti à me equum commodato, locato, aut deposito, & sciens me debere fratri tuo 100. florenos, equum meum des fratri in solutionem, peccas mortaliter, tenerisque de omni damno inde secuto.

Resol. 2. Etiam hoc verum esse, licet scires me nolle fratri tuo solvere; quia non est tuum, sed judicis solutionem procurare: forte aliud esset, ubi posset creditor, servatis justæ compensationis regulis, clam sibi ipsi solutionem facere. Et ideo dixi in concl. *ordinarie.*

CONCL. II. Valida est in foro conscientiæ talis restitutio, seu liber sum in conscientia ab alia restitutione facienda: modo tamen inde nullum damnum aut præjudicium patiatur creditor immediatus.

Ratio est; quia tunc non infero damnum Petro; cum per hoc sit liber à restitutione, quam debuisset ipsemet facere Paulo, immo æquivalenter censeor Petro restituere, cum ipsum liberare à debito 100. aureorum, & dare ipsi 100. aureos, æquivalent à parte rei.

Dices: talis solutio injuriosa est creditori: ergo.

R. dist. ant. Injuriosa est cum damno temporali, C., sine tali damno, N., & ideo dicimus esse illicitam, non invalidam.

Dixi: *In foro conscientia*; quia nulla est in foro contentioso, idque ad evitandas lites, ut patet ex L. *Invito. Cod. solutionibus*; nisi certe utrumque debitum esset propter eandem causam contractum; & ideo si conduxi domum à Petro, qui eam conduxerat à Paulo, satisfacio dando solutionem Paulo, L. *Utrum præsentem, ff. de const. pecun.*

Dixi etiam: *Modo tamen inde nullum damnum, &c.* si enim ex solutione facta creditori remoto, damnum patiatur creditor meus immediatus, v. g. quia ex solutione sibi facta lucrum reportasset, aut quia creditor remotus iterum debitum exigit, &c. teneor illum resarcire.

Q U Æ S T I O I V.

An bona, quorum dominus est ignotus, sint restituenda pauperibus, quo jure, & qua inquisitio antea facienda?

Suppono 1. Nomine *ignotorum* non venire huc defunctos: cum enim habeant hæredes sive liberos, sive necessarios: sive ab intesta-

ta, sive per testamentum, sive per legem, aut sententiam; ita etiam bona, quæ ipsorum erant, aut esse debebant, dum viverent, sunt hæredibus restituenda; ita ut si bona defuncti sint propter crimen fisco adjudicata, fisco sunt restituenda: si Regi, aut Toparchæ loci per legem, aut consuetudinem derelicta, ipsis sint reddenda.

Suppono 2. Hic nomine *pauperum* non solum intelligi personas indigentes, sed etiam ecclesias hospitalia, monasteria indigentia; immo & quælibet opera pia, ut missarum celebrationem, fundationem officii divini, altaris erectionem, &c. ut conveniunt doctores.

Suppono 3. Ubi bona sunt pauperibus eroganda, esse quidem consilii præferre pauperiores, non tamen præcepti, alias restitutio illa esset innumeris scrupulis obnoxia.

Suppono 4. Posse debitorem sibi, aut suis bona illa applicare, ubi paupertas est evidentissima, cum non sit deterioris conditionis, ac alii pauperes; quia tamen sæpe mentitur iniquitas sibi, & facile inclinamur in partem faventem carni & sanguini, consulendus est ordinarius confessarius, aut prudens, qui numquam totum applicabit debitori, licet pauperrimo, ubi contractum est debitum ex delicto, ut diximus antea.

CONCL. I. Ubi facta est inquisitio sufficiens secundum rei gravitatem, nec apparet spes dominum reperiendi, bona ipsius sunt pauperibus eroganda, saltem conditionate, sive debitor sit bonæ, sive malæ fidei possessor.

Prob. de possessore malæ fidei 1. ex communi sensu doctorum, qui secuti sunt D. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. ubi de bonis injuste ablatis sic loquitur: *Si ille, cui fieri debet restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius.* 2. Ex cap. *Cum tu*, de usuris, Alexander III. præcipit restituere usuras his à quibus sunt extortæ, *vel eorum hæredibus, vel his non superstibus, pauperibus erogare.* 3. Quia præsumitur velle dominum, ut ubi res sua non est recuperabilis, ita expendantur, ut sibi prosit ad salutem. 4. Quia non debet crimen patrociniari iniquo detentori.

Prob. De possessore bonæ fidei, quia justitia postulat, ut bona illa potius prosint domino, quam extraneo; atqui ut domino prosint in nostro casu, debent applicari pauperibus, aut piis causis: ergo. Unde licet D. Thom. sup. directe loquatur de bonis injuste ablati; indirecte tamen suam resolutionem extendit etiam ad alia, ut patet ex probatione, *quia homo, inquit debet restituere quantum potest, quod tam militat in uno casu, ac in altero.*

Dixi in concl. *Saltem conditionate*; quia etsi res vilioris pretii possit absolute dari; majoris tamen momenti, non videtur danda, nisi cum onere restituendi domino comparenti; & ideo non pauperi simpliciter, qui facile illam consumeret, sed Xenodochio, aut Monasterio pauperi est eroganda.

CONCL. II. Bona ignoti domini jure naturali danda sunt pau-

peribus. Ita Covarrubias, Aragon, De Coq, Van-Roy, & alii contra varios volentes obligationem illam tantum oriri ex jure positivo.

Prob. 1. Quia ratio naturalis dicitur restitutionem esse faciendam eo modo quo fieri potest: ergo ubi res pervenire non potest ad dominum, sic restituenda est, ut saltem ipsius utilitas ad eundem perveniat: quod fit dando pauperibus.

Prob. 2. Quia lex naturæ insinuat, ut res illa, quæ certo dominum habet, fiat potius utilis domino, quam extraneo; & consequenter, quod fit in eleemosynam pro ipsius salute convertenda.

Prob. 3. Quia præsumitur naturaliter talem esse voluntatem domini, etiam tunc dominium in rem suam retinentis; cum illud non abdicaverit, eo quod sit ignotus: unde si interrogari posset, proculdubio danda esse pauperibus responderet.

Dices 1. Bona illa post certum tempus, redire ad statum pristinum, in quo erant ante bonorum divisionem, seu devolvi ad communitatem.

R. Hoc gratis fingi; nam si etiam post 10. annos compareat dominus, & non fuerint pauperibus distributa, ipsi reddentur: quod signum est illorum dominium non transferri ad communitatem post tempus, sed penes dominum remanere.

Dices 2. Si jure naturæ deberentur bona illa pauperibus, non esset eleemosyna; sed debitum, sicque non proficerent domino.

R. Deberi pauperibus, non sic ut jus habeant ad illa, sed sic ut præsumatur illorum dominum ita velle fieri; & ita nihil impedit quominus sit proprie eleemosyna.

Dices 3. Lex naturæ communis est ethnicis & christianis: atqui apud certos ethnicos bona illa non distribuuntur pauperibus: ergo.

R. dist. ant. Est communis ethnicis & christianis, seposita fide, C., supposita fide, sub distinguo, in aliquibus rebus, v. g. quod non sit occidendum, furandum, &c. C. In omnibus, N. Hocque patet in Sacramentis, quæ lex naturæ, supposita fide, dicitur non esse indigne tractanda. Jam autem obligatio naturalis distribuendi illa bona pauperibus oritur ex lege naturæ illuminata per fidem de immortalitate animæ, pro cujus salute bona illa in eleemosynas expenduntur.

Dices 4. Bona præfata quandoque à Papa, aut Rege convertuntur in alios usus; atqui hoc non possent, si ex lege naturæ danda essent pauperibus, cum in lege naturali non possint dispensare: ergo.

R. Quando Papa convertit in usus pios, aut Ecclesiæ necessarios, non agere contra conclusionem, cum ut diximus, nomine *pauperum* veniant & opera pia; dum autem componit cum debitoribus, supponit illos esse pauperes attenda sua conditione. Reges autem non applicent sibi illa bona, nisi ubi id exigit bonum commune, ob quod possent etiam aliorum bonorum dominia transferre.

CONCL. III. Antequam bona illa distribuuntur, facienda est inquisitio domini juxta bonorum qualitatem, id est, major, vel minor pro gravitate, vel levitate rei, prout dictaverit vir prudens & conscientiosus.

Ratio est; quia antequam facta sit illa inquisitio, non debet haberi dominus pro ignoto. Si quæ autem pro inquisitione fieri debeant expensæ, illas facere tenetur debitor, si bona illa habeat ex actione injusta; alias desumendæ sunt ex creditoris ignoti bonis.

Resol. 1. Eum, qui invenit bursam cum 100. aureis, non satisfacere suæ obligationi, si tantum in loco, ubi reperta est, de domino inquirat; sed debet insuper in pagis, & in urbibus vicinis, immo & in remotioribus, in quibus suspicatur posse reperiri, inquirere & ulterius, si (applicatis ad locorum compita chartulis) necdum compareat dominus, debet bursa, antequam detur pauperibus, per unum aut duos annos retineri juxta apparentiam domini reperiendi. Aliud esset de annulo, horologio portatili, aut paucis nummis; illa enim, facta in Ecclesiis loci rei inventæ manifestatione, ac elapso à die manifestationis uno, aut altero mense, possent distribui, nisi circumstantiæ aliud insinuarent.

Resol. 2. Teneri ad restitutionem domino comparenti, qui ante distributionem non præmisit inquisitionem debitam. Ratio est; quia culpa sua dominum ignoravit; ob culpam autem alterius non debet quis privari re sua.

Resol. 3. Si, domini facta inquisitione sufficienti, res data est pauperibus, non teneri possessorem restituere domino comparenti, cum jam restituerit eo modo, quo poterat & tenebatur; tenerentur tamen pauperes; si res adhuc in se exstaret, aut inde facti essent ditiores: quia probabilius est, donationes illas esse implicite conditionatas, si nempe dominus non compareat: nec credibile est dominum velle aliter donari, saltem ubi agitur de rebus alicujus momenti.

Resol. 4. Ubi confessarius, parochus, aut vir prudens bona illa reliquit possessori, tamquam pauperi; nihil teneri possessorem restituere domino comparenti, etiamsi ad pinguiorem fortunam venerit, si inde non factus sit ditior. Ratio est; quia tunc eodem modo loquendum est de possessore, ac de alio paupere. Præterea non tenetur ratione rei acceptæ, cum nec in se, nec in æquivalenti subsistat: non etiam ratione injustæ acceptionis; quia licet ab initio fuerit iniquus possessor; ubi tamen cœpit illa tamquam pauper retinere; eo quod ignoraretur dominus, factus est possessor bonæ fidei, & juste illa retinuit, aut expendit.

Q U Æ S T I O V.

Cui sint restituenda bona incerti domini, & mediante quo?

Tripliciter dici potest incertus dominus. 1. Quando ignoratur tam in communi, quam in particulari; & de illius bonis loquen-

dum est, sicut quæstione præcedenti. 2. Quando ignotus est in particulari, sed notus est in communi, ut accidere potest in depredatione urbis injusta: tunc enim bonorum raptorum domini cognoscuntur esse cives in communi, sed quis sit hujus vel illius rei dominus in particulari, ignoratur. 3. Quando ex duobus aut tribus dubitatur quis sit rei dominus.

CONCL. I. Quando ex duobus aut tribus dubitatur quis sit rei dominus, non est danda pauperibus; sed proporcionate ad dubium inter ipsos dividenda.

Prob. 1. pars, quia tunc non potest dici simpliciter ignotus dominus, cum cognoscatur, saltem indeterminate, & sit alia via ipsi satisfaciendi.

Prob. 2. pars; quia cum constet unum ex illis esse dominum, nec appareat ratio sufficiens; cur sit potius hic, quam alter, postulat æquitas, ut fiat divisio.

CONCL. II. Quando ignotus est dominus in particulari, sed notus in communi, facienda est similiter divisio eo meliori modo quò potest, attentis circumstantiis bonorum, personarum, locorum, temporum, &c. ut magis patebit ex resolutionibus sequentibus.

Resol. 1. Quando civitas, pagus, provincia injuste spoliata est, non expedire ut vastatores restituant particularibus, sed magistratui, aut Episcopo loci, qui restitutiones dividant proporcionate ad uniuscujusque jacturam.

Resol. 2. Eos, qui fraudarunt vendendo vinum, cerevisiam, aut alios liquores, mensura minori: carnes & alia, statera dolosa: item & illos, qui per monopolium auxerunt pretia rerum, debere ad eorum officinam venire solitis vendere deinceps viliori pretio, ut sic paulatim refundant, quod paulatim abstulerunt. Quod si fraudaverint extraneos, jam omnino ignotos, debent pauperibus, aut usibus piis proporcionate applicare.

Resol. 3. E contra debere mercatores, qui variorum opificum salaria fraudaverunt, eorundem dietas deinceps augere, sit, ut quantum fieri potest, ponatur æqualitas inter retentum & restitutum.

CONCL. III. Ubi bona incerti, aut ignoti domini distribuenda sunt pauperibus, aut dividenda inter incolas alicujus urbis, aut pagi injuste vastati, consilii est, non præcepti, ut hoc fiat auctoritate Episcopi, aut parochi.

Prob. 1. pars; quia cum illi melius nosse possint uniuscujusque paupertatem aut detrimentum, etiam cum majori æqualitate possint bona illa dividere.

Prob. 2. pars; quia nulla lege id præscribitur: unde quando contrarium videtur insinuare D. Th. congruentiam ostendit, non obligationem: & ideo expedit, ut distribuens semper adhæreat consilio viri prudentis & experti. Excipitur tamen in jure casus unus, in quo per Episcopum, aut ejus auctoritate, fieri debet distribu-

tio, quando nempe bona incerta fuerunt usurariorum manifestorum, qui testamentum fecerunt, aut jam defuncti sunt. Patet ex c. *Quamquam*, 2. De usuris in 6. Item authentica unica *Omnis perigrini*, Cod. *Communia de successione* ubi statuitur: ut si peregrini intestati decederunt, ad hospitem nihil deveniat, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri possit, hæredibus tradantur vel in pias causas erogentur.

Q U Æ S T I O V I.

Quibus applicandæ sint res inventæ?

Quadruplicis generis sunt res inventæ, aliæ sunt, quæ nunquam habuerunt dominum: ut gemmæ, lapilli, & similia à natura producta: aliæ sunt, quæ dominum habuerunt, sed jam moraliter non reputantur habere, ut veteres thesauri in terra, aut alibi absconditi: aliæ, quæ non ita pridem habuerunt dominum cognitum, ut pallium, gladius, bursa, aut quid simile in via, in Ecclesia aut alibi repertum; aliæ denique, quæ in naufragio ejectæ reperiuntur in littore: de duabus primis agemus suo loco. Hic de duabus ultimis.

CONCL. I. Res inventæ quarum dominus non ita pridem fuit cognitus, applicandæ sunt pauperibus eo modo quo res, quarum ignotus est dominus. Est Scoti 4. dist. 15. q. 2. §. *Ad argumenta*, estque communis contra quosdam recentiores volentes esse inventoris, cujus sententiæ primus auctor dicitur Soto.

Prob. 1. Ex catechismo romano, parte 3. c. 8. n. 17. *Si rerum, inventarum, dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.*

Prob. 2. Eodem modo loquendum est de rebus inventis ac de illis, quarum ignotus est dominus, sed hæc distribui debent pauperibus; ut diximus, ergo & illæ.

Prob. 3. Quia res inventa habet alicubi dominum, ergo de illa secundum præsumptam rationabiliter ejus mentem disponendum est; quæ sane est: ut si res non possit ipsi prodesse temporaliter, prosit saltem æternaliter.

Dices 1. Vetus thesaurus fit inventoris: ergo & res alia.

Resp. Jura sic disposuisse de primo, quia præsumitur non habere dominum, non sic de aliis.

Dices 2. Fera per fugam elapsa, fit primo occupantis; ergo & res inventa primo reperientis.

Resp. Sicut antè; primum fieri ex dispositione juris, quæ hic non reperitur, sed potius contrarium.

Dices 3. Res perdita desinit humanitus esse domini: ergo fit primo capientis.

Resp. dist. ant. Desinit humanitus, &c. Hoc sensu, quod non

possit ipsi amplius prodesse ad humanum convictum, C., hoc sensu quod non possit ipsi prodesse ad salutem, N.

Dices 4. Potius præsumendum est, velle dominum, ut remaneat apud inventorem, quam tradatur pauperibus, cum apud illum sit facilius repetibilis, quam apud pauperes.

Resp. dist. antec. Potius præsumendum est, &c. cum adhuc resta spes aliqua rei recuperandæ, C., dum nulla est, ut supponimus, N.

Petes, quid agendum ipsi, qui rem inventam bona fide retinuit?

R. Debet illam, aut æquivalentem restituere pauperibus, si adhuc supersit, aut ex ejus consumptione factus sit ditior: quod non facere debet domino comparenti, si necdum sit pauperibus distributa. Si tamen illam bona fide consumendo non esset factus ditior, nec domino, nec pauperibus teneretur quidquam restituere; non quidem ratione rei acceptæ, cum sit consumpta; non etiam ratione injustæ acceptionis, cum bona fide illam consumpserit.

CONCL. II. Merces aut similia in littore reperta post naufragium, non sunt primo capientis, aut fisci, sed jure communi & Belgico sunt reddenda domino intra annum comparenti.

Prob. 1. pars; quia bona illa naufraga non sunt habenda pro derelictis: etsi enim dominus quandoque illa in mare projecit, non tamen animo ea perdendi, aut dominium à se abjiciendi; sed spe se ipsum à tempestate eripiendi per navis sublevationem; & ideo non sponte, sed quasi coacte projecit. Nec refert, quod non habeat intentionem recuperandi: hoc enim non oritur ex voluntate projecta perdendi, sed ex impotentia apprehensa iterum recipiendi. Unde excommunicantur in bulla *Cœnæ*, qui bona christianorum naufragantium, in littore reperta surripiunt animo retinendi.

Prob. 2. pars ex authentica, *Navigia* Cod. *de furtis*: & ex edicto Caroli V. 10. decembris anno 1547. quo statuitur, teste Zypeo, ut bona illa domino restituantur, si intra annum compareat: hæc videntur prudenter constituta tum quia dominus illorum dominium non abdicavit; tum quia videtur durum flagellare hominem duplici virga: unde Cassiodorus lib. 4. variarum Epist. 7. *Crudelitatis genus est, inquit, ultra naufragium velle sævire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse.* Ex dictis

Resol. 1. Piscantes bona naufraga in mari, obnoxios esse restitutionis, quamvis sit justum ut pretium laboris, industriæ, & expensam restituat dominus.

Resol. 2. Idem esse de iis, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione, &c. licet fuissent ex parte, vel etiam ex toto peritura, quia transacto periculo remanent domino, estque bona illius fortuna, quod fuerint erepta: & idem est de ove, alio animali ex lupi faucibus erepto, sive adhuc vivat, sive non.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione facienda ab iis, qui damno cooperantur.

Ultra physicum damnificatorem, novem ordinarie recensentur, qui directe; aut indirecte, positive, vel privative damno cooperantes tenentur illud resarcire, ubi ejusdem sunt causæ efficaces. Hi omnes recensentur communiter versibus sequentibus:

*Jussio, consilium; consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, obstans, non manifestans.*

Dixi: *ubi sunt causæ efficaces*; quia D. Angelicus 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ad 3. requirit, ut consulens sit obnoxius restitutioni (& ideum est de quolibet alio cooperatore) *quod probabiliter credat consilium suum fuisse efficax*. Nec immerito; cum causa inefficax nullatenus influat in damnum; nam, si influeret, efficax diceretur; ubi autem nullus in damnum influxus, nulla etiam damni reparandi obligatio, cum ex solo influxu physico, aut morali oriatur. Hinc, si quis alteri ad damnum inferendum vere parato, & independentem, à mandante, aut consulente illud equidem patraturus det mandatum, aut consilium ad illius executionem, ad nihil tenebitur, quia, licet in damnum influere voluerit, & ideo peccaverit affectu, non tamen influxit.

Porro cum circa singulos cooperatores variæ difficultates, & dubia occurrant enodanda, ideo de singulis separatim breviter resolutionem dabimus.

Q U Æ S T I O I.

Quid dicendum de jubente?

CONCL. I. Jubens (per quem hic intelligimus imperantem sive expresse, sive implicite: sive potestatem habeat præcipiendi, sive non) tenetur ad restitutionem omnis damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum.

Ratio est; quia talis est vere & proprie causa damni illati, & quidem principalis; immo, secundum communem hominum existimationem, magis influens in damnificationem, quam ipsemet executor. Hinc

Resol. 1. Dominum, qui famulo præcepit alterius occisionem, teneri ad omne damnum ex homicidio secutum, non minus, ac si ipsemet physice occidisset.

Resol. 2. Non tantum teneri ad damnum, quod de facto jussit, sed etiam ad illud, quod prævidere poterat ex circumstantiis secuturum; unde si famulo præcepit combustionem horrei præcise, & attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendii, &c.

prævidere poterat plures domos inde comburendas; tenetur omnino detrimentum resarcire.

Resol. 3. Si mandans jussit occidi Joannem, & mandatarius occidat Petrum credens esse Joannem, homicidium illud, cum omni damno inde secuto, imputari mandanti, cum immediate sequatur ex ejus mandato.

Resol. 4. Non teneri jubentem ad damna ex occisione provenientia, si jusserat inimicum suum tantum excipi fustibus, mandatarius autem cultro, gladio, aut sclopeto illum interfecerit; quia non jussio mandantis, sed malitia mandatarii censetur in homicidium illud influxisse; imputaretur tamen ipsi mandanti, si sciebat, aut suspicabatur, famulum suum esse igneæ complexionis.

Resol. 5. Nobilem dicentem subditis: *Quis vestrum causam meam tuebitur? quis auferet à conspectu meo talem hominem?* vel etiam: *qui talem baculis exceperit, vulneraverit, interfecerit, &c. mihi pergratum fecerit*: esse obnoxium damno reparando, si quid inde sequatur, quia talis loquendi modus censetur jussio implicita

Resol. 6. Ubi mandans ita mandatum suum revocavit verbo, scripto, facto, ut exequens non vi mandati, sed proprio motu operetur, ad nihil teneri, cum jussio non sit causa damni, sed malitia exequentis.

Resol. 7. Si mandatarius putet jubentem non serio revocare, aut mandati revocati oblitus, aut etiam quia revocationem non recepit defectu nuntii, interim vi mandati operetur, teneri mandantem de damno secuto, eo quod mandatum illius de facto in damnificationem influat. Pœnituit quidem mandati, immo jam est forte à suo crimine absolutus, nec peccat dum fit actualiter damnificatio: attamen, quia prævie culpam commisit, ex qua oritur hic & nunc damnificatio, ipsi imputatur, non minus ac mors venefici, quem pœnituit ante mortem veneno interfecti.

Resol. 8. Denique posse mandantem non obstante mandati revocatione efficaci, ad restitutionem obligari; si nempe non obstet, & ad id teneatur ex justitia, aut etiam, si mandato suo adjunxit motivum damnificationis faciendæ, à quo etiam nunc incitatur mandatarius, quia tunc obligatur tanquam consulens.

CONCL. II. Ubi mandans es superior, tenetur etiam ad damnum; quod patitur mandatarius ex sua executione, v. gr. si propter crimen multetur, in exilium mittatur, &c.

Ratio est; quia jussio superioris continet quamdam vim & coactionem moralem respectu subditi, ita ut non tam sponte, quam coacte censeatur operari, licet non excusetur à peccato, cum absolute loquendo, potuerit & debuerit non obedire; si autem non sit superior, sed mandet vi stipendii, non tenetur, quia tunc mandatarius omnino voluntarie in se periculum assumit.

Petes 1. An si mandans (idem est si consulis) in iis circumstan-

tiis, in quibus, te deficiente, alter mandasset, teneris restituere?

Resp. affirm. Quia etsi, te non jubente damnum equidem fuisset secutum, cum tamen in illud vere influxeris, tibi tamquam causæ efficaci imputatur; cum ad causam efficacem sufficiat verus influxus, nec sit necesse, ut sine te damnum fuisset illatum; & certe si ad causam physicam efficacem sufficiat solus influxus physicus, quidni ad causam moralem efficacem sufficeret solus influxus moralis? Unde D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. docet quod quicumque est causa injustæ acceptionis, teneatur restituere: neque addit, & quod sine ipso non fuisset facta: per quod videtur retractare quod dixerat in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. ubi hoc requisierat.

Petes 2. An qui omnimode parato ad damnificandum mandat ut citius, gravius, aut atrocius id exequatur, sit obnoxius restitutioni?

Resp. Teneri ad augmentum damnificationis, cum in illud vere influxerit; non tamen ad totum, cum in damnificationem quoad substantiam non influxerit, utpote qui nihil contulerit ad actionem principalem, licet conferre voluerit, & ideo reus sit totius damni affectu.

Q U Æ S T I O I I.

Quid de consulente?

CONCL. I. Consulenti nomine intelligitur hic omnis ille, qui ad damnificationem alterum movet, allicit, persuadet, instruit, rogat, auxilium præbet, facilitatem ostendit: & hic, sicut mandans, obnoxius est restitutioni, si ex ipsius consilio sequatur damnificatio.

Ratio est; quia tunc consilium non minus censetur in damnificationem influere, quam mandatum; ergo si tunc obligetur ad restitutionem mandans, obligatur & consulens. Hinc

Resol. 1. Si quis ex consilio tuo furatus est 100. aureos, te obligari totidem refundere; si autem volenti auferre 50. consulueris, ut auferret 100. teneris ad 50. quia tantum in mediam partem influxisti, cum supponamus, furem fuisse antea efficaciter determinatum ad 50.

Resol. 2. Si è contra efficaciter parato auferre 100. à Petro, consulas ut tantum auferat 50. ab eodem, te ad nihil teneri, cum nulli facias injuriam, sed Petro commodum.

Dixi: *ab eodem*; si enim volenti furari à Petro 100. consulas ut 50. auferat à Paulo, teneris de damno huic illato, quia de facto injuriam facit Paulo, cum hic tantum habeat jus ad suam summam minorem, quantum Petrus ad summam majorem. Facis quidem commodum Petro, sed cum Pauli detrimento, quod non licet; nisi certe detrimentum esset ita leve, & Paulus esset ita dives, & liberalis, ut rationabiliter præsumeretur velle ad exonerationem Petri pauperis damnum illud sentire.

Resol. 3. Si volenti furari ab aliquo indeterminato, consulam,

ut furetur à Joanne, me obligari damnum Joanni illatum resarcire, cum sim vere causa, cur hic determinatus damnificetur.

Resol. 4. Consulentem non absolvi à restitutione, si postquam damnum consuluit, consulat ejusdem restitutionem, nisi de facto sequatur. Ratio est; quia sicut consilium non tantum fuit causa malæ voluntatis, sed etiam damnificationis realis, ita nec sufficit, quod sit causa voluntatis restituendi, nisi sit etiam restitutionis actualis.

Resol. Denique quot peccatis, quotve reparationibus sint obnoxii illi, qui consulunt docendo industriam, commoditatem, securitatem, &c. damnificandi; cum ex illo consilio tot sequantur damna reparanda, quot sequuntur nocumenta.

CONCL. II. Qui consuluit dicens esse licitam, aut illicitam actionem, aut innixus falso supposito, aut etiam promittendo, &c. liberatur ab onere restitutionis, ubi consilium ita revocat, ut ejus revocatio perveniat revera ad eum, cui consilium dedit. Secus, si consuluit proposita damnificationis, facilitate, utilitate, aut securitate.

Prob. 1. pars: quia revocans consilium in illis casibus aufert totum motivum, totamque causam, quam dederat pro damno inferendo, ita ut si alter (non obstante revocatione) operetur, non ex consilio dato, sed ex mera malitia operari censendus sit, & ideo

Resol. 1. Ubi dixisti contractum aliquem esse licitum, & postea doctior factus declaras esse usurarium, aut simoniacum, destruisque rationes, quas in oppositum attuleras, te ad nihil obligari etiam si alter contrahat. Idem est, si dixisti, aliquem jus habere ad testamentum, vel ad alius, & postea, reperta veritate, contrarium insinuas.

Resol. 2. Sic consuluerim fingens me capacem, aut doctorem, sufficere, si, ante factum, manifestem meam impositionem & insufficientiam.

Resol. 3. Eum, qui dixit Petro: *occide Paulum, quia ipse occidit fratrem tuum*, revocare sufficienter, ut sit liber à restitutione, si ostendat fratrem non esse occisum, aut saltem esse ab alio interfectum.

Resol. 4. Etiam satis esse revocationem serio intimatam, ubi solis precibus, promissis, aut blanditiis consultum est; quia tunc exequens non habet unde moveatur, nisi à seipso.

Prob. 2. pars; quia consilium datum ostendendo actionis facilitatem, utilitatem, securitatem, &c. sæpe non tollitur per revocationem, cum, ipsa posita, remaneat quandoque motivum operandi, nempe utilitas, securitas, &c. Unde ut consulens à restitutione eximatur, debet motivum illud totaliter extinguere, ita ut alter nullatenus inde moveatur: quamdiu enim motivum perseverat, verum est dicere, consultorem veluisse quidem consilium revocare, sed de facto non revocasse, hoc autem non sufficit, quia ubi causa damnificationis fuit realiter posita, ita & realiter est auferenda.

Confirm. Quia sicut non eximitur à restitutione damnorum, qui

venenum alteri propinavit, etiamsi nihil non molliatur ad extinguendam veneni virtutem, si de facto non extinguat, ita nec in nostro casu, nisi consilium revera, & totaliter sustulerit.

Dices: Ubi mandati revocatio serio & sufficienter intimata est, liber est mandans à restitutione: ergo hic similiter.

Resp. Disparitatem esse, quod mandatarius non agat suo, sed mandantis nomine, & consequenter ubi mandatum revocatum est, non censetur amplius mandans in actionem influere, qui autem consilium recipit, non agit consultoris nomine, sed suo, & ideo etsi millies dixeris alteri, *nolo utaris consilio meo*, si tamen consilium tuum moveat ad damnificationem, censeris causa illius.

Petes 1. An censetur dare consilium, inducens restitutionis obligationem, qui in aliquo consortio exponit modos subtiles & securos ad furandum?

R. neg. Si id tantum faciat recreationis, aut industriæ suæ ostendendæ causa: quia notitia illa speculativa non est de re mala, immo potest esse utilis ad præcavendos latrones; & ideo si quis audientium illa utatur in malum, soli ipsius malitiæ videtur imputandum. Excipe tamen, nisi exponens advertisset, aut advertere debuisset, aliquem inter auditores, hujusmodi cognitione abusurum; tunc enim obligaretur ad damnum secutum, iidque propter consilium interpretative datum.

Petes 2. An semper teneatur restituere, qui dedit consilium falsum & nocivum?

R. Si consultus, sit idiota, rusticus, mulier, &c. nec se ad consilium dandum ingesserit, non teneri, si bona fide processit; quia totum damnum imputari debet illi, qui, relictis peritis, imperitis consultit, si autem consultus sit theologus, confessarius, advocatus, aut vir qui in illa re aut negotio habetur expertus, obligatur, si defectu scientiæ, aut studii, male consuluerit; quia vel non debebat consilium dare, vel saltem esse sufficiens, ut sanum dare; alios deciperet rogantem; & ideo si damnum inde sequatur, etiam debet illud resarcire; habet quidem regula juris in 6. obligationem tantum oriri ex consilio fraudulento: sed consultus, qui habetur expertus, & scit se talem non esse fraudulenter respondet. Ut autem consultus evitet peccatum & onus restitutionis, sufficit si consulat secundum sententiam, quam credit, adhibito sufficienti studio, probabiliorem, præsertim si talis habeatur communiter.

Q U Æ S T I O I I I.

Quid de consentiente?

Nomine consensus intelligimus hic approbationem, complacentiam, favorem, conniventiam, promissionem, votum, suffragium, &c.

CONCL. I. Ubi consentiens efficaciter influit in alterius damnificationem suo consensu, obnoxius est restitutioni, alias non.

Prob. 1. pars: quia tunc damnificans, vere & realiter movetur ab ipsius approbatione ad damnum inferendum, non minus ac moveretur à mandato, aut consilio.

Prob. 2. pars: quia etsi consentiens semper peccet, ut patet ex Apostolo ad Rom. 1. ubi tamen suo consensu nihil ad actionem confert, non est justum, ut de damno ex actione secuto teneatur. Hinc

Resol. 1. Petrum, qui non est de numero suffragantium, consentientem electioni, aut confirmationi prælati, aut magistratus indigni, ad nihil teneri, etiamsi exterius consensum exprimat, si inde suffragantes nullatenus animentur; quod tamen ordinarie timendum est, ubi ante electionem consensus ille manifestatur suffragantibus præsertim à persona alicujus auctoritatis. Idem dic., ubi adest consensus circa furtum, homicidium, aut incendium ab aliis patrandum.

Resol. 2. Nolentem suffragari in iis circumstantiis, in quibus prævidet defectu sui voti aliquem esse injuste condemnandum, aut indignè promovendum, obligari ad restitutionem: quia tunc locum habet illud axioma: *Qui tacet, consentire videtur.*

Resol. 3. Suffragantes sententiæ iniquæ, bello injusto, electioni personæ indignæ, aut minus dignæ, teneri ad omnia damna inde sequentia tum Ecclesiæ, tum particularibus, tum Reipublicæ, &c.

Resol. 4. Etiam teneri illos, qui priores suffragantur, etsi certo sciant futuros post se sufficientes, qui sententiæ, aut electioni inique patrociniabuntur. Ratio est; quia de facto concurrunt ad damnum necdum positum. Præterea sicut qui prævenit ut causa physica damnificationem, prævenit & restituendi obligationem, ita & qui prævenit ut causa moralis.

Resol. 5. Similiter teneri suffragantes post majorem partem, ubi spes effulget, quod refragando priores sint vota sua retractaturi: quia tenentur ex justitia nihil non moliri, ut feratur justa sententia, aut fiat electio dignioris. Sed quid si prævideant, priores non esse suffragium retractaturos, adeoque indignum esse promovendum? possuntne pro indigno suffragari sine onere restitutionis? Pro hujus resolutione sit

CONCL. II. In illo casu tenentur posteriores, sicut & priores ad restitutionem. Hæc est verior; licet ipsi contradicant plurimi.

Ratio est; quia tam hi, quam illi concurrunt ad sententiam, aut electionem iniquam: quandoquidem res concludatur, & executioni mandetur, non tantum nomine priorum, sed omnium qui pro illa suffragati sunt.

Confirm. 1. Quia etsi posteriorum vota non sint necessaria ad formationem sententiæ; ubi tamen suffragantur, illam de facto constituunt, sicut & priores: quod patet à simili: nam si duo occidant hominem, & superveniat tertius, qui cum aliis occidat, hic dicetur homicidium patrasset, sicut alii, licet illi duo essent ad oc-

cidendum sufficientes. Similiter si quatuor aut quinque ad destructionem villæ sufficientibus jungatur alter, huic sicut aliis imputabitur destructio.

Dices: disparitatem esse, quod illi physice damnum inferant; suffragantes autem ultra majorem partem concurrunt quidem ad sententiam, sed omnino superflue ad damnum inferendum.

R. Quod, licet ipsis pro alio suffragantibus, adhuc promovetur indignus, aut condemnaretur innocens, ubi tamen ad sententiam concurrunt, concurrunt & ad damnum inde sequens, cum sententiæ executio, ut diximus, fiat omnium votantium nomine: unde ubi declarantur suffragia, non solet dici: talis habet vota ultra medietatem, & consequenter est electus, aut condemnatus, si habet tot vota, omnibus recensitis.

Confirm. 2. Quando suffragia sunt occulta, tenentur etiam posteriores ad restitutionem, ut volunt doctores passim, quidni & quando sunt publica, cum non minus concurrat ad sententiam, aut electionem suffragium publicum, quam occultum.

Q U Æ S T I O I V.

Quid de adulante, receptante, & participante?

CONCL. I. Adulator, seu palpo intelligitur ille, qui laudando, extollendo, adulando, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando, nobilitatem, aut generositatem opponendo, adulterium uxoris marito objiciendo, vitam pauperem despiciendo, &c. alterum impellit ad homicidium, furtum, usuram, vastationem, &c. Hinc restitutionis onus sibi imponit, si per hoc efficaciter influat in damnificationem, alias non.

Prob. 1. pars; quia adulator habet se instar consulentis, quandoquidem injuriato ignaviam, aut patientiam exprobrare, sit implicitè ultionem consulere, & sic de aliis; nec opus est, quod laudando, aut vituperando intenderit impellere ad damnificationem, sed sufficit, si prævidit, aut prævidere debuit ex tali laude, aut vituperio securitatem, aut natam esse, ad quod serio advertere debent detractores, & præsertim susurrone.

Prob. 2. pars: quia etsi graviter peccet ille, supponitur tamen nullatenus ad nocendum concurrere.

CONCL. II. Receptator malefactoris ut sic, obnoxius est restitutioni: non sic receptator malefactoris materialiter considerati. Ante probationem

Advertendum receptatorem primo modo esse illum, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem defendendo, protegendo, hospitio recipiendo, instrumenta servando, prædas emendo, aut custodiendo præbet securitatem, aut commoditatem ad executionem operis injusti.

Receptator est secundo modo, qui malefactorem eodem modo recepit hospitio, ac reciperet aliam personam, v. g. titulo amicitiae, consanguinitatis, patriæ, officii, &c. aut etiam qui eundem à satellitibus quæsitus abscondit, aut viam ad fugiendum parat compassionis ergo. Hoc notato

Prob. 1. pars; quia ille est vere causa, cur malefactor novum damnum inferat, immo & forte cur antiquum non reparat: & ideo si recipiendo, in hoc & illud influat, ad utriusque restitutionem tenebitur.

Prob. 2. pars, quia recipiens secundo modo, neque est causa, cur de novo auferat, neque cur ablata non restituat; sed præcise exercet officium, vel hospitalitatis, domi recipiendo; vel misericordiæ, ne puniatur, occultando.

Hic tamen ponendæ sunt certæ limitationes. Ac 1. nisi recipiens teneretur ex officio, aut ex regis, vel magistratus mandato, malefactores accusare, aut apprehendere; tunc enim ratione neglecti officii posset obligari. 2. Nisi constaret, malefactorem ex occultatione, aut receptione sumpturum occasionem ad vomitum redeundi; aut etiam nisi antea semel, aut bis à justitiæ ministris liberatus, adhuc nova damna intulisset; quia tunc censeretur recipiens ad ejus malefacta futura concurrere, adeoque restitutionis onus sibi imponere. 3. Nisi fugeret malefactor, ne restitutionem, cujus esset capax, teneretur facere, eo quod tunc non esset commiseratio, sed injustitia illum occultare. Ex dictis

Resol. 1. Multis restitutionibus obnoxios esse belli duces, qui dantes protectionem militibus, eosdem ad varias rapinas, extorsiones, furta, & deprædationes implicate, aut explicite stimulant: & idem est de magnatibus respectu famulorum.

Resol. 2. Peccato & restitutione oneratos esse advocatos, qui causæ iniquæ patrocinantes efficiunt per certa stratagemata, ut cliens debitor nihil restituat: contra quos Aug. epist. 54. ad Macedonium ita loquitur: *Illud vero fidentissime dixerim, cum qui pro alio ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit; socium esse fraudis & criminis.*

Resol. 3. Si fur, quem misericorditer recepisti hospitio, aut fugientem justitiæ ministros occultasti sine spe refugii imposterum, iterum ad latrocinia revertatur, te ad nihil teneri; quia non nisi per accidens relapsus ille ex opere misericordiæ consequitur.

CONCL. III. Participans potest esse aliquis ex duplici capite, nempe vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis, aut damnificationis. Participans sunt primo modo, qui partem prædæ recipiunt, aut consumunt: & hi, si noverint rem esse furtivam, tenentur illam, si existat, vel æquivalens, si non existat, restituere licet non facti sint inde ditiores; si autem bona fide acceperint, tenentur rem existentem reddere, alias in quantum facti sunt ditiores.

Participes sunt secundo modo, qui ad furtum instrumenta porrigunt, scalas deferunt, claves adulterinas efficiunt, furem, defensionis causa comitantur, excubias agunt, portas aperiunt, aut effringunt, prædas asportant, &c. Et hi omnes, si per actionem injustam concurrerint, tenentur ad restitutionem juxta modum concursus; ita ut, si in totam actionem damaificativam influxerint, tenentur suo ordine in solidum: in partem vero, si tantum ad partem damni concurrerint; quia de facto sunt cooperatores, immo potius dici debent causæ executrices.

Dixi: *Si per actionem injustam concurrerint*; potest enim in damnificatione actio duplex intervenire: una injusta per se, ut fores effringere, furibus arcas aperire &c., et hæc nullo casu licita est: alia de se indifferens; ut scalas ferre; prædam asportare, &c.: hæc etiam illicita est, & obnoxia restitutioni, si libere fiat: si autem fiat metu mortis: aut ruinæ, excusari debet à peccato & onere restitutionis, & ideo excusantur rustici, qui post injustam deprædationem angariantur à militibus, aut prædonibus; ut currus, equos, immo ut seipsos accomodent ad ferenda aut vehenda spolia; quia sive illa ferant, sive non, equidem non multum proficiunt dominis, qui ideo, simul attento gravi rusticorum periculo, non censentur rationabiliter inviti. Idem dic de coactis ad sequendos fures, modo nihil mali facere statuerint, licet ex eorum consortio magis auimentur fures ad rapinam. Similiter excusantur christiani captivi qui metu mortis remigrare coguntur pro turcis contra christianos, quibus tamen nunquam licet in christianos bombardas, aut tormenta bellica explodere, sagittas emittere, &c. cum hoc propter belli injustitiam sit intrinsece malum.

Petes: Quid dicendum de militibus, qui pagum aliquem injuste spoliaverunt? de hac re potest videri septimum Decalogi præceptum; ubi ex professo de bello egimus; hic tamen breviter,

Resp. Duces supremos teneri ad restitutionem in solidum, si mandato, consilio, consensu, conniventia, aut etiam non obstando, ad vastationem concurrerint, & idem est de officialibus subordinatis, respective ad damna à suis illata: nisi certe ipsis insciis, aut totaliter repugnantibus deprædatio facta sit: milites vero gregarios teneri etiam in solidum, si omnes una manu, mutua exhortatione, aut communi sensu processerint; si autem aliqui nullatenus sint causa damni à sociis illati; utpote quia nullum incitamentum, auxilium, aut securitatem præbuerunt, tenentur præcise in quantum nocuerunt. Hæc omnia patent ex dictis.

Q U Æ S T I O V.

Quid de muto, non obstante, non manifestante?

Ultra recensitos sex modos cooperationis positivæ ad damnifica-

tionem, tres alii negativi assignantur, quibus non impeditur damnum, quod quis potest & tenetur impedire. De his breviter.

CONCL. I. *Mutus*, id est, tacens cum deberet loqui contradicendo, dissuadendo, prohibendo, clamando, &c. *et non obstands*, seu non impediens laborando, vigilando, auxiliando, puniendo, &c. tenentur ad restitutionem damni illati, si illud impedire tenebantur ex officio, adeoque ex justitia. Secus, si tantum ex charitate.

Prob. 3. pars; Quia æqualiter damnificari potest proximus ex eo, quod quis omittat, quod debebat facere, quam si faciat quod debebat omittere: ergo ubi damnum accidit ex omissione, imputari debet non operanti, sicut ortum ex actione imputatur operanti, supposita operandi, aut non operandi obligatione.

Confirm. quia ubi obligatus ex officio, aut contractu damnum impedire, illud non impedit, censetur indirecte, & interpretative illud velle. Hinc

Resol. 1. Belli duces, magistratus & alios superiores non impediendos deprædationes, rapinas, furta, latrocinia, usuras, monopolia, fraudes, &c. ligatos esse vinculo restitutionis, cum ideo à rege, aut republica sint stipendiati.

Resol. 2. Custodibus sylvarum, agrorum, vinearum, stagnorum, viarum, gabellarum, &c. idem onus esse impositum, si permittant auferri, aut defraudari suæ custodiæ commissa. Et idem est, si ex eorum negligentia, aut incuria damnum eveniat illorum dominis.

Resol. 3. Patres-familias, dominos, tutores, curatores, &c. sibi eamdem obligationem imponere, si à suis respective subditis permittant damna inferri: quod verum est, licet tutores, aut curatores non sint stipendiarii, eo quod à potestate publica, aut consuetudine sic communiter recepta illud onus eorum officio sit annexum; & certe mirum esset, quod non prohibentes animalia sua, tenerentur de damno secuto, ut dicemus postea, non impediendos autem personas suæ custodiæ ex officio commissas, non tenerentur.

Resol. 4. Teneri famulos sub eadem obligatione impedire damnificationem sui domini, saltem ab externis inferendam; quia id insinuat eorum famulatus. Dixi: *Saltem ab externis inferendam*, quia famulus non impediens alium domesticum surripientem rem domini, peccat quidem contra charitatem, non tamen contra justitiam, adeoque nec tenetur de damno secuto, nisi certa res illa esset ipsius custodiæ specialiter demandata; aut nisi se obligasset ad omnium custodiam, tam contra internos, quam externos.

Resol. 5. Permittentes sua animalia, puta cuniculos, columbas, boves, porcos, &c. nocere proximo, teneri damnum reparare; quia qui rem possidet, debet sic illam custodire, ut ex illa nullum præjudicium sequatur alteri.

Resol. 6. Filios non impediendos furta parentum, famulos domorum, parochianos parochorum, &c. violare quidem pietatem &

charitatem, non tamen justitiam: & ideo non esse obligatos restitutioni.

Prob. 3. pars (quam contra paucos sustinet Scotus 4. dist. 15. q. 2. & alii communiter) quia restitutionis obligatio tantum oritur ex violatione justitiæ: ergo ubi sola violatur charitas, nullum est restitutionis onus.

Dices 1. Exodi 21. habens cisternam apertam, aut non ligans bovem cornupetam, tenetur de damno secuto: ergo.

Resp. Hoc oriri ex justitia, qua tenetur quilibet cavere, ne res suas sit alteri detrimento.

Dices 2. Ex Alex. III. Cap. Sicut dignum 6. De Homicidio §. Illi etiam: Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Quod ferme repetit Innocentius III. Cap. Quantæ 47. De sent. excommunicationis, ubi ait: *Delinquentibus favere interpretantur, qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.*

Resp. Eos, de quibus Alexander, non tantum subsidium negasse ad impediendum homicidium, sed etiam positive ad illud concurrisse, animum scilicet & auctoritatem præbendo, cum fuerint occidentem comitati. Ad aliud Innocentii, dico, respicere illos, qui ex officio impedire tenentur; vel respiciat privatos, dico, ipsos ibidem excommunicari, non quia justitiam violaverunt, sed charitatem.

Dices 3. Qui permittit pauperem mori fame, quia denegat panem, tenetur ad damnum inde sequens; sed solum tenetur ex charitate succurrere: ergo. Minor admittitur communiter, eo quod gravis, aut extrema necessitas non inducat debitum justitiæ. Prob. maj. quia, ut loquitur D. Ambros. relatus cap. *Pasce* 21., dist. 86. *Pasce fame morientem. . . si non pavisti, occidisti*, atqui occidens tenetur de damno: ergo.

Resp. neg. maj. Ad prob. dico, Div. Ambr. ita loqui, non quia credit tunc mortem pauperis oriri ex injustitia subsidium denegantis, sed ex ipsius immisericordia, quæ non inducit debitum restitutionis.

Dices 4. Si quis accepisset pecuniam à latrone, ut non impediret ejus latrocinium, clamando, denuntiando, &c. teneretur damnum à fure illatum reparare; atqui non violasset justitiam: ergo.

Resp. neg. min. quia tunc cum latrone paciscendo reddit ipsam audaciorem, & securiorem; adeoque modo quodam positivo in damnificationem influit, & ex illo capite restitutionis obligationem incurrit. Ex dictis

Resol. Hic ad restitutionis onus tria requiri, 1. quod possit quis damnum impedire, & quidem ut docet Scotus 4. dist. 15. q. 2. sine gravi vitæ, & honoris, aut rei familiaris nocumento. 2. quod debeat impedire. 3. quod ex justitia.

Resol. 2. Eum, qui ex odio, aut vindicta permittit alterius subs-

tantiam auferri, domum incendi, segetes vastari, &c. peccare quidem duplici peccato, uno contra charitatem tunc ad subsidium obligantem, altero contra eandem odium proximi prohibentem, at tamen non teneri restituere, eo quod justitiam non læserit.

CONCL. II. *Non manifestans* est ille, qui obligatus ratione officii, aut stipendii damnificatorem declarare, vel ante damnum ut impediatur, vel post illud ut reparatur, illud tamen reticet: hic sicut præcedentes tenetur de omni damno inde secuto; cum hic æque; immo magis ad damnum concurrat, quam duo præcedentes.

Dixi: *Qui obligatus ratione officii, aut stipendii*; quia de obligato ratione charitatis tantum idem est ac ante.

Petes: An custodes lignorum teneantur ad restitutionem multarum, quas illi, cum quibus dissimulant, tenerentur solvere deprehensi.

Suppono ex dictis antea, certo teneri ad reparationem damni domino obvenientis, idque ratione pacti, nisi certe damnum esset ita leve, aut illatum esset à persona ita paupere, ut rationabiliter præsumi posset consensus Principis, Magistratus, aut illius à quo instituti sunt custodes: ad quod non parum confert spectare consuetudinem, an scilicet cum rigore, an vero cum aliqua mitigatione debeant munus suum exercere, præsertim respectu pauperum in sylvis lignantium. Ad questionem

Resp. Probabilius negative, quia in tantum violant justitiam, in quantum negligunt res suæ custodiæ commissas; sed non est id ipsis commissum ditare rempublicam, aut arrendatarium ex multis defraudantium, sed bene ligna, vineas, &c. conservare, aut pro mercibus venditis, vel introductis vectigalia recipere: ergo. Hinc

Resol. 1. Si dissimulantibus custodibus, introductæ sint merces sine vectigalium solutione, teneri custodes refundere pretium, quod pro introductis mercibus è rata à mercatore solvendum, non tamen pretium ipsarummet mercium, quæ deprehensæ, fuissent fisco traditæ.

Resol. 2. Graviter peccare mercatores corruptentes custodes, cum ipsos positive inducat ad violandam justitiam. Unde non minus ac consulentes tenentur damnum gabellarum dominis illatum resarcire.

Resol. 3. Custodem, qui hodie recepit pecuniam pro introducendis mercibus intra aliquod tempus, teneri statim illam reddere; quia quamdiu illam retinet, semper nata est corrumpere justitiam.

QUÆSTIO VI.

Quo ordine restituere debeant illi, qui damno cooperati sunt?

Advertendum 1. Inter causas damnificativas posse aliquas concurrere æqualiter ad damni illationem; sive interim sint magis

principales, ut duo mandantes, sive minus principales; ut duo consentientes, duo non obstantes, &c. aliquas vero inæqualiter: quod accidit, dum unus mandat, alter exequitur, tertius consulitur.

Advertendum 2. Satis esse probabilem sententiam Petri Navarro volentis omnes cooperatores teneri immediate restituere, juxta proportionem influxus in damnificationem v. gr. ubi ablati sunt 12. nummi, debere mandantem restituere sex, executorem quatuor, adulatorum unum, &c. quia tamen adversatur sententiæ communi, & D. Thomæ, dicendum est, non omnes teneri immediate, sed aliquos primo loco, alios secundo, & sic deinceps.

Advertendum autem 3. Teneri illos restituere primo loco, quibus restituentibus, sequentes liberi manent, secundo loco, quibus restituentibus, eximuntur quidem posteriores, non tamen qui primo loco: hi enim tenentur illi totum refundere: quod semper fieri debet à prioribus, ubi posteriores restituerunt.

Advertendum 4. Singulos cooperatores, sociis deficientibus, teneri in solidum, ita ut mutuus v. gr. deberet totum restituere, si priores deficerent. Cujus ratio est; quod singuli in totam damnificationem influxerint. His notatis

CONCL. I. Ille ante omnes alios cooperatores restituere debet, apud quem existit res ablata. Est certa.

Ratio est; quia ille semper censetur principalis in ordine ad restituendum, licet non semper fuerit principalis in ordine ad crimen patrandum, nec mirum, cum res ubicunque sit, semper clamet dominum. Quod si res apud alterum transierit, qui eam bona fide consumpsit, tenetur in quantum factus est ditior; si mala fide, debet æquivalens cum omni interesse resarcire. Sequitur ex dictis. Ubi autem aliquis cooperatorum domino pro re ablata satisfecisset, ipsa non domino, sed ei, qui pretium solvit, restituenda esset.

CONCL. II. Ubi plures æqualiter ad damnificationem concurrerunt, tenentur singuli partem æqualem restituere, aliis tamen deficientibus, tenetur quilibet in solidum, cui debent alii postea partem suam refundere.

Prob. 1. pars; quia nulla est ratio, cur unus ad plus teneatur, quam alter; ergo omnes æqualiter.

Prob. 2. pars; quia cum fuerit quilibet causa totius damni, justum est, ut quilibet, aliis deficientibus, totum reparet.

Prob. 3. pars; quia postulat naturalis æquitas, ut supplens aliorum defectum, non ideo detrimentum patiat: quod etiam verum est: licet ipse (sine coactione tamen aut imperio) alios induxisset, proposita communi omnium utilitate; quia tunc videtur quilibet consentiendo illud onus sibi imposuisse. Aliud esset, si non in sui, sed in inducentis favorem damnum intulissent.

CONCL. III. Inter eos, qui inæqualiter ad damnificationem contulerunt, primo loco restituere debet mandans cum potestate, & secundo loco executor.

Prob. 1. pars, quia etsi physice non operetur, communi tamen hominum existimatione, ipsi tamquam principali imputatur, cum ita fiat ejus nomine & auctoritate, ut sine ipso nullatenus fieret: unde irrationabilis esset mandans & ridiculus, si ad ejus mandata velut instrumentaliter exequentibus vellet aliquid restitui. Eodem ordine præcedit cogens, sicut & ille, qui in sui favorem alterum fraude, aut precibus importunis induxit ad actionem, eo quod ex communi sententia censeatur principalis in actione.

Dixi: *Mandans cum potestate*; si enim præcipiens nullam habeat auctoritatem respectu exequentis, hic non tam ab alio, quam à se motus censetur egisse, vel certe si motus ab alio, non tamquam mandante, sed consulente, & ideo ante ipsum debet restituere.

Prob. 2. pars; quia etsi executor mandanti sit postponendus, eo quod magis famulando quam auctoritative agendo damnificaverit, attamen præferendus est consulenti & aliis, cum egerit physice, exequendo mandatum, quod secundum Deum tenebatur negligere.

CONCL. IV. Reliqui positive cooperantes videntur in ordine ad restituendum incedere pari gradu, adeoque, deficientibus recensitis; tenentur omnes immediate: ita tamen, ut qui fortius & efficacius movit executorem, majorem partem debeat restituere. Hæc est Scoto & rationi conformior.

Prob. 1. pars; quia illi omnes eodem modo influunt in actionem damnificativam, quandoquidem sive consulendo, sive consentiendo, sive adulando, &c. nihil aliud faciant, quam animare, incitare, impellere executorem, ut suo nomine ponat actum injustum: ergo si æqualiter influant, justum est, ut æqualiter damnum reparent: adeoque restitutionis onus inter ipsos dividatur; ita tamen, ut in aliorum defectu in solidum teneatur quilibet, cui debet alii partem suam refundere.

Prob. 2. pars; fieri debet reparatio propter influxum in damnificationem: ergo ubi major influxus, major fieri debet reparatio: & ideo fieri potest, ut minus restituere teneatur consulens, quam laudans, & è contra, juxta majorem, aut minorem efficaciam concursus.

CONCL. V. Tres alii negative concurrentes, ubi causæ priores deficient, tenentur, ceteris paribus, damnum resarciendum inter se dividere. Ratio est; quia sive quis taceat videns furem, sive non obstat, sive non manifestet, nihil aliud faciat, quam permittere positionem operis, quod tenebatur ex justitia impedire.

Dixi 1. *Ubi causæ priores deficient*; quia solum in defectu causarum positivarum obligantur, cum ratio dictet prius restitutionem competere positive nocenti, quam nocentem non impediendi: & certe ridiculus esset ille, ubi jam totum restituisset, si diceret; restitue mihi aliquid, eo quod me agere volentem non impediveris.

Dixi 2. *Ceteris paribus*; nam certum est, quidquid dicant ali-

qui, restituendi obligationem prius afficere prætores, aut custodes particulares, quam generales, cum illi ad damni impeditionem sit imposita cura immediata, his tantum mediata, seu invigilandi, aut prætores, aut custodes particulares suo munere fungantur.

Q U Æ S T I O V I I .

Quid dicendum de illo, cui damnificatus obligationem remittit?

CONCL. I. Quando uni æqualiter damnificantium fit plena condonatio, sive interim socii partem suam restituunt, sive non, ad nihil tenetur.

Ratio est; quia tunc damnum passus duplicem facit ei remissionem, unam partis, quam restituentibus, etiam aliis, debuisset restituere, & alteram damni residui, quod, uno vel omnibus sociis restituere negantibus, debuisset eorum loco reparare.

Dixi: *Si fiat plena condonatio*: si enim condonans tantum intendat remittere ipsi suam partem, eo quod speret alios cooperatores suæ parti satisfacturos, aliis deficientibus, debet aliorum partes solvere, & ideo si tres ad damnificationem 300. nummorum concurrerint, omnibus deficientibus, tenebitur 200. refundere, si autem desit secundus & non tertius, debebit cum tertio portionem secundi dividere, & consequenter tenebitur ad 50. nummos, & tertius ad 150.

CONCL. II. Ubi diversi cooperatores diverso ordine debent restituere, si ille, cui fit remissio, tenebatur primo loco, eximuntur reliqui, si autem secundo loco, non eximitur primus, licet eximantur sequentes.

Prob. 1. pars; quia condonatio illa tenet locum satisfactionis, sed satisfaciente illo, qui tenebatur primo loco, liberi sunt reliqui: ergo.

Prob. 2. pars; quia obligatio causæ primariæ stat omnino independentem ab obligatione causæ secundariæ; & ideo sive remittatur sua obligatio causæ secundariæ, sive non; semper manet obligata causa primaria. Quod ulterius patet: nam etsi totum restituisset auctor secundarius, adhuc tenetur primarius, non quidem domino jam contento, sed auctori secundario.

DISPUTATIO V.

De causis à Restitutione excusantibus.

Quatuor aut quinque causis à restitutione excusantes, vel potius restitutionis dilationem autorizantes assignat Doct. Subtilis 4. dist. 45. quæst. 2. quas, & quasdam alias hic breviter expendimus.

Porro inter causas illas annumerantur præscriptio, de qua posita. Item damnum, quod creditori, aut alteri eveniret ex restitutione, sicut & quando quis solvit creditori sui creditoris: de quibus jam egimus. Ultra præfatas assignantur impotentia sive physica, sive moralis, detrimentum boni superioris ordinis, creditoris remissio, compositio cum summo Pontifice, honorum cessio, ingressus religionis, compensatio ex bonis debitoris, iudicis auctoritas, quæ restant examinandæ.

Q U Æ S T I O I .

An à Restitutione excuset impotentia physica aut moralis?

CONCL. I. Certum est impotentiam physicam, cuamdiu durat, excusare à restitutione.

Ratio est; quia nemo tenetur, aut teneri potest ad impossibile. Dixi: *quamdiu durat*: quia per hoc restitutionis obligatio non extinguitur, sed sopitur, vim suam reassumptura, ubi pinguior fortuna aderit.

CONCL. II. Etiam à restitutione excusat impotentia moralis, id est, quando fieri non potest, nisi debitor longe majus incommodum patiatur ex restitutione, quam creditor ex illius dilatione. Ita Doctor supra: hoc tamen intellige de incommodo in bonis fortunæ, propter quæstionem sequentem, & quidem distincto à re ipsa restituenda; & ideo, si damnum, quod patitur debitor, non sit aliud, quam quo privetur sua pecunia, aut lucro ex ea sperato, nullatenus sufficit ad restitutionis dilationem, cum non sit justum, quod creditor privetur rebus suis, ut ex illis emolumentum recipiat debitor. Excipe tamen, nisi esset spes fundata, quod posset debitor ita lucrari cum pecunia retenta, ut etiam esset aliis creditoribus satisfactorius, quibus alias numquam satisfaceret: tunc enim rationabiliter loquendo, dilationem aliquam pati deberet creditor.

Prob. autem concl. quia in talibus circumstantiis creditor irrationabiliter invitatus dominus respectu dilationis: quandoquidem vellet ut ita secum ageretur, si esset debitor; unde tunc dicere potest debitor creditori illud Evangelii: *Patientiam habet in me, & omnia reddam tibi.*

Dices 1. Ad evitandum damnum proprium non licet alienum rapere: ergo nec alienum retinere.

Resp. Disparitatem esse, quod ablatio alieni fiat invito domino, à quo res necessaria potest exigi; retentio autem, ex præsumpta domini voluntate.

Dices 2. Non raro ob pecuniæ absentiam damnum patitur creditor ratione lucri cessantis, aut damni emergentis: ergo non est credibile velle dilationi consentire.

Resp. Ubi pecunia debita est delicto, damnum illud esse à de-

bitore resarciendum cum sit injustum, ut damnificetur dominus ob crimen debitoris, ubi vero debita est ex contractu, damnum cedit domino, qui censetur illi incommodo se exposuisse contrahendo. Hinc

Resol. 1. Non teneri debitorem vendere domum, villam, &c. multo minoris quam valeant, ad debitam solutionem, si spes affluat aliunde postea satisfaciendi.

Resol. 2. Nec teneri à fortiori artificem vendere instrumenta, quibus victum quotidianum sibi comparat, sicut nec plebejum proprias vestes, lectum, pauca utensilia, quibus actualiter utitur, cum non sit justum & christianum, ut quis obviaturus creditoris incommodo in tantam extremitatem redigatur.

Resol. 3. Non esse obligatum nobilem debiti solvendī ergo, artem mechanicam, ut actiones suo statui indecentes exercere; tenetur tamen vestium pompam, hortorum superfluitatem, mensæ abundantiam, famulorum, equorum multitudinem ad honestam mediocritatem reducere; cum sit irrationabile, quod ex mercatorum sudore pompose vestiatur, & delicate nutriatur.

Resolutio 4. Ubi quis usuris, fraudibus, monopolis, aut similibus statum fecit sibi notabilem, deberet cum status jactura restituere; cum (ut ait Soto) hoc non sit de suo statu cadere, sed ab eo, qui non erat suos, ad suum descendere: nec minor est iniquitas ex alienis statum conservare, quam ex alienis illum stabilire.

Resol. 5. ex Scoto supra, quando ex dilatione solutiones æque damnificatur creditor, ac ex restitutione debitor, statim esse restituendum; quia exigit naturalis æquitas, ut si ex rei absentia debeat aliquis damnum pati, potius patiaturs debitor, quam creditor.

CONCL. III. Ubi creditor aut debitor sunt in gravi aut extrema necessitate, tenetur debitor restituere saltem si habeat in specie rem creditoris.

Prob. de gravi necessitate; quia in pari causa, potior est conditio creditoris, quam debitoris; atqui uterque gravi necessitate premitur: ergo. Quod verius est, ubi debitum contractum est ex delicto, cum ratio dictet, potius favendum esse innocenti, quam nocenti.

Prob. De extrema (quod sustinent Scotistæ cum suo duce & quibusdam aliis) quia hic etiam militat ratio prioris partis. Accedit, quod ubi quis est dominus, & alter extraneus respectu panis hic & nunc necessarii, fit dominus extraneo præferendus; atque in nostro casu, creditor est vere dominus, & debitor extraneus, cum illius rei dominium numquam habuerit: ergo. Deinde si hoc esset, crimen faveret reo, cum, patrato furto, esset domino præferendus, & illo secluso, postponendus.

Dices 1. Tenetur quilibet magis servare vitam propriam, quam alienam: ergo.

Resp. dist. ant. Tenetur ex mediis licitis, C., illicitis, quale

est privare dominum re sua ipso totaliter invito, N. Unde sicut ob vitæ conservationem non potest latro suspendendus suspendentem occidere, quia tortoris mors est injusta, latronis justa; ita nec debitor panem consumere, cum conservatio vitæ domini sit justa, ipsius injusta.

Dices 2. In extrema necessitate omnia sunt communia: ergo tunc potest tuta conscientia debitor panem consumere.

Resp. dist. ant. Omnia sunt communia, ubi cum alterius necessitate non concurrit necessitas domini, C., ubi concurrit, N. Præterea dato, quod panis illo casu sit jure naturæ utrique communis; jure tamen gentium, & ratione prioris domini competit præferentia domino: & certe, si jus gentium præferat dominum extraneo in prosperitate, quidni idem faceret in necessitate.

Dices 3. Melior est conditio possidentis; atqui tunc debitor possidet: ergo.

Resp. dist. ant. Melior est conditio possidentis, ubi dubius est dominus, transeat (dico transeat, quia falsum est, si sit possessor malæ fidei). Ubi certus est dominus, ut hic, N., quia jus domini prævalet juri possessionis etiam justæ, à fortiori injustæ.

Dixi in concl. *Saltem si debitor habeat in specie rem creditoris*: si enim res sit consumpta, videtur præferendus debitor; quia tunc non possidet alienum, sed proprium, cum onere tamen restitutionis, ubi opportunitas aderit: & forte in illo casu intelligendi sunt plurimi auctores sententiæ oppositæ.

Q U Æ S T I O I I.

An sint restituenda bona fortunæ cum detrimento boni superioris ordinis?

Suppono 1. Bona temporalia triplicem habere locum. Primum obtinent vita, libertas, membra, sanitas, corporis integritas: secundum honor & fama: tertium fortunæ bona; præferunt quidem aliqui famam & honorem vitæ, sed inmerito, cum honor & fama sint facile reparabiles in una aut alia patria; vita autem amissa numquam sit reparabilis. Hoc supposito

CONCL. I. Ubi non potest fieri restitutio, nisi cum gravi famæ, vitæ, corporis, aut sanitatis detrimento, potest differri. Ita Scotus supra; estque communis.

Prob. Quia juxta regulam à Scoto traditam, & ab omnibus plausibiliter receptam, potest debitor restitutionem differre, ubi rei dominus debet rationabiliter velle, ut differatur; atqui rationabiliter debet velle dominus in nostro casu; cum volendo restitutionem fieri cum tanto debitoris nocumento, violet charitatem: ergo. Monet tamen doctor, quod ubi per confessarium, aut alium virum fidelē fieri potest restitutio sine jactura vitæ, famæ, ho-

noris, &c. debeat per ipsum fieri; cum tunc cessat ratio dilationis.

Dixi in concl. *Sine notabili detrimento*: si enim non ita graviter læderetur honor, aut fama, restituendum foret; quia tunc non potest dici invitus irrationabiliter dominus; & ideo, si puella, quæ jam propter prolem ex fornicatione conceptam fuit diffamata, non possit restituere, nisi manifestando relapsam, aut etiam nisi ille, qui jam propter furta priora male audit, declaret novum furtum, tenetur uterque restituere: quia non videtur inde augeri notabiliter infamia: cum jam sint in illa materia infamati.

Dices 1. Potest bonum inferioris ordinis ita crescere, ut prævaleat bono superioris ordinis: ergo non stat conclusio. Prob. ant. Quia potest ad restitutionem obligatus, esse infimæ notæ, & bonum restituendum, esse magni momenti.

R. neg. ant. Quia quantumcumque sit bonum inferioris ordinis, semper manebit inferioris ordinis, adeoque inferius quolibet superioris ordinis; & ideo ad probationem dico: quod, sicut Angelus infimus prævalet homini præstantissimo, ita exigui hominis fama prævaleat multis fortunæ bonis, juxta illud prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.*

Dices 2. Licet argentum ex natura sua prævaleat stamno, tamen 100. libræ stamni longe superant libram argenti: ergo similiter.

Resp. Disparitatem esse, quod etsi argentum & stamnum materialiter spectata sint diversi ordinis, in quantum tamen sunt vendibilia, & pretio æstimabilia sunt ejusdem ordinis; & ideo ita potest stamnum crescere, ut sub illo respectu argentum superet; fama autem, & vita hominis in nullo ordine conveniunt cum fortunæ bonis. Ex dictis

Resol. 1. Mulierem adulteram non teneri crimen revelare, ne in bonorum divisione damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet spurium.

Resp. 2. Nec debere notarium, qui scripturam falsificavit, aut testem, qui falsum testimonium dixit, crimen suum aperire, ne alter gravetur in fortunæ bonis, quamvis teneantur alia via tutiori damnum reparare.

CONCL. II. Ubi similiter defectu restitutionis periclitarentur honor, aut fama creditoris, tenetur debitor restituere.

Ratio est: quia, ut diximus, in pari causa melior est conditio creditoris, & ideo cum debeat vel ipse, vel debitor, honoris detrimentum pati, postulat æquitas, ut potius illud patiat debitor alienum restituendo: quam creditor re sua curando.

Q U Æ S T I O I I I.

An à restitutione absolvat condonatio creditoris, aut compositio cum Summo Pontifice?

CONCL. I. Condonatio facta à creditore extinguit onus resti-

tutionis, vel ad tempus, vel pro semper, vel in totum, vel in partem, prout fuerit concessa; modo tamen sit libera, à jure non impedita, & facta ab habente potestatem.

Ratio est; quia fieri debet restitutio ne injuriam patiat dominus: atqui libere condonans non patitur injuriam, ut per se patet: ergo.

Dixi 1. *Modo sit libera*, idque omnino: & ideo invalida est, si fiat non tantum ab amente, ebrio, aut dormiente, sed etiam ab eo, qui sibi præsens est, si intercedat violentia, coactio, metus, fraus, dolus, vexatio, timor reverentialis, molestia creditoris, auctoritas, aut preces ita importunæ & repetitæ, ut mallet creditor re sua privari, quam diutius sollicitari: unde si creditor totum, vel partem remittat ob fictam debitoris inopiam, quam realem credebat, nihil factum est: sicut nec quando veritus totum perdere ob culpam, aut fraudem debitoris bona dilapidantis, aut alio transferentis, dicit se contentum media parte: cujus ratio ulterior est, quod remissio utpote quædam donatio, debeat esse omnino liberalis & gratuita.

Dixi 2. *A jure non impedita*; & ideo qui jure prohibentur donare, ut furiosi, pupilli, prodigi, sub curatela positi prohibentur & debita remittere. Item tum ex jure canonico, tum ex Tridentino invalidantur variæ remissiones: ac 1. remissio facta Episcopis ratione illius, quod ultra sumptus ad vitam necessarios receperunt in visitatione Ecclesiarum, cap. *Exigit 2. de censibus & actionibus* in 6. 2. remissio facta judici ecclesiastico, qui ultra id, quod sibi jure permissum est, aliquid recipit: cap. *Statutum 11. §. 7. de rescriptis* in 6. 3. remissio distributionum quas recepit canonicus absens, Trident. sess. 24. cap. 12. *de reformatione*. 4. remissio pecuniæ modo illicito extortæ ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis, Clement. *Nolentes 2. De hæreticis*.

Dixi 3. *Facta ad habente potestatem*: unde si famulus remittat debita domini, filius patris, frater sororis, uxor mariti: non stat condonatio nisi certe id facerent ex consensu remittere potentis.

CONCL. II. Compositio cum Summo Pontifice non excusat à restitutione, ubi certus est dominus, nec semper, ubi est incertus.

Prob. 1. pars: quia Papa neque est dominus, neque dispensator, sed potius protector & defensor bonorum christianorum, & consequenter non potest invito domino, cum onere creditoris debitorem exonerare.

Confirm. Non potest dispensare Papa in jure naturæ, ut suo loco dixi; atqui hoc faceret, si rem jure naturæ debitam creditori transferret ad debitorem: ergo. Ubi tamen deliquisset creditor, v. g. hæreticando, apostatando, &c. posset in pœnam rem restituendam relinquere debitori: si enim illo casu possit errantem multare, quidni multam, cui voluerit, assignare?

Prob. 2. pars; quia nisi compositio de bonis incerti domini ita fiat, ut omnia in pauperes, vel in pias causas expendantur, manet

obnoxius restitutioni debitor, cum jure naturæ sic debeant expendi bona incerta, ut diximus: unde si quandoque cum creditoribus componant Summi Pontifices, sic faciunt, ut partem piis operibus applicent, & aliam relinquunt debitori, quem supponunt pauperem, saltem attentata status conditione.

Q U Æ S T I O I V.

An cessio bonorum extinguat onus restitutionis, quos effectus habeat, qui possint cedere foro?

CONCL. I. Cessio bonorum est actio, qua quis debitis solvendis insufficiens, bona sua creditoribus relinquit dividenda, juxta debitorum qualitatem & proportionem. Hæc in foro conscientiæ non excusat cedentem à restitutione, immo nec in foro externo, si ad pinguiorem pervenerit. Est communis inter theologos.

Prob. Quia leges, quæ cæremoniam illam tanquam ultimum miserorum remedium statuerunt, nec excusant, nec excusare intendunt bonis cedentes à restitutione facienda, ubi fieri poterit: ergo non est, unde petatur exemptio illa, præsertim cum lex naturæ contrarium insinuet: unde restitutionis obligatio tantum sopitur, donec debitor, magis favente fortuna, sit solvendus. Patet ex L. *Cum & fili-familias* 7. cod. *Qui bonis cedere possunt*, ubi legitur: *Apertissimi juris est. . . si quid pinguius accesserit debitoribus; hoc iterum usque ad modum debiti posse à creditoribus. . . auelli*: immo ex L. 4. ff. *De cessione bonorum*, compelli potest ad laborandum, & acquirendum unde solvat, quantum conditio sui status personæ permittit: quod etiam locum habet in foro conscientiæ.

Sed quid si composuerit debitor cum creditoribus, ut solveret 40. aut 50. in 100.? Remanet obnoxius restitutioni quoad alteram partem: quia compositio illa non censetur creditoribus omnino voluntaria, cum non nisi semicoacti, seu quia non plus habere possunt, consentiant. Ad evitandam tamen omnem difficultatem, apponi deberet in contractu compositionis, *donec affulserit pinguior fortuna pro solutione residui*.

CONCL. II. Duos effectus habet in foro exteriori bonorum cessio, ubi accedunt solemnitates requisitæ. Primum est quod bonis cedens non possit incarcerari, aut incarceratus debeat liberari. 2. est, ut si post cessionem factam aliquid de novo adquisierit, non possit de eo conveniri, nisi prius extractis pro sua, suorumque sustentatione necessariis. Hæc omnia patent ex L. 1. Cod. *Qui bonis cedere possunt*. Verum quidem est quod debitam sustentationem etiam concedat lex naturæ, & forum conscientiæ, & quidem ante bonorum cessionem; sed quia lex humana ob præsumptam foro cedentis culpam ipsum omnibus privat, non permittitur in foro externo, saltem de jure communi, necessaria sustentationi retinere, nisi post cessionem illa adquisierit.

Dixi in concl.: *Ubi accedunt solemnitates requisitæ*: licet enim olim nulla requireretur cæremonia; ad tollendam tamen fraudis occasionem, voluit Ludovicus XII. ut nullus in Gallia bonis cederet, nisi præsens in judicio, & quidem distinctus, ac nuda ceruice: quod & statuit Carolus V. pro Belgio 2. octobris anno 1541. volens insuper, ut tradatur in judicio jurata Synopsis omnium bonorum; quæ ceduntur creditoribus, retinendo tamen necessaria ad victum & supelectilem.

CONCL. III. Non est permittenda omnibus solemnibus bonorum cessio, sed tantum iis, quos honeste viventes aut negotiantes depressit adversa fortuna.

Ratio est; quia jura non concedunt beneficium cessionis in favorem delinquentium, sed in favorem eorum quos calamitas, naufragium, &c. dejecerunt à priori statu. Unde si qui ex iniqua aut temeraria negotiatione, ex crapula, prodigalitate, vita luxuriosa, &c. reddantur debitorum solvendorum incapaces, non sunt cessionis beneficio donandi, sed tanquam latrones rigore puniendi; cum modus ille agendi fraudulentus eo magis sit Reipublicæ perniciosus, quo magis est sub negotiationis pallio absconditus. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Modum ignominiosum, quo tractantur certis in locis bonis cedentes, non eximere ipsos ab onere restitutionis, quidquid dicant aliqui, volentes ignominiam illam tenere locum solutionis; quia non infligitur pœna illa pro debito, sed in punitionem culpæ præsumptæ, vel res proprias negligendo, aut dilapidando, vel aliena temerarie exponendo.

Resolutio 2. Non posse bonis cedentes quidquam occultare creditoribus; alias censerentur fraudulenter agere, non tamen esset condemnandus ille, qui sine culpa sua bonis cedere coactus, pauca retineret ad tenuem sui & suorum sustentationem; quia non videtur, rationabiliter loquendo, restitutionis præceptum aliter obligare: nisi certe ipsemet creditor esset in eandem necessitatem redigendus. Vide dict. quæst. 1. hujus disp.

Q U Æ S T I O V.

An debitis gravato sit licitus religionis, ingressus, & an post ingressum liberetur à restitutione?

Suppono 1. Debitis gravatos valide profiteri, quia etsi eorum professionem annullaverit Sixtus V. illam tamen validam declaravit postea Clem. VII. relinquens in suo vigore prohibitiones & pœnas in Sixtina taxatas.

Suppono 2. Neminem posse licite ingredi religionem, nisi prius vel debita solvat, vel solvendis sufficientia relinquat, modo possit. Quia non debet omitti præceptum, quale est debita solvendi, ut impleatur consilium, quale est religionem ingrediendi.

Suppono 3. Potentem in sæculo spatio biennii, aut trienni solvere omnia debita, quibus jam solvendis est insufficientis, teneri religionis ingressum differre, & laborando, negotiando, docendo, &c. creditoribus satisfacere; quia id postulat æquitas naturalis, & alias essent rationabiliter inviti creditores: unde quæstio nostra procedit de eo, qui non potest satisfacere, nisi per longum tempus in sæculo remaneat.

Suppono 4. Eum, qui remanens in sæculo non posset debitis satisfacere defectu artis, posse ex nunc, facta creditoribus bonorum cessionem, religionem ingredi: quia per hoc nullum iufert ipsis præjudicium.

Suppono 5. Etiam licitum esse ingressum illi, cujus debita solvere promittit monasterium, aut qui prævidet æqualiter, aut melius debitis satisfactorum in monasterio, quam in sæculo; quia tunc nullatenus nocet creditoribus. His suppositis

CONCL. I. Debitis gravatus non potest licite monasterium ingredi, si possit manens in sæculo, licet per longum tempus, creditoribus satisfacere. Ita Gersonum alius, quorum sententiam approbavit Sixtus V. & Gregor. XIV. ut videre est apud Emma-nuelem Sa. Est tamen contra plurimos, quorum aliqui volunt posse statim ingredi, alii non nisi post 2. aut 3. annos, si illud tempus sufficiat debitis solvendis.

Prob. 1. Ex Script. quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; atqui debita prætermittere malum est, cum adversetur legi naturali: ergo.

Dices: Ille, cum non possit debita solvere, nisi longo tempore, censetur moraliter impotens.

Resp. neg. assumpt. Si enim volens manere in sæculo non diceretur moraliter impotens, imo teneretur longum illud tempus impendere, ut creditoribus satisfaceret, cur diceretur impotens ob supervenientem religionis suscipiendæ voluntatem?

Prob. 2. Sicut obligat nos lex naturæ ad subveniendum parentibus, ita & ad debitorum solutionem, sed non possumus religionem ingredi, relictis in necessitate parentibus: ergo nec insolutus debitis.

Dices: Obligationem erga parentes oriri ex natura: erga creditores autem tantum ex voluntate. Præterea fortius obligat primum, quam secundum, nam ubi non potest quis parentibus & creditoribus simul satisfacere, tenetur parentes præferre.

Resp. Sive obligatio oriatur ex natura, sive ex voluntate, equidem religionis ingressui præferendam esse, cum præsupponat præceptum naturale, semper consilio anteponendum: fortius quidem obligat auxilium parentibus exhibendam, sed esto, minus obligaret, quam præceptum restituendi, equidem essent parentes religioni suscipiendæ præferendi; eo quod numquam licet præceptum naturale consilio postponere.

Prob. 3. Non potest mancipium religioni se mancipare, domino contradicente, eo quod debeat ipsi operam suam: ergo nec debitor, contradicentibus creditoribus, eo quod debeat ipsis pecuniam, aut æquivalens.

Dices: Obligationem mancipii esse personalem, adeoque non posse alteri personam suam obligare, obligationem vero debitoris esse tantum realem, adeoque non impedire, quominus personam suam religioni obliget.

R. Non obligari quidem personaliter debitorem hoc sensu, quod possit vendi: obligari tamen hoc sensu, quod pro solvendis debitis teneatur se laboritio congruo applicare, & ideo datur in ipsum actio personalis.

Obj. 1. D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. *Licet, inquit, potest exhibitis rebus suis, religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere ut procuret, unde debitum reddat.*

Resp. Sanctum loqui in supposito, quod nulla, aut tenuis spes appareat restituendi in sæculo, nam dicit superius, quod habens facultatem teneatur ante ingressum satisfacere; atqui in nostro casu habet facultatem satisfaciendi, si velit in sæculo manere laborando: ergo.

Obj. 2. Præceptum restituendi non obligat, ut dictum est, quando ex solutione longe majus damnum evenit debitori, quam ex non restitutione creditori; atqui hoc accidit in nostro casu, ubi debitor privatur medio ad salutem securiori: ergo.

Resp. maj. admitti. Quia tunc restitutionis obligatio non extinguitur, sed tantum sopitur, remanetque spes fundata solutionis aliquando recipiendæ: hic autem nulla superesset. Præterea cum sæculari non desint viæ ad salutem securæ, non debet dici pati per hoc ita grave detrimentum, ut possit præceptum naturale omittere.

Obj. 3. Debitis gravatus potest ita alicui peccato esse affectus, ut sola religio possit esse remedium: ergo saltem illo casu poterit ingredi.

Resp. Ubi ant. esset verum, etiam verum esset consequens; quia cum debeat aliquis bona fortunæ exponere pro salute proximi, non censetur creditores rationabiliter inviti, sed nihil contra conclusionem, quæ intelligitur per se loquendo.

Obj. 4. Potest sponsus, non obstante sponsaliorum obligatione, religionem ingredi: ergo similiter.

Resp. esse disparitatem, quod sponsi obligatio fit conditionata, idest, *nisi voluerit fieri religiosus*; debitoris vero omnino absoluta, ubi debitum non est contractum ex liberali promissione.

CONCL. II. Ubi debitis gravatus religionem professus est, non eximitur ab onere restitutionis, adeoque consentiente superiore, debet per opera statui suo proportionata, creditoribus satisfacere. Ita D. Antoninus cum pluribus aliis.

Prob. 1. pars; quia si status matrimonialis, aut clericalis non eximat ab illo onere cur eximeret monachalis? Præterea nihil habet religio impossibile cum restitutione, ubi adest superioris facultas.

Prob. 2. pars; quia nulla apparet via ad satisfaciendum magis proportionata, quam honeste & decenter juxta status conditionem laborare.

Dixi 1. In concl. *consentiente superiore*, qui licentiam tenentur dare, ubi scienter debitis gravatum admisit, cum et tunc censetur sibi illam obligationem imposuisse: aliud esset, si inferior in sua professione debita occultasset, aut negasset: illo enim casu non teneretur ex justitia, cum prælatus nihil debeat creditoribus, possitque pro libitu de religioso tamquam totaliter suo disponere, abstrahendo, an opera, quibus ipsum applicat, impediunt solutionem, necne; imo si inferior ille sine licentia, saltem præsumpta, ex laboritio occulto satisfaciatur creditoribus, fur est & latro; cum restituitur ex alieno, eo quod quidquid acquirit monachus, adquirat monasterio; unde videat in quantam angustiam se redigat taliter ingrediens. Ubi tamen superior potest taliter ingresso licentiam concedere sine religionis incommodo, videtur ad id teneri ex charitate.

Dixi 2. *Per opera statui suo proportionata*, id est, attenda conditione personæ, v. g. an sit laicus, an simplex sacerdos, vel concionator, aut theologiæ lector, aliqua enim decent laicum, quæ dedecent clericum, aliqua sacerdotem simplicem, quæ non conveniunt theologo in sublimioribus occupato.

QUÆSTIO VI.

An extingui possit restitutionis obligatio per compensationem, aut judicis sententiam?

Duplicem assignant doctores compensationem, unam improprie dictam; quæ est occulta recuperatio debiti facta ab eo, qui nihil debet suo debitori, & de hac egimus in 7. Decalogi præceptum; alteram proprie dictam, quæ defini potest, *debiti cum debito absorptio*: sicque intervenire debent duo debita, duoque debitores ad invicem, ita ut Petrus v. g. debeat Paulo, & Paulus vicissim debeat Petro & de hac breviter hic agemus.

CONCL. I. Valida est, & licita compensatio in rebus fungibilibus, ut sunt illæ, quæ constant numero, pondere, aut mensura.

Ratio est; quia in illis non potest esse rationabiliter invitatus Dominus, cum unum commutetur in aliud omnino æquale sine ullo alicujus detrimento. Hinc si debeat tibi Petrus 20. florenos, & tu tantumdem illi, potes uti compensatione nihil restituendo: & idem est si debeat tibi 100. patacoues, & tu illi dolium vini, aut

12. raserias bladi, quæ tantidem valeant, aut etiam si retineas ipsius vinum pro tuo tritico, aut è contra, modo debitum sit utrumque certum, nec inde damnum patiat alter; & aliunde triticum, aut vinum simile possit facile reperiri. Excipiuntur tamen certi casus, in quibus non licet ipsa compensatio, saltem in foro externo, pro quibus consule dicta in 7. Decalogi præceptum.

Dixi in concl. *in rebus fungibilibus*, quia non raro illicita est in aliis rebus: cum in illis non tam facile præsumi possit voluntas alterius, eo quod non reperiantur semper similes, sicut in fungibilibus: sic si habeas equum Joannis, qui tibi debet 100. nummos, non potest ipsius equum totidem valentem retinere pro libitu, quia licet non pluris valeat, potest tamen Joannes esse erga illum specialiter affectus propter speciale servitium sibi redditum.

CONCL. II. Certis casibus excusat à restitutione; juris, aut judicis auctoritas: ac 1. excusat, saltem in foro externo (nam de interno disputabimus postea) præscriptio, seu quando quis per certum tempus à jure præscriptum possedit rem alienam, quam bona fide putabat esse suam. 2. Quando judex in pœnam injuriæ debitori illatæ privat creditorem jure ad debitum. 3. Secundum aliquos quando quis per sententiam secundum juris ordinem latam privatus est officio, beneficio, aut hæreditate, non tenetur ille, cui adjudicatur hæreditas, officium, &c. restituere, licet noverit condemnatum esse innocentem, modo non fuerit causa condemnationis; sed illis non assentior: quandoquidem judex illo casu per sententiam non transferat rerum dominium, sed præcise declaret cui jus competat: quod si fallatur; & condemnet innocentem, ubi sententiæ falsitas innotescit, debet alter restituere condemnato.

DISPUTATIO VI.

De Restitutione in particulari.

Cum varii admodum occurrant casus, quibus enodandis non sufficiunt principia generalia à nobis hactenus allata; ideo addenda fuit altera disputatio, in qua sigillatim elucidarentur. Hinc ergo agemus de restitutione ratione rei spiritualis, boni faciendi vel omit-tendi, causæ turpis, homicidii, stupri, adulterii, detractionis, & contumeliæ.

QUÆSTIO I.

An ponens impedimentum ad rem spiritualem sit obnoxius Restitutioni?

Ex bonis spiritualibus alia immediate, alia mediate, & alia remote conducunt ad animæ salutem. Immediate conducit gratia, sicut & alia, quibus ipsa adquiritur, nutritur, conservatur, augetur, ut

opera virtutum: mediate conducit religionis status, in quantum per regulas & exempla salutaria à peccato retrahit, & ad virtutem stimulet: remote autem conducunt quædam animæ bona, quorum aliqua sunt naturalia: ut memoria, intellectus, &c. Alia adquisita, ut scientia, ars, & similia, de quibus paucis tractandum.

ARTICULUS I.

Ad quid teneatur, qui alium à bono retrahit, aut ad malum inducit?

Horreant & caveant, inquit Gerson parte 2. serm. de Pœnitentia circa fin. *qui ad similitudinem dæmonum; gaudent alios secum trahere ad interitum, præsertim iuvenes & pueros; tales nescio, si potuerint unquam satis pœnitere: sufficere eis debuerat damnatio propria.* Unde refert ibidem verba tremenda Berengarii morientis: *Hodie mihi apparebit Dominus meus Jesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero propter pœnitentiam meam: vel ad damnationem, sicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere non potui.* Sed quid dixisset pius ille Cancellarius de hodiernis morum corruptoribus, qui nec corruptos ad meliorem frugem reducunt, nec reducere satagunt, de quibus sit

CONCL. I. Qui per vim, metum, aut fraudem alios induxit ad peccatum, aut ab alicujus virtutis exercitio retraxit, tenetur ex justitia concurrere, quantum in se est, ad damni illati reparationem, id est, efficaciter laborare, ut seductus opera virtutis neglectæ exerceat, aut gratiam per peccatum amissam recuperet. Est Scoti 4. dist. 15. q. 3. art. 1. quem secuti sunt plurimi tum domestici, tum extranei.

Prob. 1. Quia fraus, vis & metus annexam habent injuriam; sed omnis injuria reparari debet ex justitia: ergo. Prob. maj. quia causant aliquid involuntarii, adeoque lædunt plenam hominis libertatem.

Prob. 2. Qui alterum per fraudem, aut metum induxit, ut sibi noceret in fortunæ bonis, tenetur ex justitia damnum reparare: ergo à fortiori, qui auctor fuit ut alter sibi noceret in bonis animæ; cum hæc infinite prævaleant illis.

Dices 1. Non obstante fraude, aut metu, voluntarie peccat seductus; quandoquidem nullum peccatum nisi voluntarium: ergo nulla fit ipsi injuria.

R. dist. consequens: Nulla fit ipsi injuria ex ea parte, qua actio voluntaria est, C., ex ea parte qua intermiscetur aliquid involuntarii, seu talis dispositio, ut si fraus, aut metus non adesset, opus non fieret, N.

Dices 2. Obligatio restitutionis oritur vel ratione rei acceptæ,

vel ratione injustæ acceptionis; sed inducens nec habet, nec accipit quiddam ab alio: ergo.

R. Per injustam acceptionem etiam intelligi injustam damnificationem, ut superius dictum est: jam autem qui proximum ad peccandum induxit, ipsum maxime damnificavit, cum privaverit præcipuo animæ ornamento, nempe gratia. Ex dictis

Resol. 1. Illum, qui inspiravit falsa dogmata contra fidem, aut mores, obligari ex justitia non solum falsitatem detegere, sed etiam monendo, hortando, suadendo, Deum per se & per alios exorando, deceptum, quantum est in se, ad pœnitentiam inducere.

Resol. 2. cum Scoto, quam periculosum sit alium sollicitare & inducere ad peccatum: nam cum propter naturam nostram vulneratam, & ab adolescentia ad malum proclivem, longe facilius sit pervertere, quam convertere, vix potest inducens digno restituere.

CONCL. II. Qui consilio, aut alio modo à fraude, vi, aut metu distincto alium sollicitavit ad peccatum, etiam tenetur vi justitiæ ad damni reparationem concurrere, si sit superior, de quo intelligendus est Scotus loco citato, dum imponit consulenti sine fraude, vi, aut metu, obligationem justitiæ ad restituendum modo explicato.

Ratio est; quia superior (ut pater respectu filii, dominus respectu famuli, prælatus respectu subditi) tenetur ex officio, adeoque ex justitia, subditorum, salutem quærere: ergo si à via salutis abducat, tenetur etiam ex justitia seductum ad eandem reducere.

Dixi in concl. *Si sit superior*: nam etsi alii teneantur ex charitate, non tantum malum illatum impedire, sed etiam efficere, ut perpetratum per pœnitentiam diluatur; non tamen obligantur ex justitia, cum seducens æqualem consilio aut exemplo, committat quidem actum scandali, non tamen injustitiæ; quia scienti & sponte volenti nulla fit injuria. Accedit quod consulens alteri furtum, teneatur quidem reparare damnum tertio illatum, non tamen illud, quod ex suo facto patitur inductus: quia cum illi voluntarie se exposuerit, nulla ipsi facta est injuria. Idem dic in nostro casu, cum sit omnimoda paritas.

Dices 1. Qui damnificat alterum in bonis fortunæ, tenetur ex justitia restituere: ergo à fortiori, qui damnificavit in bonis animæ.

R. dist. ant. Qui damnificavit invitum, C., volentem & consentientem, ut fit in nostro casu, N., & ideo debet primum, utpote invitum, non secundum, utpote consentientem, indemnizare.

Dices 2. Ex allegatis deteriores sunt qui nocent animæ, quam qui facultatibus externis; sed hi violant justitiam; ergo & illi.

R. Deteriores esse, non quia committunt injustitiam sicut alii, sed quia concurrunt ad damnificationem altioris ordinis.

Dices 3. Exodi 22. præcipitur seducenti virginem, etiam sine vi, aut fraude, illam dotare: ergo.

R. Id præcipi, non in restitutionem, sed in pœnam delicti.

ARTICULUS II.

Ad quid teneatur, qui candidatum, novitium aut professum advocat à religione?

Duplex hic considerari debet restitutio; una respectu personæ advocatæ, et altera respectu religionis, à qua advocatur. Item advertendum est, an advocatio fiat ex recta intentione, an ex odio religionis: & hoc adhuc dupliciter, nempe, an fiat ex fraude, vi, aut metu; an vero tantum blanditiis, suasionibus, consilio, &c. De advocante ex recta intentione non agimus, cum certum sit ad nihil teneri, ut docet Scotus supra.

CONCL. I. Qui candidatum, novitium, aut professum, advocavit à religione, sive consilio, sive vi, sive fraude, etsi peccet graviter, immo sit à Trid. excommunicatus, si persona advocata sit virgo, aut mulier; non tenetur tamen ipsius loco religionem ingredi.

Ratio est; quia vota tum ex jure divino, tum ex natura sua debent esse summe libera; sed si quis ob commissum crimen teneatur religionem profiteri, non essent tunc libera, sed præcepta: ergo.

Confirm. 1. Quia cum in religione sint multa jejunia, multæ austeritates, voluntatis abdicatio, castitas perpetuo servanda, &c. debet illius ingressus non ex necessitate, sed ex Dei vocatione procedere.

Confirm. 2. ex praxi Ecclesiæ universalis; quæ etsi graviter criminosa, aliquando in monasterium, aut carcerem detrudat, neminem tamen ad religionis ingressum obligat.

CONCL. II. Qui candidatum, aut novitium retrahit à religione per vim: aut fraudem, tenetur ex justitia reparare damnum inde proveniens tum religioni, tum extracto; si autem retraxerit precibus, consilio, suasionem, &c. ad nihil tenetur ex justitia.

Prob. 1. pars: quia tam religioso in spe, quam religioni gravem infert injuriam: religioso quidem; quia ubi vis, aut fraus; ibi injuria; & ideo nihil non debet moliri, ut ad priorem statum reducatur; religioni vero; quia etsi religio necdum habeat jus, saltem completum in candidatum, aut novitium, habet tamen jus, ne quis per vim, aut fraudem ab ea divertatur, aut extrahatur cum illius detrimento, ut patebit ex dicendis de impediendo consecutionem boni; & ideo si ex candidato, aut novitio sperabatur utilitas temporalis; tum ratione industriæ, tum ratione paternæ hæreditatis, illa resarciri debet monasterio secundum spem major-

rem, aut minorem lucri obventuri, prout magis vel minus erat proximus ad professionem, spectatis omnibus contingentis, periculis, hominum mutabilitate.

Prob. 2. pars; quia nihil debet candidato aut novitio, cum scienti et volenti nulla fiat injuria, ut diximus de seducto ad peccatum: nihil etiam debet religioni, quia quidquid ex novitio, vel candidato sperare potest, omnino dependet à voluntate religionem ingredi, aut profiteri volentis: ergo ubi is sine ulla vi, aut fraude mutat voluntatem, nulla fit injuria religioni, adeoque nulla est restituendi obligatio.

Confirm. Quia si quis volenti relinquere monasterio diviti legatum, consulat ut potius det pauperi; vel etiam ut eleemosynam, quam decreverat dare Petro, det Paulo, nulli facit injuriam, adeoque nulli manet ad restituendum obnoxius; quia nec monasterium, nec Petrus jus habet ad illa ante acceptationem. Idem dic in nostro casu: quod etiam verum licet dissuasio fiat malo animo, aut ex odio religionis, cum per odium aut animum pravum non lædatur justitia, sed charitas.

Dices 1. Retrahens à religione per fraudem, tenetur restituere: ergo & retrahens consilio, cum tunc æque lædatur religio per consilium, ac per fraudem.

R. neg. consequentiam & ejus probationem: non læditur religio ubi intercedit fraus, quia jus habet in novitium, aut ipsius bona; cum nullum habeat acquisitum: et si haberet, etiam læderetur per consilium; sed quia jus habet, ne impediatur per fraudem à consecutione boni, et non habet jus, ne impediatur per consilium, ut magis patebit postea.

CONCL. III. Qui per vim, metum, aut fraudem retrahit professum à religione, tenetur de omni damno secuto tum religioni, tum professo; qui autem precibus tantum, aut consilio, aut suasionem, tenetur religioni, non professo.

Prob. 1. pars; quia utrique facit injuriam; ergo utrique restituendum est: religioni quidem omnia emolumenta, quæ religiosus docendo, concionando, scribendo, laborando, &c. erat ipsi procuraturus, detractis tamen expensis, periculis, & similibus: professo vero damna spiritualia; seu efficere debet omnibus modis, ut ad religionem redeat egressus, ut fusius patet ex dictis de inducente ad peccatum.

Prob. 2. pars; quia etsi professus, utpote consentiens, nullam patitur injuriam; religio tamen, quia dissentit, privaturque emolumento sibi ex labore, aut industria subditi vere debito, jus habet ut indemnizetur: & certe si possidens ex justitia arborem habet jus in illius fructus, quidni possidens ex justitia religiosum ratione contractus professionis ultro citroque obligantis, jus haberet in ipsius operas.

Obj. 1. Religiosus non tenetur ex justitia, sed ex obedientia

laborare, cum nemo obliget religiosum laborare nolentem ad restituendum: ergo sicut ille non agit contra justitiam non laborando, ita nec impediens ipsum à laborio, adeoque nihil tenetur restituere.

Confirm. Ubi non tenetur restituere causa proxima damni, nec à fortiori tenetur causa remota, cum hæc tantum teneatur defectu illius; sed hic causa proxima damni est religiosus egrediens, & remota est seducens: ergo.

Resp. Dissimulato ant. neg. conseq. quia sive teneatur ex justitia, sive ex obedientia laborare religiosus, equidem jus strictum habet religio in emolumentum ex ipsius laborio proveniens, quando est certum & reipsa futurum. Accedit, quod lucrum actuale debeatur ex justitia religioni, ut conveniunt omnes; quidni & lucrum in spe, cum sit pretio æstimabile, & quidem ab ipsa religione vendibile.

Ad Confirm. dico, illam, universaliter loquendo, esse falsam; quia ut quis obligetur ad restitutionem, sufficit quod alium impediverit à lucro, quod ex justitia erat debitum tertio, sive ille alius teneretur ex justitia, sive ex alia virtute lucrum illud facere, ut patet in injusto occisore, qui tenetur hæredibus occisi compensare omne lucrum cessans per mortem ejus, licet hic ex justitia non teneretur lucrum illud facere.

Obj. 2. Damna inde religioni obvenientia videntur sequi ex sola voluntate religiosi libere, et sine violentia egredientis.

R. quod sicut consulens alteri furtum censetur ad illud concurrere, licet alter libere furetur; ita & in nostro casu.

A R T I C U L U S I I I.

An ex damnificatione in spiritualibus, sive naturalibus, sive supernaturalibus oriatur obligatio restitutionis?

CONCL. I. Qui ex stipendio, vel ex officio, etiam gratis assumpto, suscipit onus instruendi, sive in iis quæ spectant ad fidem, sive ad mores, sive ad scientiam, sive ad artem; tenetur omnia damna reparare, quæ ex falsa & temeraria instructione consequuntur: & idem est de nocumento proveniente ex negligentia, si conductus instruat.

Ratio est, quia de facto fuit causa damnificationis sua temeritate, ignorantia, aut pigritia. Hinc

Resol. 1. Hæresiarcham, prædicatorem, confessarium, doctorem, advocatum, medicum, aut alium seminantem errores proximo nocivos, teneri ex justitia illos revocare, sive docuerit ex officio, sive non, si sciens, dubitans, aut suspicans, falsa exposuerit: quod addo; quia si ex ignorantia invincibili fecerit, tenetur tantum ex charitate respectu mali præteriti, licet teneatur etiam ex justitia respectu futuri; & ideo

Resol. 2. Si doctor, aut alius, ubi errorem suum cognovit, illum non revocet, ne ignarus aut inexpertus habeatur, ultra peccatum injustitiæ obnoxium esse restitutioni omnium damnorum inde sequentium.

Resol. 3. Professorem theologiæ, philosophiæ, grammaticæ, &c. sicut & docentem modum scribendi, legendi, numerandi, cantandi, &c. Item catechistam, concionatorem, confessarium, magistrum alicujus artis, v. g. pictoriæ, textoriæ, sartoriæ, &c. teneri restituere non tantum partem stipendii pigritiæ proportionatam, si instruendo notabiliter negligentes fuerint, sed etiam omnia detrimenta discipuli inde provenientia.

CONCL. II. Qui philtro, veneno, aut alia potione aufert ab aliquo memoriam, aut usum rationis (idem est de sensibus tum internis, tum externis) ad nihil pecuniæ tenetur pro jactura potentiae; tenetur tamen de omni damno inde secuto.

Prob. 1. pars; quia cum illæ facultates sint altioris ordinis, nullis fortunæ bonis possunt compensari, sicut nec compensari potest vita hominis. Et ideo sufficit pro illis coram Deo poenitentiam agere, ac pro injuria illata ab offenso veniam postulare, ut fuisus suo loco.

Prob. 2. pars; quia occidens hominem, ex cujus homicidio sequuntur damna familiæ, debet illa reparare, ut concedunt omnes: ergo similiter auferens ab homine facultatem, ex cujus amissione damnificatur, tenetur illum indemnizare.

Q U Æ S T I O I I.

An sit obnoxius Restitutioni, qui alterum impedit à consecutione boni?

Supono 1. duobus potissimum modis posse aliquem impediti à consecutione boni, puta officii, beneficii, dignitatis, eleemosynæ, legati, &c. 1. Precibus, blanditiis, suasionibus. 2. Vi, dolo, fraude, minis, aut metu.

Suppono 2. Bonum impeditibile esse triplex: unum, in quo quis habet jus in re, sed necdum possessionem; alterum, in quo habet jus ad rem, ratione cujus potest in judicio repeti: tertium, in quo nec jus in re, nec jus ad rem sibi competit, sed mera potestas illud sibi impetrandi, petendo, orando, inclinando. De duobus primis non agimus, cum certum sit apud omnes impediendum illorum consecutionem teneri satisfacere, eo quod manifeste lædat jus alterius, adeoque justitiam. Quæstio igitur procedit de tertio.

CONCL. I. Qui ex odio, vindicta, aut animo nocendi impedit alterum à consecutione boni ex justitia indebiti, v. g. Petrum à legato obtinendo, clericum à canonicatu, civem à magistratu, pauperem ab eleemosyna, &c. non tenetur ad restitutionem; modo non intercedat vis, fraus, aut metus.

Ratio est; quia obligatio restitutionis oritur ex sola violatione justitiæ; hic autem etsi lædatur graviter charitas, non tamen justitia.

Dices: L. 1. §. Idem ff. *De aqua pluvix arcenda*; & L. *Proculus* ff. *De damno infecto* statuitur, ut si quis sine animo nocendi aliquid in suo fundo fecerit, unde lædatur vicinus, non tenetur; & consequenter animus ille inducit obligationem restitutionis.

Resp. Leges illas non loqui de damno nocendi solitarie sumpto, sed juncto cum culpa lata, aut dolo, quo interveniente restituendum est, quo absente, minime.

CONCL. II. Qui sine fraude, metu, &c. sed tantum consilio, precibus, suasionem, aut blanditiis alterum inducit ut bonum, quod decreverat dare Petro, v. g. sibi aut amico conferat, non tenetur quidquam restituere.

Ratio est; quia facultas unicuique à natura concessa procurandi, aut retinendi bonum, ab altero libere proveniens, non læditur, nisi lædatur libertas bonum conferre volentis; sed per consilium, preces, aut blanditias non læditur; quandoquidem, eis non obstantibus, maneat integra, & plena ad conferendum, licet moveatur & alliciatur in contrarium; ergo. Hinc excusantur ab injustitia & restitutione qui consulunt, aut suadent parentibus, ut quod uni testamento reliquerunt, relinquunt sibi, aut alteri. Idem est de elemosyna & similibus.

CONCL. III. Violat justitiam, adeoque obnoxius est restitutioni, qui vi, metu, fraude, aut minis alterum impedit à consecutione boni ipsi conferendi. Est communis.

Ratio est; quia licet supponamus impeditum non habere jus ad illud bonum, habet tam jus, ne facultas, aut potestas, quam habet à natura ad illud impetrandum aut recipiendum, per vim, aut fraudem impediatur, & consequenter, si ita impediatur, patitur injuriam, ab inferente reparandam: potest autem facultas illa impediri dupliciter, nempe directe, & indirecte: impeditur primo modo, quando quis impeditur ne petat, sollicitet, aut recipiat alterius bonum, impeditur secundo modo, quando impeditur, aut custoditur collator, ne libere utatur potestate donandi, legandi, &c. et hoc impedito, impeditur & alterius potestas ad obtinendum. Porro tunc facienda est restitutio juxta spem majorem, aut minorem doni obtinendi, attentis omnibus circumstantiis.

Dices: Per preces, aut consilium non læditur facultas obtinendi. Ergo nec per fraudem.

Resp. Dispar. esse, quod preces, aut consilium relinquunt in donante facultatem ad donandum expeditam, plenam & liberam, ut diximus; & consequenter etiam facultatem liberam in donatario ad recipiendum, fraus autem, vis, aut metus, vel terrorem incutiendo, vel hominem turbando, vel objectum mutando, &c. lædat libertatem vel dantis, vel donatarii. Hinc

Resol. 1. Teneri ad restitutionem illos, qui, ne moribundus

relinquat aliquid testamento certæ personæ; legatum Ecclesiæ, elemosynam pauperi, famulo, &c. renuunt vocare notarium proficiendo testamento: saltem si vocare tenebantur.

Resol. 2. Eidem oneri esse obnoxias proles ingratas, quæ pauperibus interdiciunt accessum ad parentes infirmos, ne elemosynam impetrent.

Resol. 3. Etiam obligatos esse prælatos, qui sine causa excludunt à concursu capaces; ut facilius parentes, aut amicos ad beneficium promoveant.

Resol. 4. Similiter vinculo restitutionis esse constrictum, qui sciens Petrum, v. g. scripsisse Romam pro obtinendo canonatu, illius litteras malitiose intercipit, aut retardat, ipsum pro se, vel pro alio præventurus. Aliud esset, si habita rei notitia, ipsum præveniret currendo, aut scribendo modo non impediret ipsius litteras.

Resol. 5. E contra non teneri ad restitutionem, qui etiam vi, fraude, aut metu impedit, quominus eligatur indignus; quia nullam facit ipsi injuriam, cum nullus jus habeat, ratione inhabilitatis, beneficium petendi, vel obtinendi. Idem est, si via injusta promovendum similiter impediatur.

Q U Æ S T I O I I I .

An accepta propter actionem aliunde debitam sint restituenda?

Suppono 1. posse actionem aliquam esse debitam ex duplici capite, nempe vel ex virtute à justitia distincta, vel ex ipsa justitia: sic tenemur ex charitate proximo succurrere, & tenemur ex justitia ipsum non lædere.

Supp. 2. acceptum pro actione debita, posse dari, vel per modum pretii, vel per modum allicientis, vel sub conditione, si facta fuerit. His suppositis

CONCL. I. Acceptum pro actione debita ex virtute à justitia distincta, non est restituendum, si datum sit per modum allicientis, aut sub conditione, si autem per modum pretii, aliquando restituendum est, aliquando non.

Prob. 1. pars; quia talia munera censentur dari gratiose & liberaliter, vel absolute, si nulla ponatur conditio, vel sub conditione licite ex parte recipientis adimplenda: ergo licite possunt retineri, sicut alia gratis oblata.

Confirm. Ex praxi fidelium universali, quia constat filios accipientes aliquid à parentibus vel ab aliis, ut Ecclesias & Sacramenta frequentent, consortia perniciosia fugiant, &c. accepta retinere absque ullius reclamazione.

Prob. 2. pars; vel enim actio pro qua pretium recipitur, est spiritualis, vel non: si primum, simonia est; ergo restitui debet, sicut pretium simoniace acceptum: si secundum, non apparet restitutionis obligatio, cum pretium accipiendo non violare-

tur justitia, ex cujus solius læsione oritur illa obligatio. Hinc

Resol. 1. Accepta tamquam pretium ob Sacramentorum administrationem, aut receptionem, missam audiendam, actus fidei, aut spei exercendos, esse restituenda, eo quod illa non sint vendibilia. Vide plura de simonia.

Resol. 2. Recipientem pecunias tamquam pretium ut proximum eripiat ex aquis, domum vicini ab incendio conservet, infirmo succurrat, socium à peccato impediatur, ut graviter indigentis panem, pharmaca, aut alia subministret, non teneri restituere, quia etsi læserit enormiter charitatem nolendo prædicta exercere sine mercede, non læsit tamen justitiam.

Dices 1. Acceptio pretii illis casibus est illicita: ergo & retentio.

Resp. neg. conseq. Ut enim retentio sit illicita, non debet tantum esse acceptio illicita, sed etiam invalida: quod hic non accidit.

Inst. Venditur debitum: ergo est invalida.

Resp. dist. ant. Venditur debitum ex charitate, C., debitum ex justitia, N., indebitum autem ex justitia potest vendi, cum sit pretio æstimabile se obligare ex justitia ad id, quod erat ex tali virtute debitum.

Dices 2. cum Medina: valet hæc consequentia: iste tenetur gratis facere: ergo non potest pretium recipere, & è contra; potest pretium recipere: ergo non tenetur gratis facere.

Resp. conseq. illas esse veras, ubi quis debet gratias agere ex justitia, non ex sola charitate, propter dicta superius.

CONCL. II. Acceptum per modum pretii pro actione debita ex justitia, restitui debet. Est communis & certa.

Prob. Quia tale venditum est invendibile, cum solvens jus habeat ad actionem illam independentem ab omni pretio, unde sicut obnoxius esset peccato & restitutioni qui venderet mihi rem meam, ita & qui vendit actionem mihi justo titulo debitam.

Confirm. 1. Non licet idem bis vendere, sed hoc faceret recipiens in nostro casu, cum actionem, ad cujus exercitium stipendium sufficiens aliunde recipit, iterum venderet: ergo.

Confirm. 2. Quia donans aliquid illo casu, non transfert dominium rei suæ in donatarium, cum det coacte & involuntarie, nempe ut redimat vexationem injustam.

Dixi in concl. *Per modum pretii*; nam (exceptis muneribus & donariis liberalibus, quæ à certis personis recipi prohibentur, ac per leges reprobantur, ut dicemus postea) accepta per modum gratuita, & omnino liberæ donationis non sunt restituenda, cum liceat unicuique per leges non impedito, rei suæ dominium in alium transferre. Ex dictis hac conclusione

Resol. 1. Justitiam violare cum onere restitutionis qui ex officio, mandato, aut testamento obligati distribuere certa bona, pensiones, aut eleemosynas inter pauperes parochiæ, aut alios, aliquid pro distributione recipiunt.

Resol. 2. Idem esse de judicibus, notariis, tabellionibus, thesaurariis, Principum ministris, qui pro obeundis muneribus suis, vel ultra taxatum pretium, vel supra constitutum à Rege, aut Republica stipendium, munera suscipiunt à particularibus, ne vexent, ne alios præferant, ne solutionem retardent.

Resol. 3. Pretium esse restituendum ab iis, qui illud exigunt, aut recipiunt, ut rem inventam reddant domino, solvant debitum, depositum credant, restituant alienum, famam aut honorem ablatum reparent, eo quod illa omnia debeantur ex justitia.

Q U Æ S T I O I V.

An pretium ob abstinentiam ab opere illicito receptum sit refundendum?

Ad hujus difficultatis enodationem sufficeret quæstio præcedens; quandoquidem sit resolvenda cum proportionem ad dicta ibidem; ad majorem tamen studiosorum facilitatem, & ad declarandam circa hoc juris dispositionem, illam specialiter, brevi tamen methodo, examinabimus.

CONCL. I. Ut quis abstineat ab opere militante contra charitatem, aut aliam virtutem à justitia distinctam, potest spectato jure naturæ, aliquid recipere sine onere restitutionis, non tamen sine peccato.

Prob. 1. pars; quia sicut non tenetur accepta, propter actum ex charitate dabitum, restituere; ita nec accepta, ut abstineat ab opere, à quo tenetur tantum ex charitate abstinere, cum sit par ratio. Præterea nulla excogitari potest in accipiente, aut retinente munus in nostro casu, injustitia, ex qua sola nascitur restitutionis obligatio.

Prob. 2. pars; quia eo ipso, quo non vult ab illicitis abstinere, nisi domum, aut pretium acceperit, convincitur habere affectum ad illa, adeoque peccare.

CONCL. II. Qui pretium accipit, ut abstineat ab opere justitiæ opposito, tenetur illud restituere. Est certa.

Ratio est; quia tam ex justitia debemus abstinere ab actu injustitiæ, quam ponere actum justitiæ, atqui recipiens pretium ob actum justitiæ, justitiam violat, ut diximus: ergo & recipiens, ut abstineat ab actu injustitiæ, & consequenter tam hic, quam ille tenetur restituere. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Non esse adstrictum restitutioni, qui aliquid recipit, ne fornicetur, ne jejunium frangat, ne se inebriet; quia non tenetur ab illis abstinere ex justitia, sed aliunde.

Resol. 2. E contra obligatos esse ad restitutionem pretium accipientes, ne furentur, usuras exercent, adulterentur, lædant honorem aut famam, blasphemant, occidant, secretum revelent, in-

dignum eligant, falsum testimonium dicant, injustas ferant sententias, &c. quia independenter ab omni pretio tenentur ab illis abstinere ex justitia. Sed quid de pretio dato judici, ut in causa dubia, propter rationes utrimque æquales non faveat alteri, sed mihi? Obnoxius est restitutioni, cum in tali casu nec mihi, nec alteri possit favere per adjudicationem totius, sed teneatur ex justitia divisionem facere; supposito tamen, quod pro nullo stet possessio: Unde condemnata est ab Alexan. VII. sequens propositio: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Q U Æ S T I O V.

An accepta ob turpem causam sint restituenda?

Suppono 1. nullos contractus, nullasve promissiones ob turpem causam obligare ante actus illiciti positionem, cum nemo possit ad illicitum obligari quod etiam verum est, licet pacto juramentum adjiciatur: nam, ut ait Aug. serm. 10. in Novis. serm. *Temere juratur, & impie, quod juratur, impletur.*

Suppono 2. Illum, qui pro patrandi opere malo pretium recepit, nec tamen patravit, teneri reddere, & ideo non potest meretrix acceptam ob meretricium pecuniam retinere, si postea corporis usuram deneget. Ratio est; quia solvens noluit ipsi pecuniæ suæ dominium transferre, nisi effectu secuto: unde quæstio procedit de restitutione pretii, opere jam patrato.

Suppono 3. Promissiones, aut contractus ob turpem causam, alios esse absolutos, saltem apparenter, ut si dicatur: *Occides talem hominem, & dabo tibi 100. aureos. Dabis mihi usuram tui corporis & gratis domum meam habitabis.* Dixi: *saltem apparenter*, quia sunt conditionati implicite; alios expresse conditionatos, ut si dicatur: *Si falsum testimonium dixeris, dabo tibi filiam meam in uxorem.*

Suppono 4. Condiciones turpes posse apponi ut obligatorias, & ut non obligatorias: 1. modo apponuntur, dum promittens intendit alium obligare ad operis illiciti executionem: 2. modo, dum non intendit alterum obligare, sed seipsum, si ponatur actus pravus, ut si habens causam injustam dicat judici. *Si pro me judicaveris, cedet tibi media pars legati.* His suppositis

CONCL. I. Acceptum ob turpem causam ex contractu absoluto aut conditionato obligante ad operis pravi executionem, restituendum est. Ita Navarrus, Adrianus, Medina, Meesen, Le Droux & alii.

Prob. 1. Ex L. 26. ff. de verbor. oblig. *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* Ex L. 123. *Si plagii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet:* ergo restituendum est pretium inde proveniens.

Prob. 2. ratione; contractus illi ante operis impletionem sunt

nulli, etiam consentientibus adversariis, eo quod non possint esse vinculum iniquitatis: ergo etiam nulli sunt impleto opere, adeoque vi illorum recepta sunt restituenda. Prob. consequ. ex hac reg. 18. Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit;* atqui promissio non subsistit ante opus: ergo nec post.

Prob. 3. Contractus illi, utpote onerosi, debent tam promissarium, quam promittentem obligare, alias si solum promittentem obligarent, essent gratuiti; atqui non obligant promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum: ergo nec obligant promittentem, & consequenter sunt ex omni parte nulli.

Prob. 4. Opus pravum non est pretio æstimabile, cum nihil aliud mereatur quam infernum, si sit mortale, vel purgatorium, si sit veniale: ergo pactum de illo ininitum nullius est valoris.

Prob. 5. Ex Aug. epist. 153. alias 54. ad Macedonium; *Quis tandem advocatus.... qui suscepto suo dicat: recipe quod mihi, dum male tibi adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente, inique abstulisti, & tamen, quem prioris non rectæ vitæ rectissime pœnitet, etiam hoc facere debet.* Et superius dixerat: *Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur advocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti: iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, injustam causam oppressisti, & falsitate vicisti.* Ubi apertissime ostendit accepta ob injustum advocati patrocinium, esse obnoxia restitutioni: adeoque & recepta ob quodcumque aliud opus illicitum.

Obj. 1. Licet opus pravum ratione culpæ non sit pretio æstimabile, est tamen ratione voluptatis, utilitatis aut satisfactionis, quam adfert promittenti: ergo.

Resp. 1. Ex mente August. accepta ob patrocinium injustum, aut sententiam iniquam esse reddenda; licet sint utilia illi, in cujus favorem exercentur: ergo idem est de aliis.

Resp. 2. Actionem illam ut causativam voluptatis non esse pretio æstimabilem; adeoque nec vendibilem, cum sit vel ipsum peccatum, vel aliquid inseparabile à peccato, quod est invendibile: unde sicut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum est invendibilis, eo quod sit invendibilis ipsa administratio, à qua non potest separari; ita invendibile est causativum voluptatis in nostro casu, quia est vel ipsum peccatum, vel inseparabile à peccato, quod est invendibile. Cujus ratio ulterior est, quod tunc vendito vendibili, si quod detur, vendatur & invendibile, à quo non potest separari.

Replicabis, causativum voluptatis posse rationem præcindi à peccato, & ut sic esse vendibile.

Contra est, quod tunc non vendatur voluptas tantum concepta, sed realiter percepta.

Obj. 3. Promittens, impleto opere, licite implet promissionem: ergo promissarius licite retinet.

Resp. nego consequens. Quia promittens solvit ex credulitate promissionis validæ, quæ cum à parte rei sit nulla, ideo restitui debet acceptum.

Obj. 3. Qui defloravit virginem, promisso conjugio, tenetur ex ordinatione Ecclesiæ ipsam accipere: ergo contractus ob turpem causam est validus, adeoque retineri potest pretium inde proveniens.

R. Teneri quidem nubere, non quia valida fuit promissio, sed quia in pœnam deceptionis, & ad evitacionem inconvenientium, sic ordinavit Ecclesia.

Obj. 4. Potest sartor retinere pretium quod accepit pro conficienda veste die dominica: ergo, &c.

Res. neg. cons. disp. est, quod pactum de conficienda veste die dominica respiciat opus, & non circumstantiam diei, quæ est operi omnino extrinseca, & ab ipso separabilis; & ideo non fuerit validum, non est mirum posse pretium retineri; si tamen intendisset deducere in pactum circumstantiam diei dominicæ fuisset invalidum; etsi posset sartor pretium retinere, non ratione illius pacti, sed quia vestis die dominico confecta, est pretio æstimabilis; quod non accidit in nostro casu.

Obj. 5. L. 1. & 6. Cod. De conditione ob turp. caus. decernitur datum ob turpem causam non posse repeti: ergo potest retineri.

Resp. Tantum ibi insinuari non dari actionem in foro externo ad repetendum, idque in pœnam inducentis ad malum, quo non obstante tenetur alter in foro conscientie restituere; quandoquidem contractus etiam in foro externo sit nullus, ut patet ex lib. 5. ibidem: & ideo si jure potior dicatur possidens; intelligendum est mere civiliter, idest sic, ut non detur actio in ipsum.

Obj. 6. Donationes factæ meretrici ab alio quam milite, vel minorenni, possunt retineri, ut patet ex L. affectionis, 5. ff. De donationibus: ergo, &c.

R. Mentionem ibi fieri, non de iis, quæ dantur ex justitia, ut in nostro casu, sed ex mera liberalitate, de quibus quæst. seq.

CONCL. II. Accepta ob turpem causam ex promissione conditionali ipsius, qui ad opus pravum obligare non intendebat non sunt, spectato saltem jure naturæ, restituenda.

Ratio est; quia talis promissio est valida, cum propter consensus suspensionem non habeat vim & efficaciam, nisi posito opere, & ipso impleto, intendat promittens se obligare: ergo.

Confirm. Si posito actu, puta homicidio, promitteret homicidæ 100. nummos, promissio valeret; atqui promissio in nostro casu, licet quoad tempus præcedat actum, ipsum tamen sequitur quoad vim, efficaciam, & obligationem: ergo. Hinc

Resol. Per hoc conciliari posse nobis varios auctores, qui videbantur contrarii, nolentes pretium ob turpem causam esse jure naturæ restituendum: si enim nihil aliud velint, quam 2. conclusio verum dicunt, secus, si negatum in prima conclusione sustineant.

Dixi tamen: Spectato saltem jure naturæ, eo quod jus positivum varias irriteret, non tantum promissiones, sed etiam donationes ob causam turpem, ut jam dicemus.

QUÆSTIO VI.

An liberaliter data ante, vel post actionem turpem possint retineri?

Dupliciter considerari possunt data gratuito intuitu operis illiciti: alia respiciunt opus meretricium; alia quodlibet opus injustum à meretricio distinctum. De duobus procedit quæstio.

CONCL. I. Donationes mere liberales intuitu operis meretricii, sive ante, sive post actum, possunt tuta conscientia retineri, si pauci casus excipiuntur. Est communis.

Prob. 1. Ex L. Affectionis, ff. De donationibus, ubi dicitur: Affectionis gratia neque honestæ, neque inhonestæ donationes sunt prohibitæ: honestæ erga bene merentes, inhonestæ circa meretrices: & alibi tales donationes factæ à militibus & minoribus, dicuntur invalidæ: ergo ab aliis factæ, supponuntur valide: cum autem jus non distinguat, an ad valorem fieri debeant ante opus, vel post, nec nos distinguere debemus.

Prob. 2. Ex D. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. ubi ait: Cum quis dat meretrici propter fornicationem.... mulier potest sibi retinere quod datum est, ubi non distinguit, an donatio fiat ante opus, vel post.

Prob. 3. Potest quilibet rei suæ dominium transferre, ubi per leges non impeditur; sed nulla lex potest assignari irritans dictam translationem: ergo. Prob. min. Non quidem lex naturæ; quia etsi ratio naturalis dictet, donationes illas esse illicitas tam ex parte dantis, quam ex parte accipientis, eo quod incitent ad meretricium vel inchoandum, vel continuandum, non tamen esse invalidas: non etiam leges positivæ, cum Civiles potius illas confirmet: unde L. Idem si ob stuprum 4. ff. De conditione ob turpem causam habetur: Meretricem turpiter facere; quod sit meretrix; non turpiter, idest, non injuste accipere; cum sit meretrix.

Dixi in conclus. Si pauci casus excipiuntur: data enim à milite, minori, servo, aut filio familias, utpote ad dandum per leges inhabilitatis, non possunt retineri; quamvis pro munusculis videatur consuetudo contrarium induxisse. Sed quid de religioso, si talis reperiretur ita suæ conditionis oblitus, ut propter infandum illud commercium donationes faceret? Essent omnino irritæ, adeoque monasterio restituendæ. Cujus ratio est, quod nihil possit expendere religiosus sine licentia expressa, aut tacita superioris, quam hic non habet, cum superior, nec totum monasterium possit illam concedere in usus turpes; si tamen religioso concessa esset facul-

tas disponendi de aliquibus; posset ad sustentationem puellæ, aut etiam prolis, eleemosynas facere; modo cessasset omnino animas meretricius; quia donationes illæ sunt piæ, & quasi necessariae supposito peccato.

Petes: Quid dicendum de munusculis factis sub spe copulæ, quam postea denegat mulier?

Resp. Si nullum pactum explicitum aut implicitum intercesse- rit, posse retineri: quia sunt liberaliter data, & sibi imputare debet nimium credulus amator, quod plus speraverit, quam debue- rit; peccat tamen mulier accipiendo; etsi nihil mali intendat; cum per hoc & reddatur ipsa facilius ad ruinam, & amasius ardentior ad copulam.

CONCL. II. Fere omnes donationes liberales ob turpem cau- sam à meretricio distinctam sunt restituendæ. Ita D. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. & alibi.

Ratio est, quia licet donationes illæ forent ex jure naturali va- lidæ, invalidantur tamen per leges positivas, ut patet ex *L. juris gentium*, 7. ff. *De pactis L. si plagii*. De verborum obligation. *L. generaliter* 26. & sequentibus, ubi declarantur nullæ, irritæ, nullius valoris; obligationis, &c. et quidem jure merito: ne cor- rumpantur mores, destruaturs charitas, lædatur justitia, triumphet iniquitas, opprimantur pauperes, inique exaltentur divites. Unde vim illarum legum agnovit Doct. Angelicus loco cit. cum dixit: *Et quia etiam ille qui accipit, non debet sibi retinere*. Huic prælu- xerat Augustinus docens restituenda esse data ob sententiam injus- tam, &c. ut diximus sup.

Accedit, quod non possit datum retineri, nisi dominium trans- latum sit de donante in donatarium; quod hic non accidit; cum leges donationem annullando, reddant dantem inhabilem ad do- nandum, adeoque ad transferendum dominium. Porro donationes ob turpem causam à jure positivo reprobatae & annullatae, sunt sequentes. 1. Quæ fiunt sicariis ad hominum interfectionem. 2. Quæ fiunt quibuslibet peccatoribus, ut peccent vel prohibita faciendo, vel præcepta omittendo, v. g. ut se inebrient, de aliis detrahant, tempore debito sacramenta non frequentent, missam negligant, jejunium violent, blasphement, pejerent, &c. 3. Quæ fiunt advo- catis ad iniquam defensionem, testibus ad falsum testimonium, judicibus ad sententiam injustam, sicut & illæ quæ fiunt iisdem, ut in suis respective actibus justitiam sequantur.

Dices. 1. Poena non obligat ante sententiam judicis; sed leges illæ tantum obligant in pœnam delicti; ergo non est antea res- tituendum.

Resp. min. illam gratis fingi; imo si vera esset, sequeretur le- ges admittere contradictoria, nempe donationes esse nullas, & ir- ritas; ut diximus; & simul esse validas, cum esset restituendum; non ratione invaliditatis, sed solum in pœnam delicti.

Dices 2. *L. 8. ff. Conditione ob causam turpem dicitur: si & dantis & accipientis turpis causa sit possessorem potiore esse*; ergo saltem ubi peccavit donans & donatarius, potest hic donatio- nem jam receptam retinere.

Resp. In illa lege fieri mentionem de acceptis per stipulatio- nem, de quibus quæstione præcedenti; non autem de acceptis per gratuitam donationem: vel certe si etiam de his loquitur, intelli- genda est in casibus, ubi non irritatur donatio: ad quid enim an- nullaretur donatio, si datum posset retineri?

Petes: Quibus præfata sint restituenda.

Resp. Fisco post judicis sententiam. Patet ex *L. Lucius ff. De jure fisci*; ubi autem non adjudicantur fisco per sententiam, red- denda sunt donatori, cum remaneat illorum dominus, eo quod do- minium non fuerit translatum; & ideo nisi ex ordinatione Ecclesiæ expendenda essent in pias causas simoniace accepta, etiam dona- tori forent restituenda: Docet quidem D. Th. danda esse pauperi- bus, sed putem loqui tantum in casibus, ubi tradens in pœnam de- licti, privatur rei suæ dominio: ut fit in contractu simoniaco; quandoquidem expresse dicat August. epist. citata, inique accepta ab avvocato esse reddenda clienti. Quod hic resolvimus de acceptis liberaliter, resolvimus etiam de acceptis tanquam pretio.

Q U Æ S T I O V I I.

De restitutione facienda ratione homicidii, aut mutilationis.

Hic quæri potest, quid restituendum sit, & quibus? quod du- plici articulo resolvemus.

A R T I C U L U S I.

Quid restituendum sit ratione homicidii?

Non loquimur hic de occisione, aut mutilatione casuali, abs- que peccato commissa, sed de voluntaria & culpabili, cum tantum ex formali injustitia oriatur obligatio restitutionis.

CONCL. II. Præcise pro vita hominis, aut membro mutila- to, vel inhabili reddito, nihil est restituendum; secus pro eorun- dem usu.

Prob. 1. pars; quia non habet homo vitæ suæ, aut membrorum suorum dominium, sed Deus; & consequenter non homini per res- titutionem, sed Deo per poenitentiam satisfaciendum est.

Prob. 2. pars, quam impugnant plurimi recentiores, non tan- tum contra Doctorem Angelicum & Subtilem, sed fere contra to- tam antiquitatem, cui hæc sententia erat adeo communis, licet sub aliis terminis, ut non disputaretur, an pro illorum usu esset res- tituendum, sed quid esset restituendum?

Prob. inquam, illa pars, 1. ex Scrip. Exodi 21. *Si percusserit quispiam oculum servi, aut ancillæ, & luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.* Ubi statuitur, usum oculi eruti esse libertate compensandum.

Prob. 2. ratione; quia occidens aut mutilans hominem, facit ipsi gravem injuriam, cum privet ipsum jure naturali sibi à Deo concessio utendi vita & membris: ergo resarcire debet.

Dices 1. injuriam illam esse supra omnem compensationem, & consequenter nihil esse restituendum.

Resp. Dist. assumptum: Est supra omnem compensationem pecuniariam, seu inferioris ordinis, C., & ideo fatemur non posse pecunia compensari; quia quantumcumque solveretur, semper restaret amplius, & amplius solvendum, nec esset exhaustibile debitum. Est supra omnem omnino compensationem, etiam altioris ordinis, N., quia compensari potest per preces, missarum sacrificia, & alia bona spiritualia pro occiso aut mutilato oblata, & ideo non tantum ex consilio, sed etiam ex justitia imponere debet prædicta confesarius homicidæ, aut mutilatori.

Resp. Ergo etiam restituendum, saltem per preces, aut missas, pro vita aut membro; cum sit par ratio.

Resp. N. illationem; quia, ut dixi, homo non habet vitæ suæ & membrorum dominium, sed Deus, sicque ratione illorum præcise nihil ipsi debetur.

Prob. 3. Tenetur quis reparare damnum illatum quantum potest; atqui id potest occisor in nostro casu per preces, &c. ergo tenetur. Unde mirum esset, inquit doctor subtilis 4. dist. 15. q. 3. quod esset pro bove, aut cane occiso restituendum, & non pro homine.

Prob. 4. Damnificans in fama aut honore, tenetur restituere modo magis congruenti: quidni & damnificans in vita aut membris?

Dices 1. Homicida tolerans patienter mortem sibi ex judicis sententia illatam, satisfacit, secundum Scotum: atqui per hoc nihil proficit interfecto: ergo.

Resp. neg. min. quia intelligendus est Scotus de morte patienter tolerata pro anima occisi. Notandum hic falso docuisse recentiores quosdam, Scotum homicidas obligare ut se sistant coram iudice pro debita satisfactione, cum ne vel umbra illius in ipso reperiatur.

Dices 2. Potest fieri quod occisus sit paganus; atqui secundum fidem non prosunt suffragia pagano: ergo.

Resp. Pro usu vitæ cessare tunc obligationem restitutionis, nec deberi ideo quidquam hæredibus, cum bonum vitæ non sit ad hæredes transmissibile.

Dices 3. Qui non potest summam pecuniariam restituere, non tenetur satisfacere per bona spiritualia; ergo hic similiter.

Resp. neg. cons. disparitas est, quod respectu pecuniæ semper

restet creditori spes solutionis obtinendæ, cum possit debitor ad pinguiorem fortunam pervenire & ideo non solet aliud exigere: ubi autem quis amisit usum vitæ, aut membrorum, nulla restat spes recuperationis, & ideo aliud exigitur.

Dices 4. Inde sequitur, impotentem restituere honorem, aut famam ablatam, teneri etiam satisfacere per bona altioris ordinis.

Resp. Totum esse verum, cum in hoc nullum sit inconveniens, sed maxima æquitas.

CONCL. II. Debet insuper injustus occisor, aut mutilator resarcire omnia omnino damna, quæ mortem præcedunt; imo & quæ sequuntur. Est communis quoad utramque partem.

Prob. 1. pars; quia non est justum, ut injuste vulneratus, aut mutilatus, sive interim ex vulnere mors sequatur, sive non, damnum patiat propter alterius culpam, aut malitiam, & ideo solvendæ sunt expensæ pro cibis extraordinariis, pro medico, chirurgo, pharmacopola, infirmario, & linteaminibus. Item reparandum est lucrum cessans, & damnum, quod inde vulnerato ejusque familiæ emergit.

Prob. 2. pars; quia licet defunctus sit incapax emolumentum sibi alias ex opere, officio, aut negotiatione obventuri, hæredes tamen in omnibus defuncto succedentes jus habent ad illud, adeoque ipsis satisfaciendum est pro omni lucro cessante & damno emergente: omnibus tamen attentis & in statera domini à viro prudente librat: nam cum lucrum futurum sit incertum, variisque periculis expositum, non debet lucro certo æquiparari, sed secundum majoritatem, aut minoritatem periculi, vel incertitudinis æstimari: ad quod multum conducere potest, si attendatur, an occisus esset juvenis vel senex, robustus vel infirmus; nobilis vel artifex; expertus vel ignarus; industrius vel stupidus; assiduus vel piger; cum plus speretur à juvene, robusto, industrio, quam à sene, infirmo, stupido, aut à nobili nihil, aut fere nihil lucraturo. Item considerandum est, an interfectus non haberet officium, beneficium, dignitatem, census vitalitium; an non esset ob ingenium ad magistratum, aut cathedram magistralem promovendus? deduci tamen debent expensæ, juxta personæ statum & conditionem. Sed numquid etiam deducendi sunt labores, quos pro lucro reportando debuisse impendere? affirmant aliqui, eo quod quies loco laboris sit prætio æstimabilis, sed omnino dicendum contrarium, alias vix unquam restituendum foret, cum sæpe lucrum non excedat pretium laboris, præsertim in opificibus parum industriosis. Ex dictis

Resol. 1. Puellæ aut juveni in facie aut alibi ex vulnere deturpato resarciendum esse damnum, quod ex illa deformitate patitur in ordine ad contrahendum pinguius matrimonium.

Resol. 2. Hic nihil facere ad restitutionis obligationem modum occisionis aut vulnerationis, v. g. quod quis crudeliter, aut proditorie fuerit necatus, aut vulneratus; quandoquidem modus ille sit

mere impertinens ad damnum reale, quod ex morte, aut vulnere sequitur.

Resol. 3. Si homicida capite plectatur, teneri ipsius hæredes satisfacere pro damno secuto hæredibus occisi, quidquid negent aliqui. Ratio est; quia moriendo satisfacit quidem justitiæ vindicativæ, sed non commutativæ, quam læsit alterum occidendo, ceterum si ab hæredibus occisi, utpote nobiles, aut divites, nihil exigatur, nihil videtur restituendum, eo quod censeantur esse sola morte occisoris contenti. Ubi tamen exigent, satisfaciendum esset, eo quod jus habeant.

Resol. 4. Iisdem restitutionibus obnoxium esse occidentem invasorem pecuniæ, honoris, famæ, aut pudicitiae, eo quod sit injustus occisor, cum propter illa, ut dictum est in Decalog. non liceat vitam invasoris auferre; crediderim esse tamen minuendam restitutionem, cum occisus invadendo fuerit aliquo modo causa suæ mortis. Idem dic de occidente invasorem vitæ, respectu cujus excessit moderamen justæ tutelæ.

Resol. 5. Eum, cui vulneratus ad mortem injuriam sibi illatam simpliciter remittit, non esse exemptum ab onere restitutionis, nisi aliud exprimatur.

Ratio est, quia vulnerans duplicem facit injuriam vulnerato, unam personalem, quæ consistit in contemptu, aut despectu personæ, quæ per dictam remissionem censetur condonari: alteram realem, quæ respicit damna ex vulnere sequentia, & hæc non remittitur, nisi expressa illius mentio fiat.

ARTICULUS II.

*Quibus sint restituenda damna realia ex homicidio sequentia?
Accedunt varice quæstiunculae.*

Triplicis generis damna realia sequuntur ex homicidio: alia respiciunt ossum, ut lucrum cessans & damnum emergens: alia ipsius creditores, eo quod non sint ab illo debita recepturi: alia respiciunt personas, quas alebat occisus.

CONCL. I. Damna realia occisum concernentia restituenda sunt ipsius hæredibus, qualescumque sint, id est, sive parentes, sive extranei, sive necessarii, sive voluntarii, sive ab intestato, sive per testamentum constituti. Est contra paucos volentes damna illa tantum esse restituenda parentibus occisi, filiis, aut uxori; ita ut si occisus careat patre & matre, prolibus & uxore, nihil sit restituendum, etiamsi interfectus habeat fratrem, aut sororem.

Prob. tamen conclusio, quia secundum leges, omnis hæres universalis repræsentat personam defuncti, succeditque in omnia illius jura, atqui defuncto, si esset capax in se, deberet homicida illa omnia restituere: ergo id debet illius locum, causam, & personam gerentibus.

Dices 1. Ideo tunc restitutio fieri dedet parentibus, filiis aut uxori; quia pater & filius, maritus & uxor reputantur una persona, ita ut censeatur pater vivere in filio, maritus in uxore, & è contra; sed frater non censetur una persona cum fratre, aut sorore: ergo.

Resp. neg. causalem: fieri enim debet illis restitutio damnorum præfatorum, quia quantum ad omnia jura succedunt defuncto.

Inst. Defunctus ante mortem non habebat jus ad illam restitutionem, cum illius obligatio oriatur ex ejus morte; sed frater aut alius hæres extraneus tantum succedit in jura fratris viventis, cum defunctus sit novi juris adquirendi incapax: ergo.

Resp. Vulneratum ad mortem, eo ipso quo vulnus est insanabile, habere jus completum, ut sibi repararetur omne lucrum cessans, cum ex tunc factus sit incapax ad lucrandum, & ideo posset ante mortem de illo cum vulnerante pacisci: quod signum est juris acquisiti. Quantum ad damnum emergens, v. g. propter privationem officii, beneficii, census vitalitii, major est difficultas, cum illa non nisi cum vita extinguantur: nihilominus sustineo, etiam ante obitum jus quoddam habere, ut sibi resarciatur, nam cum ante illum factus sit inchoate impotens ad præfata; ita & jus saltem inchoatum acquisivit ut sibi repararetur; & certe si ex tunc nullum jus haberet, quomodo posset illud percussori condonare? quod tamen concedunt adversarii. Præterea esto ante mortem nullum jus haberet, haberet tamen defunctus, si illius adhuc esset capax; atqui etsi non sit capax in se, est tamen capax in suo hærede, per fictionem juris personam illius repræsentante: ergo.

CONCL. II. Ubi pro solvendis debitis nihil superesset, aut certe nollent illaolvere hæredes, teneretur homicida creditoribus satisfacere, in quantum occisus, si fuisset superstes, satisfacisset laborando, negotiando, &c. ita tenent cum Scoto supra Hiquæus, Mastrius, Molina, Layman, Neesen & alii.

Prob. 1. Qui est causa damni proximo illati, tenetur illud resarcire; atqui occidens debitorem est vere causa damni per hoc creditoribus illati: ergo.

Prob. 2. Ideo tenetur homicida alere famulum (cui occisus ob famulatus salarium tenebatur necessaria ministrare per totam vitam) quia ad id obligabatur ex justitia dominus; sed creditoribus obligabatur ex justitia occisus: ergo similiter obligatur illius occisor.

Prob. 3. Qui hypothecam destruit, tenetur de damno creditori: ergo à fortiori qui occidit debitorem, qui est quodammodo hypotheca vivens.

Obj. 1. In foro externo non datur actio creditoribus contra occisorem: ergo.

Resp. dist. ant. Non datur actio immediata, C., quia prius actionare debent hæredes, qui supponuntur pretium lucri cessantis re-

cepisse. Non datur mediata, & casu quo solutio denegetur ab hæredibus, N.

Obj. 2. Hæredes succedunt loco defuncti: ergo ab illis, & non ab occisore, solvendi sunt creditores.

Resp. Totum esse verum, ubi hæredes solvere volunt, ubi autem hi deficiunt; supplere debet occisor, cum sit vere in causa, cur tunc creditores non recipiant; quod fuissent à domino percepturi.

CONCL. III. Non solum tenetur homicida alere parentes, filios & uxorem occisi, si sint pauperes, sed etiam tenetur alios, qui per occisum sustentabantur, ita ut his & illis tantum sustentationis conferat, quantum per necem abstulit.

Prob. 1. pars; quæ communis est, & certa, quia parentes & liberi, maritus & uxor censentur moraliter una persona, & consequenter læso patre, aut marito, censetur læsus filius, aut uxor in iis, quæ per sui partem acquirebat. Non essent tamen alendi pueri (idem dic de parentibus & uxore) si tamquam hæredes recepissent pretium laboris sperati, per quem debuissent ab occiso sustentari, cum tunc non sint ulterius damnificati.

Prob. 2. pars; quam expresse sustinet Scotus loco citato num. 6. cui etiam adhærent Faber, Navarrus, Mastrius, Vasquez, Caspensis, Neesen & alii. Prob. inquam, illa pars, l. ex cap. finali. *De injuriis & damno*, ubi legitur: *Si tua culpa datum est damnum, vel injuria irrogata . . . jure super his præfatis satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse congerere*; atqui homicida vere fecit injuriam iis, quos sustentabat occisus, cum per vim impedierit eorum sustentationem: ergo.

Prob. 2. Quia licet hi non haberent jus ad alimentum sibi ab occiso præstandum, habebant tamen jus ne per violentiam impedi- rentur à consecutione boni sibi conferendi, sicque veram injuriam passi sunt; quam ideo tenetur reparare occisor, ut de impediente consecutionem boni in genere late probavimus supra.

Dices 1. Non advertit homicida ad eos, quibus benefaciebat occisus: ergo non fecit ipsis injuriam.

R. Debuisset advertere: cum actio illum per seipsam moneret de omnibus damnis ex ea evenire natis. Præterea etsi non advertisset ad eos, quos alere tenebatur ex justitia interfectus, ipsis tamen fecisset injuriam, ergo hic similiter.

Dices 2. Ut censeatur fecisse injuriam præfatis, debet occidisse ex animo impediendi eleemosynas interfecti.

Resp. neg. ant. Quia occisio illa, etiam sine animo nocendi, est ipsis injuriosa; cum sit realiter impeditiva per vim boni obtinendi: immo non est in potestate occidentis, ut non sit ipsis injuriosa, quandoquidem velit nolit, lædantur in suo jure, eo ipso quo injuste eorum benefactor occiditur.

Petes: An, si vulneratus condonasset percussori ante mortem

omne damnum reale præteritum, præsens & futurum, esset hic à restitutione liber?

R. Affirmative: sicut enim poterat percussus percutienti alia jura cedere, ita & illa; & consequenter onus restituendi extinguere. Limita tamen nisi vulneratos aliquos relinqueret, quos teneretur alere ex justitia, cum non possit eorum jus abolere; immo etsi forte respectu parentum, liberorum aut uxoris, non sit remissio illa invalida; est tamen inofficiosa, & pietati graviter contraria, ubi sunt indigentes.

Petes 2. An ubi duo sese provocant ad pugnam, aut quando unus provocat alterum acceptantem, eximatur occisor à restitutione?

R. Communius & probabilius affirmative; quia tunc censentur implicite damna ex alterutrius morte secutura condonari. Cujus ratio ulterior est, quod homicidium illud sit quid injustum respectu Dei, & Reipublicæ; non tamen respectu occisi juri suo cedentis.

Petes 3. An, qui obtinuit à supremo Principe homicidii patrati remissionem, adhuc tenetur de damno hæredibus secuto?

R. affirm. Quia præcise intendit Princeps injuriam Reipublicæ factam condonare, unde ultra damna tenetur etiam tunc occisor à parentibus occisi veniam postulare.

Petes 4. Ad quid teneatur occisor hominis jamjam morte naturali morituri, aut à judice juste occidendi?

R. Non teneri ad ullum damnum reale, cum nullum in talibus circumstantiis ex ejus occisione censeatur sequi; teneretur tamen, si prævenisset occisionem injuste inferendam; quia qui prævenit damnificationem, prævenit & restituendi obligationem.

Q U Æ S T I O V I I I.

De obligatione restitutionis ratione adulteri.

Hanc materiam tractat Scotus 4. dist. 15. q. 2. in solutione ad 7. Sed ante resolutionem

Suppono 1. Ex adulterio, ex quo non sequitur fetus, ad nihil teneri adulterantes: non quidem ad damnum temporale reparandum, cum nullum sequatur: non etiam ad resarciendam injuriam marito factam, cum supponatur factum ignorare; satisfactio autem injuriæ fiat, ut animus exacerbatus pacificetur; si tamen factum novisset, teneretur tum adulter, tum adultera per veniæ petitionem, &c. injuriato satisfacere.

Suppono 2. Sententia communi, ubi ex adulterio nascitur proles, nullam pro injuria adulteræ marito facta dandam esse satisfactionem pecuniariam, etiamsi illam exigat. Ratio est: tum quia conventio illa jure interdicta est, ne maritus videatur suæ uxoris lenocinium facere. L. *Transigere* 18. cod. *De Transactionibus*, & alibi; tum etiam quia confessarii nunquam sunt de illa satisfactione declaranda solliciti, tum etiam quia talis injuria non est pretio compensabilis,

sed veniæ petitione, aut honoris reparatione, si læsus est: unde si maritus pecuniam tamquam pretium pro injuria recipit, tenetur restituere. Aliud esset; si ex liberalitate accepisset, ut sic facilius injuriam oblivisceretur. Hic de solo damno temporali ab adultero, & adultera ratione prolis secutæ reparando agitur.

ARTICULUS I.

Ad quid teneatur adulter?

Cum possit dubitari, an proles aliqua nata sit ex adulterio, an ex matrimonio, ideo resolvendum est, ad quid teneatur adulter dubitans, an proles sit sua, necne, deinde ad quid, dum constat esse ipsius. Porro poterit esse dubius, si tempore conceptionis cohabitavit maritus cum uxore, si mulier asserens esse ipsius, non sit ita probæ fidei, si alium deceperit, si sit pecuniarum ita avida, ut pro illis obtinendis facile concedat corporis usuram. Debebit autem esse certus, si tempore conceptionis aberat maritus, si graviter ægrotabat, si ad usum matrimonii erat impotens, si mulier, alias honesta & probæ fidei id asserat, præsertim cum juramento.

CONCL. I. Quando dubitat adulter, an proles sit sua, necne, debet proportionate ad dubium suum alimenta præbere, & damna resarcire. Est quidem minus communis, sed longe probabilior, & absolute tenenda cum de Cocq, Neesen, & aliis.

Prob. 1. Quia si tunc adulter ad nihil teneretur, nulli esset obligatio spurium alendi: non quidem adultero, ut supponitur: non etiam marito adulteræ; nam si hic valeat illud axioma, per quod adulterum liberant adversarii, *in dubio melior est conditio possidentis*: à fortiori valet illud: *in dubio melior est conditio innocentis, quam nocentis*; atqui maritus est innocens, & adulter nocens: ergo. Non denique ipsi adulteræ, cum non minus possit ipsa præfato axioma se protegere, quam adulter.

Prob. 2. Quia non admittitur illud axioma; nisi quando dat præsumptionem de rei veritate; atqui hic nullam dat prorsus præsumptionem, quod proles sit potius ex matrimonio, quam ex adulterio; ergo.

Prob. 3. Ubi constat de delicto, potius favendum est innocenti, quam reo; sed hic constat de adulterio, ergo non est cur grave tur maritus præ adultero.

Prob. 4. Tam probabile est prolem esse adulterinam, quam sit probabile non esse: ergo tam probabile est debere restituere, quam sit probabile non debere; & consequenter facienda est divisio.

Prob. 5. Quando duo cum eadem mœchati sunt, & dubitatur cujus sit proles, singuli tenentur pro rata: ergo hic similiter, cum non debeat innocens pejoris esse conditionis, quam nocens.

Dices 1. Non debet quis spoliari re sua, nisi constet de obligatione contracta.

Resp. dist. assumptum: Non debet spoliari re sua, id est, non debet tantum restituere dubitans de obligatione, ac certus de illa, C., id est, nihil debet restituere, saltem in hoc casu, neg. & certe mirum esset, quod in casu dubii ad nihil teneretur nocens, & ad omnia innocens.

Dices 2. Filius in dubio potest se reputare legitimus, donec probetur spurius: ergo similiter potest adulter credere prolem non esse suam, donec sua probetur.

R. Cum hoc concedatur filio propter ejus innocentiam, potius inde sequi prolem non esse adjudicandam marito, sed adultero cum hic sit reus, alter innocens.

Dices 3. Possessio stat pro matrimonio; ergo.

R. dist. ant. Stat pro matrimonio, quando præsumptio est, quod filius sit potius legitimus quam spurius, C., alias, N. Ex dictis

Resol. Adultero esse contribuendum pro alimentis, & damnis juxta majoritatem, aut minoritatem verisimilitudinis, quod proles sit ipsius.

CONCL. II. Ubi adulter cognoscit prolem esse suam; aut saltem non habet justam rationem dubitandi, providere debet alimenta spurio à tertio ætatis anno exclusive usque dum possit sibi necessaria procurare; ita ut teneatur illa marito adulteræ restituere, si permiserit spurium ab eodem sustentari: hac de re nemo dubitat; sed controversia est, an teneatur resarcire damna, quæ marito & filiis legitimis evenerunt, si ulterius nutriatur ex bonis aut laboribus patris putatitii, si cum legitimis hæreditatem dividat, si ipsi, quia creditor legitimus, relinquuntur certa legata, successiones, &c. Affirmant communiter doctores, si sit causa suppositionis, seu consuluerit adulteræ, ut prolem adulterinam marito affingeret, tamquam suam: quia tunc fuit vere causa damni non minus ac mulier, & ideo debet omnia æqualiter cum adultera dividere, & uno deficiente, tenetur alter in solidum: immo si adulter minis, aut precibus valde importunis corrupisset mulierem, teneretur primus in solidum, eo quod damni secuti fuisset causa principalior. Ubi tamen hic deficeret, obligaretur adultera, cum equidem per actionem injustam in damnum influxerit.

Major tamen restat difficultas, an quando mulier, nec suadente, nec procurante adultero, immo positive dissuadente, filium tamquam legitimum supponit, teneatur ipsa sola de damno secuto? an etiam adulter cum ipsa? Affirmant aliqui, negant alii; sed videtur distinctione utendum; vel enim potuit mulier sine infamia, & sine familiæ turbatione prolem separare; vel non; si primum, tenetur sola, si adulter nihil omisit ut suppositionem impediret; quia sola fuit causa damni: dicitur quidem, quod qui est causa causæ, sit etiam causa causati, sed hoc intelligendum est, ubi, posita causa, non est evitabile causatum, ut hic esse supponitur: si secundum, tenetur uterque; quia licet non fuerit adulter causa immediata sup-

positionis, fuit tamen mediata, in quantum vidit, aut videre debuit adulterando, quod si mulier non posset sine dedecore spurium à legitimis separare, teneretur illam supponere; & quia sic ordinarie accidit, ideo etiam ordinarie ad medietatem damnorum obligatur adulter.

Petes: Quid dicendum de illis, qui proles exponunt?

Resp. Si habeant unde illas nutriant, teneri expensas pro sustentatione factas, civitati, aut hospitali restituere; quod etiam verum est, licet ad evitandam infamiam, aut notam id fecerint; quia illa hospitalia ad hujusmodi proles nutriendas erecta sunt tantum (nisi aliud constet) in subsidium pauperum; & ideo cum injuste defraudent eleemosynas pauperibus assignatas, tenentur illas resarcire. Nec refert, quod tantum ex pietate debeant proles alere; quia etsi forte injustitiam non committant illas non alendo, committunt tamen exponendo, cum sint veræ causæ, cur expensis alienis nutriantur.

ARTICULUS II.

At quid teneatur adultera?

Suppono, teneri adulteram procurare alimenta spurio ad tertium ætatis annum completum; immo, deficiente adultero, donec possit illa sibi providere spurium. Tenetur insuper ad medietatem damnorum ex suppositione sequentium, & ad totum in defectu adulteri. Hæc omnia patent ex dictis. Hic restat examinandum, an teneatur, quando filium supponit, crimen suum prodere, & supposito quod non debeat, quomodo possit legitimos indemnizare.

CONCL. I. Ubi mulier honesta non habet ex propriis unde indemnizet legitimos ex suppositione damnificandos, non tenetur crimen suum prodere. Dico: *mulier honesta*; quia si jam ob tale crimen male audiat, aut sit vilis admodum conditionis, ita aut ejus fama parvi pendatur, aliter loquendum est, saltem ubi damnum foret notabile.

Prob. 1. concl. Quam cum D. Thoma, D. Antonino & communioris sententia docet Scotus supra, volens nec post mariti obitum, nec in articulo mortis, nec per confessarium ad id teneri. Probatur, inquam, conclusio verbis ipsiusmet Scoti; quia sic faciendo, id est, se prodendo, & *mulier se diffamat, & exponit se periculo mortis & maritum periculo uxoricidii, quia talis posset esse zelator, ut sunt multi, quod illam occideret, vel perpetuo haberet odio & à se, & ab actu conjugii expelleret; ad ista mala diffamationis, mortis, vel saltem odii, vel discordiæ, quæ sunt valde probabilia, & videntur, ut in pluribus, eventura, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ. Hæc ille.*

Prob. 2. Tum quia bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento bonorum ordinis superioris; tum quia maximè periculosum est, ut ipsi fides non adhibeatur, & inde jurgia & lites nunquam finiendæ suboriantur. Unde nec crimen suum aperire debet ipsumet spurio; quia, addit Scotus, *aut filius credet matri, aut non; si credet, est probabile, quod propter hoc vellit hæreditatem dimittere, quia pauci inveniuntur ita perfecti, ut propter justitiam servandam in foro Dei dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere jure exteriori: si vero (filius) non crederet: tunc essent duo mala; quia & ipsa esset diffamata, & ipse teneret hæreditatem, ut prius.* Ubi tamen mater probæ fidei & conscientiæ rectæ id assereret cum juramento, præsertim in articulo mortis, non video, cur non deberet ipsi credere filius. Dicitur quidem turpitudinem suam alleganti, non esse fidem adhibendam, sed quando prudenter dubitari potest, quod sit personarum acceptrix, aut ex odio, vel passione procedat.

Petes: An prudenter ageret mater, quæ famæ suæ cedens, diceret omnibus prolibus ad se convocatis: una vestrum non est legitima, vultis nomen, vel innominata participet cum aliis hæreditati?

Resp. Negative (quidquid legatur aliquando factum) nam cum secundum omnem apparentiam, nollem proles sibi timentes spurium declarari, metuendum esset ne aliquis legitimorum propter certas circumstantias, indolis dispositionem, particularia faciei lineamenta, &c. crederetur illegitimus cum periculo inimicitæ, odii, discordiarum, immo & homicidiorum.

CONCL. II. Ubi mulier adultera crimen suum non detegit, tenetur modis omnibus ellaborare, ne hæredes legitimi ex suppositione illegitimi graventur: unde ipsi inspirare debet si possit, salva violentia, & metu reverentiali, ut religionem ingrediatur, vel statum clericalem amplectatur, sitque contentus proventibus canonicatus vel alterius beneficii, quod ipsi per amicos conabitur procurare; quod si hoc persuadere non valeat, tenebitur sumptus moderari, bona paraphernalia legitimis relinquere, eleemosynas ordinarias spurio nutriendo applicare, plus solito laborare, illegitimum laboribus etiam extraordinariis destinare, legitimorum hæreditatem per se, vel alios meliorare: ubi autem præfata moraliter impossibilia essent alteræ, sufficeret ei Deo restituere, id est, de crimine, & damno dato pœnitere, cum voluntate tamen legitime satisfaciendi, si opportunitas occurreret. Advertendum tamen, resolutiones nostras non habere locum, ubi ex proles suppositione immineret grave nocumentum reipublicæ, aut bono communi, v. g. quia spurium loco legitimi succederet in principatu supremo, timeretur autem ne spurium, ratione indolis pessimæ & morum perversorum, vitiis aut hæresi regnum, vel rempublicam inficeret: tunc enim deberet mater cum periculo infamiæ, immo & vitæ, rem

per se vel per alium prudentem spurio declarare, eo quod bonum commune prævaleat privato.

Q U Æ S T I O I X.

Ad quid teneatur stuprator Virginis? Accedunt variae quæstiunculæ.

CONCL. UNICA. Violentus virginis deflorator ad nihil tenetur pro damno temporali, tenetur tamen pro damno pecuniario.

Prob. 1. pars; quia damnum temporale est ipsiusmet integritatis virginalis violatio: quæ cum non sit pretio æstimabilis; ita nec est pretio compensanda.

Prob. 2. pars; quia per damnum pecuniarium intelligimus detrimentum illud, quod patitur puella in ordine ad matrimonium; atqui stuprator est vere causa istius damni: ergo tenetur illud resarcire, vel ipsam ducendo, vel certe taliter dotando, ut inde nihil patiatur in ordine ad status susceptionem. Immo si accedat promissio matrimonii vera, aut taliter ficta, ut rationabiliter creditur esse vera, tenetur absolute eam ducere.

Ratio est; quia tunc in promissione vera intercedit contractus onerosus, qui exigit, ut uno contrahentium quod suum est, adimplente, alter etiam partem suam adimplere teneatur: ex promissione autem taliter ficta eadem oritur obligatio, licet contractus in conscientia sit nullus, quia in omnibus contractibus, in quibus stipulatur: *facio ut facias, do ut des*, uno implente, debet alter implere, licet fecte contraxerit. Cujus ratio ulterior est, quod contrahens tempore contractus debeat habere animum se obligandi, adeoque implendi, ne decipiat: ergo & nunc tenetur adimplere, ne etiam decipiat.

Dixi: *Vel taliter ficta, ut rationabiliter credatur vera*, quia ubi virgo potuit, ac debuit advertere promissionem esse fictam, v. g. quia promittens vir est magnæ nobilitatis, ipsa infimæ sortis, ille valde dives, hæc valde pauper; ille urbis rector, hæc ancilla, aut plebeja, &c. aut etiam, quia sermone ambiguo utebatur, non censeatur decepta. Et ideo sufficiet viro, si illam juxta damni rationem dotaverit: si tamen puella conditionis disparitatem ignoravit, aut illam scienti vere promiserit, stuprator manet obligatus.

Excipiuntur hic varii casus, ubi stuprator matrimonium promittens non tenetur puellam ducere. 1. Si stuprata alteri se prostituerit. 2. Si dicenti se virginem matrimonium promisit, ut illa frueretur, deprehendit autem esse corruptam; & his casibus ad nihil tenetur deflorator, quia puella viro illusit. 3. Quando stuprator aliam duxit, aut ad stupratam ducendam impedimentum habet indispensabile. 4. Dum ex illo connubio juste apprehendun-

tur gravia mala, ut homicidia, familiarum discordiæ, exhæredationes, &c. unde hoc & præcedenti casu sufficit puellam dotare. 5. Si deflorata alteri æque commode nupsit: si tamen maritus corruptionem deprehendens ipsam expellat, aut indigne tractet, tenetur stuprator damnum refundere. 6. Si puella deflorantis connubium recuset.

Petes. 1. An qui stupravit virginem sine promissione matrimonii teneatur ipsam dotare, si ipsa stupratori volenti nolit nubere.

Resp. affirm. quia vel dotem, vel matrimonium potest eligere: & certe non est justum, ut puella indemnitate suam servatura cogatur semper vivere cum persona sibi ingrata & odiosa.

Petes 2. An ille, qui extorsit copulam per promissionem matrimonii, simulans se nobilem, aut prædivitem, cum tamen sit minoris conditionis, quam puella, teneatur illi nuptias recusanti, damnum reparare?

Resp. affirm. quia est vere causa illius, quandoquidem, ipso non fingente, nunquam in copulam consensisset virgo; matrimonium autem oblatum non est damno resarciendo sufficiens, cum alias fuisset pinguius, aut nobilior habitura.

Petes 3. Ad quid teneatur, qui violenter oppressit corruptam, quæ communiter habebatur virgo?

Resp. ad nihil teneri, si res maneat occulta, cum inde puella nullum passa sit detrimentum; si autem fiat publica, tenetur reparare damnum, quod ipsa patitur in nuptiis.

Petes 4. An qui corruptit occulte virginem consentientem, non teneatur ad aliquid, si sua jactantia, aut garrulitate ipsam diffamavit? De reparatione famæ res certa est, cum non obstante illa actione, retineret jus ad famam. De reparatione damni pecuniarii hic quæritur.

Resp. affirm. quia detrahendo fuit causa moralis detrimenti, quod evenit puellæ in ordine ad status susceptionem. Imo idem dicendum est, etiamsi consentiens sit corrupta, si virgo habebatur opinione vulgari.

Petes 5. An qui obtinuit copulam ob promissionem matrimonii, teneatur defloratam dotare, si parentes nuptiis repugnent, ipsa vero consentiat?

Resp. neg. quia tantum promisit matrimonium, quod paratus est adimplere; & ideo si damnum patiatur puella, imputet parentibus.

Petes 6. An qui virginem non quidem violavit, sed id fecit, unde violata creditur, sit obnoxius restitutioni?

R. affirm. si virgo in illud non consenserit. Ratio est; quia per illud fuit vere causa damni secuti.

Petes 7. An deflorator violentus ad nihil teneatur parentibus defloratæ?

Resp. Non teneri quidem ad pecuniam, sed teneri ad repara-

tionem famæ, vel veniam petendo, vel signa honoris exhibendo, nisi forte remittant. Hoc sequitur ex principiis communibus.

Q U Æ S T I O X.

De reparatione famæ.

Famam injuste ablatam esse ad æqualitatem, quantum fieri potest, reparandam, communis est doctorum opinio, sed qui restituere debeant, quibus, quantum, quomodo & quando, oritur difficultas sequentibus articulis enodanda.

A R T I C U L U S I.

Quinam sint obnoxii famæ reparandæ?

CONCL. I. Omnis & solus ille tenetur ex justitia famam ablatam restituere, qui illam per injustitiam abstulit physice, aut moraliter.

Dico: Tenetur ex justitia; quia nonnunquam ad id obligamur ex charitate, licet famæ ablatio nullatenus sit nobis imputabilis.

Prob. concl. quia sicut obligatio famæ reparandæ supponit famam læsam, ita & supponit ab omnibus & solis, à quibus læsa est, esse reparandam, cum illi, & non alii, circa illam commiserint injustitiam. Hinc

Resol. 1. Judices, accusatores, testes, sicut & ad justam sui defensionem alterius crimen detegentes, non teneri famam resarcire, si justa de causa, & servato juris ordine alterum infamaverint: cum per hoc justitiam, non injustitiam, exercuerint.

Resol. 2. Nec esse obnoxium restitutioni, qui ex odio, aut vindicta, publicum alterius crimen nescientibus propalavit; quia licet charitatem violaverit, non tamen justitiam.

Resol. 3. Quod etsi debeant hæredes damna realia ex detractio-
ne defuncti sequentia reparare, eo quod onus illud afficiat hæreditatem, non teneantur tamen diffamati famam restituere; quia obligatio illa est personalis, afficitque solum detractorem.

Resol. 4. Obligatos esse ad famæ reparationem non tantum illos, qui physice detrahunt, sed etiam qui ad detractorem moraliter concurrunt mandando, consulendo, adulando, &c. idque juxta ordinem antea præscriptum de cooperantibus ad damnificationem in fortunæ bonis.

Resol. 5. Non teneri ad restitutionem auditores detractoris, per hoc præcise quod audiat, si inde nullatenus accendatur detractor ad diffamandum; quia tamen non raro, etiam per solam auditionem stimulantur detractores, vel ad consummandum, vel ad ul-

terius detrahendum, non raro etiam obligantur audientes, deficientibus detractoribus, ad famæ restitutionem.

CONCL. II. Qui alterius famam læsit sine peccato, v. g. quia ex inadvertentia omnimoda unum nominavit pro alio: quia auditores alium intellexerunt; quia crimen putabat sincere publicum, & erat secretum, &c. tenetur ex justitia restituere, ubi advertit se famam alienam abstulisse, & commode potest id præstare.

Ratio est; quia etsi ille famam alterius non injuste formaliter abstulerit, ita tamen censeretur illam auferre, nisi dictum suum retractaret: ergo. Prob. ant. quia qui rem alienam detinet, invito domino, censeretur illam injuste accipere; atqui in nostro casu detractor materialis detinet alterius famam, invito domino, in quantum malam opinionem in aliorum animis dicto suo causatam relinquit: ergo.

Confirm. 1. Non solum prohibet justitia, ne damnum proximo inferamus, sed etiam ne ex actione nostra damnum ipsi obveniat; sed ubi in nostro casu non fieret famæ reparatio, sequeretur ex actione nostra damnum proximo: ergo. Min. certa est. Prob. maj. quia si quis ex inadvertentia incendisset domum alterius, teneretur ex justitia ignem extinguere, si posset: ergo similiter.

Confirm. 2. Qui videt se dicto suo causam esse, cur infametur proximus, tenetur ex justitia dictum suum retractare, sed in nostro casu videt dicto suo proximum esse infamatum: ergo.

Dices 1. Ille nullam injustitiam commisit: ergo non est obnoxius restitutioni.

R. dist. ant. Nullam injustitiam commisit ab initio, C., nullam injustitiam committere, si non impediret, quominus dictum suum ulterius proximo noceret, N.

Instab. Non inducit onus restitutionis injustitia committenda, sed commissa.

Resp. Hoc esse verum, ubi non est alter titulus, hic autem intervenit res, seu fama accepta, quam censis detinere, quamdiu relinquis in audientium animis pravam opinionem dicto tuo causatam.

Resol. Ergo Petrus sciens Paulum fuisse à Joanne injuste denigratum, tenetur ex justitia Pauli famam reparare. Prob. consequ. Quia nisi faciat, relinquit apud audientes malam opinionem de Paulo.

Resp. neg. consequ. Ad prob. dico: non censeri tunc Petrum famam Pauli detinere, eo quod non ipse, sicut in nostro casu, sed alter ipsum infamaverit, unde tantum tenetur ex charitate.

Dices 2. Non tenetur ille damna realia inde sequentia reparare: ergo nec famam.

Resp. dist. ant. Damna realia, quæ acciderunt postquam novit se famam proximi læsisse, & illius reparationem neglexit, N., quæ acciderunt antea, C.

CONCL. III. Superior non impediens subditum detrahentem de communitate, vel de altero sive subdito, sive non, tenetur,

deficiente detractore, famam reparare, secus, per se loquendo, si non impediatur extraneum de subdito suo detrahentem.

Prob. 1. pars; quia ex officio incumbit superiori efficere, ut communitatis suæ fama integra perseveret, & ne subditi sui aliorum famam lacerent: ergo si in uno vel altero deficiat, committit injustitiam obnoxiam restitutioni; ubi tamen inferior, absente superiore, detraxisset, non teneretur hic in illius defectu restituere, si subditum, quantum opus est, ad restitutionem compellat. Cujus ratio est, quod superior, utpote absens, nullatenus dici possit causa famæ læsæ.

Dixi: *Si subditum ad restitutionem compellat*; quia sicut tenetur ex officio subditum impedire, ne famam alterius auferat; ita ex officio curare, ne subditus famam injuste ablataam quodammodo detineat: ita ut in hoc deficiens debeat loco subditi restituere.

Prob. 2. pars; quia etsi prælatus ratione officii susceperit onus procurandæ salutis subdito, non tamen protegendæ illius famæ.

Dixi in concl. *per se loquendo*: quia quando infamia subditi talis esset, ut graviter in communitatem redundaret, teneretur ex justitia illam impedire, sicut & quando fama esset quasi frænum subdito, ut christiane viveret. Hæ resolutiones afficiunt Episcopos respectu diocesanorum, prælatos regulares respectu suorum, parentes respectu filiorum, heros respectu famulorum, curatores respectu minorum, imo & magistratus respectu civium, saltem quoad diffamationes per libellos famosos: illos enim tenentur ex officio impedire, imo & libellorum auctores graviter punire.

Dico: *Saltem per libellos famosos*; quia magistratus, quantum ad alias detractones, tenentur quidem parti læsæ satisfactionem postulanti concedere, si dictum non probaverit diffamator, ex usu tamen non obligantur, parte læsa tacente, ad restitutionem cogere, sicut nec quando detractor dictum suum probavit, licet hic in foro conscientiæ non sit propterea à peccato, & restitutionis onere immunis.

ARTICULUS II.

Cui, & apud quos fama sit reparanda?

CONCL. I. Non tenetur famæ suæ dissipator illam sibi reparari curare, nisi certe esset persona publica, aut ejus infamia in alios redundaret.

Ratio est: quia non minus est homo famæ suæ dominus, ac bonorum fortunæ: atqui dissipans propria fortunæ bona, vel sciens esse sibi ab alio erepta; non tenetur illa repetere: ergo nec advertens à se, vel ab alio famam suam esse dissipatam, tenetur illius reparationem procurare.

Dixi in conc. *Nisi esset persona publica*; illa enim, sicut & superior, obligatur ex justitia famæ sibi ereptæ reparationem qua-

rere. Ratio est quia tenetur ex officio, adeoque ex justitia bonum publicum promovere; atqui impossibile est moraliter, ut infamatus bonum illud promoveat, cum nihil magis ad virtutem stimulet inferiores, quam bona fama superioris, nihil magis retrahat, quam ejusdem infamia: ergo tenetur famam tanquam medium ad boni publici promotionem necessarium sibi procurare. Accedit: quod nihil magis minuat superioris auctoritatem, nihilque magis augeat inferiorum rebellionem, & contemptum, quam prava de superiore opinio.

Addidi: *Aut ejus infamia in alios, &c.* nam si infamia patris redundet in filios, prælati in subditos, subditi in communitatem, non potest famæ suæ jacturam permittere. Ratio est: quia licet homo sit dominus famæ suæ, non tamen alienæ: atqui tunc prodigendo famam suam, prodigit & alienam: ergo. Hic

Resol. Non posse prælatum, aut subditum regularem, sicut nec patrem familias, injuriam famæ suæ irrogatam condonare, ubi condonatio esset injuriosa communitati, aut familiæ. Et idem est de persona publica.

CONCL. II. Reparanda est fama tam defuncto, quam vivo.

Ratio est: quia etiam defunctus retinet jus ad famam, cum illa etiam diu post mortem reddat hominem gloriosum, celebrem, memorabilem, &c. Unde est: illud Eccli. 14. *Bonum nomen permanebit in ævum*; imo, si infamato defuncto, infamarentur propterea ipsius hæredes, fratres, &c. ipsis quoque restitutio faciendæ esset.

CONCL. III. Tenetur detractor famam reparare, non solum apud auditores immediatos, sed etiam mediatos, idest apud illos, quibus primi audientes factum divulgaverunt, si prævidit, aut prævidere debuit dictum suum ulterius evulgandum; tenetur autem prævidisse, aut debuit prævidere, quando sciebat, dubitabat, aut suspicabatur audientes esse garrulos, aut non ita secretos, injuriatos, inimicos, &c. Item quando primi audientes tot erant ut crimen ipsius manifestatum posset dici publicum: tunc enim solet sine scrupulo divulgari, saltem ubi creditur verum.

Ratio conclusionis est, quod tunc non solum prima criminis revelatio, sed etiam inde sequens divulgatio sit ipsi imputabilis, cum hanc explicite, aut implicite voluerit: unde in defectu illorum, qui factum ulterius sparserunt, ipsi incumbit ex justitia integram reparationem procurare, sive per cæncionatorem, sive per chartas publicas id exequi teneatur cum magno sui dedecore; & inde patet, quam sit difficilis famæ reparatio, quæ ita facile solet lacerari.

Dices 1. Praxis confessoriorum est, solum apud auditores immediatos retractationem imponere pœnitentibus: ergo.

R. Prudentes confessorios talem retractationem imponere, qualis necessaria est ad integram famæ restitutionem; & consequenter ubi deficiunt auditores, imponere debet primo detractori, ut suppleat, cum detrahendo illud onus sibi imposuerit.

Dices 2. Eo ipso quo quis se retractat apud auditores immediatos, implicite monet ipsos, quod, si apud alios factum propalaverint, teneantur similiter se retractare: ergo satisfacit suæ obligationi.

R. Ant. esse verum, sed consequ. falsum, si auditores moniti retractationem negligant: unde sicut consulens alteri incendium, non satisfacit suæ obligationi, monens executorem de restitutione facienda, si hic deficiat: ita nec in nostro casu.

Dices 3. Impossibilis est apud omnes restitutio, cum non possint omnes deprehendi, apud quos volavit infamatio.

R. Etsi nemo teneatur ad impossibile, tenetur tamen quilibet efficere, quantum in se est, ut nocumentum proximo illatum resarciat; & consequenter si non possit resarcire, singulos auditores inquirendo, tenetur retractationem publicam adhibendo.

ARTICULUS III.

Quantum, & quomodo sit restituendum ratione famæ ablatæ?

CONCL. I. Qui alium infamavit, sive falsum imponendo, si-
ve verum occultum manifestando, tenetur omnia damna inde sequentia resarcire. Est contra Scotum volentem omnia quidem esse reparanda ab eo, qui falsum imposuit, sed tantum partem ab eo, qui verum detexit, eo quod tunc damnus, ut ait, non proveniat à sola detractatione, sed etiam ab eo qui crimen patravit: additque minus esse, crimen verum aperire, quam falsum alicui affingere, nihilominus

Prob. universaliter conclusio: quia imponens alteri falsum crimen, aut manifestans alterius crimen verum, sed occultum, facit ipsi injuriam. Primum patet, secundum prob. quia per crimen occulte patratum nullatenus perdidit jus ad famam: ergo tenetur omnia damna ex tali injuria sequentia reparare.

Confirm. 1. Ideo imponens falsum crimen, tenetur omnia damna resarcire, quia est causa totalis illorum: atqui detegens verum crimen, est etiam illorum causa totalis, cum non criminis patratio, sed ejusdem manifestatio damnus causaverit: ergo.

Confirm. 2. Quia crimen occulte commissum, est quasi non esset in ordine ad causandum damnus: ergo non illud sed ipsius cognitio est causa dampni. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui per detractationes, aut contumelias causa est, cur juvenis, aut puella perdat pingue matrimonium, clericus dignitatem, aut beneficium, doctor magistralem cathedram, laicus officium, aut magistraturam; cur advocatus non habeat lites defendendas, medicus infirmos curandos, mercator emptores, elemosynas Ecclesia, aut monasterium legata, &c. omnibus damnis reparandi esse obnoxium. Hæc vera sunt, & necessario observanda, sed raro practicata.

Resol. 2. Si injuste aperis marito uxoris adulterium, & ille adulterum occidat, te obligari omnia damna ex morte adulteri sequentia restituere.

CONCL. II. Ubi non potest famam proximi læsam reparare, non teneris eam pecunia redimere. Est communior.

Ratio est; quia bonum superioris ordinis non potest compensari per bonum ordinis inferioris, quantumcumque sit, unde licet pro fama viri honesti 100. millia aureorum dares, equidem insufficienter dares: eo quod superet omnem pecuniæ valorem: & ideo cum nullo pretio sit commensurata, nullo pretio est redimenda.

Dices 1. D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. ait: *Si non possit detractor famam restituere, debet ei aliter compensare*: ergo.

R. Debere aliter compensare per bona ejusdem, aut superioris ordinis, v. g. infamatum laudando, extollendo, de ipso honorifice loquendo, signa honoris exhibendo, pro ipso orando; non tamen per bona inferioris ordinis, propter rationes datas.

R. Doctor loquens paullo ante de reparatione membrum ablatum, quod est etiam bonum superioris ordinis, dicit esset faciendam in pecunia vel in honore: ergo similiter reparatio famæ, quæ non potest fieri retractatione, aut honore, fieri debet pecunia.

R. Reparationem membri abscissi, sicut & famæ læsæ, fieri debere pecunia, ubi accedit vel sententia judicis, vel pœnitentia confessarii, & hoc vult S. Thom. sed tunc traditur pecunia in pœnam delicti, non in compensationem læsionis.

Dices 2. Licet non possumus Deo plene satisfacere pro injuria per peccatum mortale irrogata, non tamen sumus exempti ab omni satisfactione: ergo licet non possumus per pecuniam integre satisfacere pro famæ læsione, non propterea liberi sumus ab omni pecuniaria solutione.

R. disp. esse, quod satisfactionem pro peccato, licet de se insufficientem, exigat Deus, satisfactionem autem pecuniariam pro reparatione famæ nec lex positiva, nec ratio naturalis exigat, imo potius contrarium insinuat, cum fama, secundum communem hominum apprehensionem, non sit res venalis, quæ sola tamen pretio pecuniario comparatur.

CONCL. III. Qui verum crimen occultum propalavit, non potest, ad famæ reparationem, dicere: *fuit mentitus*, ut volunt plurimi, sed bene: *fatue dixi, male fui locutus, injuste proximum infamavi, meliorem me contemsi*, &c. utraque pars est D. Th. supra, Scoti 4. dist. 15. q. 4. n. 4. & aliorum.

Prob. 1. pars; *Quia sic faciendo*, inquit Doctor Subtilis, *mentiretur*, quod nulla causa licitum est. Præterea, si tunc licita esset amphibologia, & licite posset detractor asserere: *falsum dixi, mentitus sum*, nullus restaret modus reparandæ famæ per impositionem falsi criminis ablatæ; nam eo ipso quis diceret: *fui mentitus*, tale quid denuntiandum possent auditores astuti credere de-

tractorem uti amphibologia, & infamatum reum esse criminis pro-
palati: quod esset maximum inconveniens.

Prob. 2. pars; quia non potest assignari modus restitutionis
convenientior: docent quidem plurimi modum reparandi per publi-
cam infamati laudationem esse multo aptiorem; sed, vel laudatur in
ea materia, in qua fuit infamatus, vel in diversa: si in eadem, di-
cendo v. g. illum, quem de adulterio reum fecisti, esse castum,
pudicum, uxori fidelem, &c. mentiris: si in diversa: ut si dicas
devotum, humilem, charitativum, quem dixisti fornicarium, aut
latronem, non restituis famam ad æqualitatem, nec per hoc ex-
tinguitur prior infamia: unde modus noster videtur huic præ-
ferendus.

CONCL. IV. Qui falsum crimen alteri affinxit, debet infa-
miam illam delere per sinceram dicti sui retractationem, unde, &
aperte declarando, se falsum dixisse, enormiter fuisse mentitum, &c.
imo si pro astruendo crimine juramentum aut testes adhibuit, de-
bet similiter pro eodem destruendo juramentum, & testes adhibe-
re, si aliter fieri non possit.

Ratio est; quia facienda est restitutio ad æqualitatem: ergo non
minus facere debet calumniator, pro famæ reparatione, quam fecit
pro ejusdem destructione, aut læsione. Sed numquid debet etiam
juramentum, & testes adhibere, ubi sine illis crimen imposuit? af-
firmant aliqui, ubi audientes per simplicem retractationem non per-
suadentur de contrario; negant alii; putem ego, adhibendam esse
ex charitate, imo & probabilius ex justitia; ex charitate quidem dic-
tante mihi esse hæc in re alteri faciendum, quod vellem mihi fieri:
ex justitia vero, quia tenetur detractor, quantum potest, effica-
citer satisfacere, seu id omne efficere, quod hic & nunc creditur
necessarium, ut restituatur quod ablatum est; alias censetur res-
titutio insufficientis, & inefficax.

ARTICULUS IV.

*An fama sit cum æquali damno restituenda, & an detur in hac
materia locus compensationi?*

CONCL. I. Qui alterum infamavit tantum materialiter, non
tenetur cum dispendio suæ famæ alterius famam reparare secus
qui formaliter.

Prob. 1. pars; quia qui alterum infamavit tantum materialiter,
v. g. quia bona fide credebatur publicum, quod erat occultum,
non tenetur restituere ratione injustæ damnificationis, cum suppo-
natur non peccasse; sed tantum quasi ratione rei acceptæ, seu quia
reperitur quodammodo in manibus ejus fama aliena; sed qui hæ-
bet apud se sine culpa rem alienam, non tenetur illam restituere
cum magno sui nocimento: ergo nec similiter in nostro casu; & ideo

diximus art. 1. concl. 2. talem esse obnoxium restitutioni, ubi id
commode præstare potest.

Prob. 2. pars; quia in pari causa & damno, melior est condi-
tio innocentis; ergo si non possit reus famam innocentis restituere,
nisi seipsum infamando, ad id tenetur.

Confirm. 1. Quia non est justum, ut damnum patiat inno-
cens, propter puram alterius malitiam; & ideo, si in illas angus-
tias se redigat infamator detrahendo, sibi imputet.

Confirm. 2. Ubi non potest quis rem injuste ablatam restituere
sine magnis expensis, ad illas tenetur, ut suo loco diximus: ergo si-
militer in nostro casu. Non tamen sic intelligenda est conclusio, ut
nullo casu detur excepto: nam sicut non tenetur quis restituere 10.
nummos, ubi non potest nisi cum expensis 100. aureorum, sed tunc
sufficit illos distribuere pauperibus; ita secundum doctores com-
muniter, non tenetur Episcopus, aut alius magni nominis cum fa-
mæ suæ dispendio famam rusticum, aut plebejo resarcire; sed suffi-
cit, si infamato signa honoris exhibeat, ipsum familiariter alloquen-
do, conservando, ad mensam invitando, vel etiam condonationem
ab eo exigendo: quod tutius est.

CONCL. II. Non datur locus compensationi, ubi tantum ex
una parte facta est infamatio, secus si ex utraque parte.

Prob. 1. pars; quia numquam licet proximum infamare ex vin-
dicta; sed si infamatus alium infamaret compensationis, ergo id fa-
ceret ex mera vindicta, cum per hoc nullatenus possit famam suam
recuperare, aut defendere, &c. Excipe tamen, nisi id faceret ad
labefactandam auctoritatem infamantis & præcise quantum neces-
sarium foret, ne illi fides adhiberetur, dicendo v. gr. quod non so-
lum hac vice pepercerit veritati; & certe si possum injuste aggre-
dientem vi repellere, ne vitæ meæ, aut membris noceat, quidni
& infamantem infamare, ne fama mea injuste laberetur, tunc enim
non est alterius infamiam quærere, sed præcise famæ suæ consule-
re; cavendus tamen in moderamine justæ tutelæ excessus.

Prob. 2. pars; quia si Petrus v. g. infamavit Paulum, & Pau-
lus vicissim Petrum, potest tamdiu Paulus famam Petri non resti-
tuere, quamdiu Petrus non vult ipsi satisfacere; sed ibi est quædam
compensatio: ergo. Prob. maj.; quia id fieri potest in fortunæ bo-
nis, ubi duo sunt sibi invicem debitores: ergo & in bonis famæ, ubi
duo sunt sibi invicem detractores: unde tunc censetur adesse ex
parte utriusque virtualis condonatio: eo enim ipso quo non vult
quis alteri satisfacere, vult & implicite ab eodem sibi non satisfieri:
ubi tamen Petrus in nostro casu vellet Paulo famam restituere, te-
netur Paulus vicissim illi satisfacere, nec posset recusando Petri res-
titutionem, uti compensatione, cum infamia unius non deleatur per
infamiam alterius, sicut debitum pecuniarium deletur per alterum
æquivalens.

ARTICULUS V.

Quæ causæ excusent à restitutione famæ?

Variae causæ detractorem excusant à restitutione, ac 1. condonatio infamati sponte facta, sine alterius detrimento. 2. Quando propter nimiam criminis publicitatem & alias circumstantias prudenter judicatur irreparabilis; quia nemo tenetur ad impossibile; ubi tamen non posset quis infamiam totaliter tollere, posset autem minuere, ad id teneretur, quia restituere debet quantum potest, ut patet in debito pecuniario. 3. Si jam crimen factum sit publicum per justam judicis sententiã. Aliud esset, si alter injuste publicasset: tunc enim non esset exemptus; quia etsi in primo casu perdidit infamatus jus ad famam, non tamen in secundo. 4. Si ex detractioe nulla secuta est infamia, v. g. quia crimen antea publicum erat, aut quia præsentibus non audierunt, vel non crediderunt, aut etiam quia jam alter erat in illa materia diffamatus. De illis non occurrit specialis difficultas, sed bene de sequentibus, quam ideo per conclusiones resolvemus.

CONCL. I. Non est restituenda fama cum periculo vitæ, secus cum spendio honorum fortunæ.

Prob. 1. pars ex regula communiter recepta, quia nempe bona inferioris ordinis non sunt reparanda cum detrimento bonorum ordinis superioris; sed vita est bonum ordinis superioris, quam sit fama: ergo. Limitandum est, nisi infamato immineret ex tua detractioe mortis periculum; quia in pari causa melior est conditio innocentis: unde si falso dixisti aliquem esse proditorem, & ideo sit morte plectendus, teneris falsitatem, aperire, etiamsi eodem supplicio esses afficiendus.

Prob. 2. pars; quia etsi fama non sit pecunia compensabilis, ubi tamen ad debitam reparationem requiruntur expensæ, v. g. pro itinere, promulgatione, &c. faciendæ sunt ex justitia: quia bona inferiora famulari debent superioribus. Unde aliud est famam pecunia compensari, & aliud pecuniam inservire ad debitam famæ restitutionem.

CONCL. II. Ubi fama aliunde reparata est, excusatur detractor ab ejusdem reparatione; non tamen ab omnibus.

Prob. 1. pars; quia finis restitutionis est, ut infamatus talis habeatur apud alios, qualis erat ante infamationem; sed ubi aliunde facta est reparatio, ex tunc talis habetur, qualis erat ante detractioem: ergo non est facienda alia restitutio: unde si aliquem accusasti de furto, de hæresi, de adulterio, & hic per sententiam publicam declaratus sit innocens, non teneris famam restituere; teneris tamen pro injuria (si alter requirat) satisfacere, veniam petendo, aut aliud præstando.

Prob. 2. pars; quia si infamatus pro fama recuperanda expensas fecit, debet illas infamator refundere; quia non est justum, ut innocens propter alterius malitiam damnum patiatur.

CONCL. III. Non est obligatio famam reparandi, ubi infamia integre obliterata est; sive interim crimen pro palatum esset verum, sive falsum; modo non sit periculum ne scintilla sub cineribus consopita iterum excitetur.

Ratio est, quia res oblivioni tradita eodem modo se habet apud homines, ac si nunquam fuisset, & consequenter superfluum esset, immo nocivum, dicti præteriti memoriam refricare, quandoquidem posset inde vulnus jam clausum iterum aperiri; censebitur autem memoria criminis impositi sufficienter extincta, ut etiam extinguat restitutionis obligationem, si multo tempore elapso, nulla fiat ipsius mentio. Sed quid agendum in dubio? si ex restitutione nulla imminet læsio nova infamato, facienda est; quia in dubio melior est conditio innocentis; si autem credatur potius obfutura, quam profutura omittenda est; & ideo magna hic prudentia opus est.

QUÆSTIO ULTIMA.

An & qualiter honor ablati sit restituendus?

Suppono dupliciter posse inhonorari proximum, privative & positive; privative inhonoratur per omissionem honoris debiti, ut si Episcopum non salutes, positive per verba, facta, aut signa contumeliosa, ut si cornua ad domum alterius appendas, si nobilem fuste aut alapa excipias.

CONCL. I. In rigore non teneris ad restitutionem, si tantum privative alterum inhonorasti, secus si positive.

Prob. 1. pars; quia qui superiori signa honoris debiti non exhibuit, non læsit virtutem justitiæ, sed observantiæ: excipe tamen nisi signa honoris omisisses in iis circumstantiis, in quibus omissio censeretur virtualis contumelia, ut si gubernatorem, aut parochum, ceteris salutantibus, non salutes, sed arroganter subsisteres: tunc enim deberes ex justitia ipsos honorare coram illis, coram quibus inhonoraveras.

Prob. 2. pars; quia qui positive alterum inhonoravit, majorem fecit ipsi injuriam, quam si pecuniam ipsius abstulisset, cum honor prævaleat divitiis; sed qui abstulit pecuniam, tenetur restituere; ergo & qui abstulit honorem: quod verum est, sive in publico, sive in occulto id fecerit; ita tamen, ut qui publice inhonoravit, publice restituat, vel saltem ita ut satisfactio innotescat illis coram quibus facta est inhonoratio; alias non fit ad æqualitatem reparatio. Nugat quidam auctor, inhonoratorem secretam obnoxiam esse restitutioni; sed ejus opinio non satis congruit Evangelicæ veritati; nam Matthæi 5. præcipit Christus sine distinctione, ut

qui habet aliquid adversus fratrem suum, quem v. g. vocavit *racha*, *fatue*, vadat relicto in altari munere, reconciliari fratri suo per restitutionem honoris ablati, ut explicant patres & interpretes; jam autem cum nec Evangelium, nec Patres, nec theologi distinguant inter contumeliam publicam, & secretam in ordine ad obligationem restitutionis, nec nos distinguere debemus.

CONCL. II. Varii varios referunt honoris reparandi modos, sed cum nullus assignari possit, qui in quolibet casu, & pro qualibet persona sufficiat, dico illum esse universaliter requisitum, & sufficientem, quo, attentis circumstantiis inhonorationis, personæ inhonoratæ & inhonorantis, creditur secundum prudentis iudicium, honor ad æqualitatem reparari; unde major debetur reparatio, ubi inhonoratus est superior, aut nobilis; minor, ubi inferior; media, ubi æqualis: & quidem pro contumelia ordinaria exigit Aug. in sua Reg. cap. 20. veniæ petitionem ab inferiore, non tamen a superiore, ne, ut ait ibidem, *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*; & ideo satisfaciet, si subditi contumeliis affectum amabiliter alloquatur, honorifice salutet. Idem est de patre, marito, præceptore, domino, respectu filii, uxoris; discipuli, famuli, aut ancillæ. Immo si contumeliis usi sint ad correctionem, ad nihil tenentur, licet paullulum excesserint, quia, vel non censentur per hoc subditi inhonorati, vel certe eorum aliqualis inhonoratio iudicatur ad salutem expediens: quamvis & in hoc multa requiratur prudentia, ne subditi inde exacerbati potius conturbentur, quam corrigantur.

Æqualis vero satisfaciet æquali inhonorato per contumeliam ordinariam, ipsum invitando ad mensam, locum honorificum præbendo, ipsi amabiliter propinando; quamvis & in ipso laudabilis esset veniæ petitio, ut qui superiorem se gessit alterum minuendo, se inferiorem agnoscat, se humiliando.

Dixi: *Per contumeliam ordinariam inhonorato*, nam potest esse injuria adeo gravis & atrox, ut nequidem veniæ petitio sufficeret in æquali, sed addenda foret genuflexio ante injuratum, manibus junctis.

Notandum hic, non censi injuratum injuranti condonare per hoc, quod salutantem resalutet, interroganti respondeat, ut antea conversetur, &c. quia etsi secundum legem charitatis odium deponat, veniam in corde concedat, & ideo exterius Christiane se gerat, non censetur propterea renuntiare juri, quod habet ad debitam honoris læsi reparationem.

TRACTATUS II.

DE JURE ET JUSTITIA.

Hujus tractatus notitia, licet jurisconsultis maxime propria, non est tamen confessariis superflua: sed utilis & necessaria: tot enim in confessionibus, resolutionibus, consultationibus occurrunt casus, dubia, difficultates materiam justitiæ & injustitiæ concernentes, ut nisi qui tractatum, hunc, non leviter, non per transennam, sed mature & attente legerit, ac perfecte possederit, pœnitentes innumeris exponat injustitiis, & seipsum variis peccatis, ac restitutionibus faciendis. Ut igitur inconvenientiis illis obviamus, illuminante solis justitiæ lumine, justitiam, ejusque objectum, divisiones, proprietates, obligationes, & alia ad eandem spectantia solide, sed clare; breviter, sed abunde scholaribus exponere conabimur. Faxit Deus cum fructu & animarum salute.

DISPUTATIO PRIMA.

De Jure & Justitia in communi.

Cum impossibile sit cognoscere species, nisi prius cognoscatur earundem genus; ideo antequam ad singulas juris species descendamus, pauca de ipso jure, & justitia in communi præmittemus.

Q U Æ S T I O I.

Quid jus, & quotuplex?

Variè à variis jus accipitur; sed dupliciter præsertim hic spectari potest; ac 1. ut idem sonat quod lex, seu regula: & sic dividitur in naturale, & positivum; positivum vero in divinum & humanum, quorum primum subdividitur in vetus, & novum, secundum in jus gentium, ecclesiasticum, seu canonicum, & civile, seu politicum, de quo sic sumpto late discurremus in tractatu de Legibus.

2. Sumitur jus pro justo, sitque acceptum aliud est generale, aliud speciale: generale idem est quod legitimum, legi consentaneum, lege stabilitum; & hoc modo est formaliter objectum obedientiæ, quæ ideo vult & facit, quia præceptum est. Jus speciale de quo solo hic agimus, significat æqualitatem inter datum & acceptum, importatque rationem debiti, & hoc modo, ut postea dicemus, est objectum justitiæ, quæ directe in hoc tendit, ut detur unicuique quod suum est, id est tantum, quantum debetur.

CONCL. I. Jus specialiter acceptum, est facultas legitima, quam quis habet ad aliquid obtinendum, retinendum, faciendum, recipiendum, &c. ita ut non possit licite impediri.

Dicitur 1. *Facultas*, id est, potestas vel activa ad aliquid exequendum, retinendum, &c. vel passiva ad recipiendum; v. g. alimentum, pensionem, servitium, &c. vel resistiva, ne sibi, aut suis rebus noceatur, v. g. parietem nimis atollendo, viam indebitam in agris conficiendo, fenestram aperiendo, &c.

Dicitur 2. *Legitima*, id est concessa per legem sive naturalem, sive divinam, sive humanam, & ideo cum varia sint legum genera, ita & jurium, quæ ab ipsis tribuuntur: unde habet homo jus naturale ad sui sustentationem, & membrorum usum, jus divinum ad recipienda Sacramenta, jus humanum ad hæreditandum, præscribendum, &c. quia primum conceditur homini per legem naturæ, secundum per legem divinam, tertium per legem humanam.

Dicitur denique: *Ita ut non possit licite impediri*, & ideo impediens facit injuriam, seu injustitiam impedito, quæ consistit in juris alieni violatione. Jus autem non est quid physicum, sed morale, ut satis patet.

CONCL. II. Dividitur jus ab aliquibus in personale, seu ad personam, puta mancipium, in reale, seu ad rem à persona distinctam, & in judiciale, seu ad actionem judicalem] in ordine ad aliquid obtinendum. Celebris tamen juris divisio fit per jus ad rem; & per jus in re. Jus ad rem est illud, quod non respicit immediate rem ipsam, sed rei possessorem, in quem dat actionem, ut res illa nostra fiat; tale jus acquiritur emptori, & cuilibet contrahenti ante rei traditionem. Item tale jus habes ad beneficium tibi collatum, sicut ad hæreditatem tibi successione obvenientem, quamdiu necdum illa acceptasti. Jus in re, est illud, quod respicit immediate rem ipsam, in quam dat actionem, ita ut possimus illam, ubicumque fuerit, repetere: tale jus habemus in rem emptam, promissam, donatam post traditionem, sicut & in beneficium, hæreditatem, legatum post acceptationem; unde jus ad rem est imperfectum, debile, & inchoatum, respicitque dominium adquirendum; jus autem in re est jus completum, & perfectum, supponitque adquisitum rei dominium, à quo forte non distinguitur. Ex dictis

Resol. 1. Si quis rem à te emptam, aut tibi promissam vendit alteri, te non posse rem illam in judicio repetere velut tuam, sed

manet tibi actio in venditorem, aut promissorem, ut tibi rem illam, aut aliam, aut æquivalentem tradat.

Resol. 2. Ubi rem donatam, aut promissam recepisti, & à te aufertur, tibi competere actionem, non tantum in furem, sed etiam in ipsam rem, ad quascumque personas pervenerit, etiam per emptionem bona fide factam, quia semper tua est & remanet.

Q U Æ S T I O I I.

An jus sit objectum & medium justitiæ?

Suppono 1. Objectum materiale justitiæ esse res omnes quæ commutantur, promittuntur, donantur, distribuuntur, &c. ut sunt pecuniæ, domus, prata, supellex, officia, beneficia, redditus, servitutes, & alia quæ dici possunt materia remota justitiæ; actiones vero, per quas res illæ commutantur, distribuuntur, &c. materia proxima; eo quod illas dirigat justitia, ut in iisdem servetur æqualitas.

Suppono 2. Objectum formale justitiæ (de quo tantum hic quærimus) esse duplex, nempe objectum *quod*, & objectum *cui*: objectum *quod* est id, quod intendit & respicit justitia, estque redditio debiti ad æqualitatem juris alterius, seu est redditio tanti, quantum alteri debetur: Objectum *cui* est ratio, cur alteri sit aliquid debitum.

CONCL. I. Jus à nobis definitum, est objectum *cui* justitiæ; jus autem, ut idem est quod æquum, æquale, justum, alteri debitum, est objectum *quod*.

Prob. 1. pars; quia ratio adæquata cur Petro v. g. sint debiti 100. aurei, est jus quod habet ad illos: unde valet hæc consequentia; ideo Petro debentur 100. quia jus habet ad 100. ergo jus illud est objectum *cui* justitiæ.

Confirm. quia etsi justitia non intendit jus alterius, intendit tamen redditionem debiti proportionate ad jus alterius, sicque dicit ordinem intrinsecum ad illud tanquam rationem fundantem debitum: unde justitia supponit jus in uno, & debitum in altero.

Prob. 2. pars; illud est objectum formale *quod* virtutis, circa quod principaliter versatur virtus; sed justitia versatur principaliter circa æqualitatem inter jus & debitum: ergo.

Confirm. Quia ille dicitur specialiter justus, qui intendit, diligit, & servat illam æqualitatem, injustus vero, qui illam non servat: ergo æqualitas illa ut debita, & juri commensurata, est objectum *quod* justitiæ. Hinc

Resol. 1. Etsi pecuniæ, agri, beneficia, &c. secundum se sumpta sint tantum objectum materiale justitiæ, ut diximus: quatenus tamen sunt debita, & alterius juri commensurata, esse objectum illius formale.

Resol. 2. Rem tantum alteri debitam ex decentia, honestate, aut gratitudine, non esse objectum justitiæ, quia nullum supponit jus in re, vel ad rem. Antequam ad conclusionem 2. descendamus

Advertendum est medium virtutis (sic dictum, quia mediat inter excessum & defectum) posse esse duplex, unum rei, alterum rationis: medium rei est, quod ex natura sua tale est, adeoque independentem à præscripto rationis illud regulantis; medium rationis vero, quod tale constituitur per rationem, attentis circumstantiis personarum, temporis, loci, &c. sive interim sit tale à parte rei, sive non.

CONCL. II. Jus est vere medium justitiæ. Est communis.

Prob. Medium virtutis justitiæ, est medium rei: sed jus est tale medium: ergo. Prob. maj. quia postulat justitia, ut tantum detur à parte rei, quantum de facto debitum est, nam si plus detur, liberalitas est; si minus, injustitia: & ideo non hic recta ratio medium justitiæ constituit, sed supponendo constitutum præscribit observari. Prob. min. Quia jus, quod est objectum formale quod justitiæ, nihil est aliud, quam redditio tanti, quantum debetur à parte rei, seu æqualitas physica inter debitum unius, & jus alterius: ergo.

Petes, cur medium justitiæ sit rei, & aliarum virtutum rationis?

R. Quia medium justitiæ est per ordinem ad jus alterius, quod per se notum est; medium autem aliarum virtutum per respectum ad internas operantis dispositiones, quæ cum sint nobis ignotæ, ad rationem recurrendum est, ut quantum potest, omnibus attentis, præscribat quid & quantum debeat unus facere, à quo & à quibus alter abstinere, ut medium servet, seu ut in actibus virtutum nec excedat, nec deficiat; ita ut quod prudens ratio præscripserit, sit virtutis medium, licet sæpe à parte rei non sit tale, & præcipiat quandoque uni jejunium, cui magis conveniret comestio; & è contra alteri comestionem, cui magis conveniret jejunium, ut non ita raro accidit respectu infirmorum: & hinc

Resol. Eum, qui tempore præcepti non posuit actum temperantiæ, aut fortitudinem talem, qualem requirebat ejus dispositio, non teneri novum ponere, si bona fide credidit esse sibi proportionatum: contrarium accidit in actu justitiæ; & ideo si quis advertat postea, se non satisfacisse ad æqualitatem, tenetur supplere, licet tempore satisfactionis crederet invincibiliter ipsam esse sufficientem: quorum ratio est, quod medium aliarum virtutum dependeat à prudenti operantis judicio; justitiæ autem à reali juris æqualitate.

Q U Æ S T I O I I I.

Quid sit jus altum & bassum?

Alii hanc questionem instituunt de dominio: quia tamen ex rei

dominio oritur jus proportionatum, ideo non incongrue hic ponitur.

CONCL. I. Jus altum est dominium directum Principi concessum in bona subditorum ad conservationem boni communis.

Dicitur 1. *Dominium directum*, & non utile: in hoc differt jus, quod habent cives in sua bona à jure, quod habet princeps in eadem: illi enim possunt ex suis bonis fructus, & emolumenta percipere in propriam, & privatam utilitatem; princeps autem non nisi in reipublicæ necessitatem.

Dicitur 2. *Principi concessum*; quia eo ipso quo quis eligitur princeps, jus illud necessario ipsius officio annectitur; cum ad conservationem boni communis, cui dirigendo & conservando ipse præficiatur, sit necessarium tamquam medium ad finem.

Dicitur 3. *In bona subditorum*; si enim jus habeat aliquo sensu in subditorum vitam, ubi id exigit boni communis necessitas, à fortiori jus habere debet in ipsorum bona, quæ sunt inferioris ordinis: hoc jus tamen altum non tollit jus bassum subditorum, cum tantum locum habeat in necessitate, immo eo tempore quo subditus, etiam non compulsus, debet se, suaque offerre.

Dicitur denique: *Ad conservationem boni communis*; quia sicut bonum commune est finis unicus, & adæquatus, cur præficiatur princeps, ita finis est adæquatus cur ipsi concedatur jus illud.

CONCL. II. Jus bassum est ipsumet dominium; quod habent cives in propria bona, ita ut possint de illis disponere in omnem usum lege permissum. Ex dictis

Resol. 1. Jus altum differre à jure basso. 1. Ex parte objecti, cum illius objectum sit bonum publicum communitalis, hujus autem bonum privatam. 2. Ex parte principis, quod altum originem habeat ex voluntate subditorum, qui eatenus illud principi concesserunt, quatenus ipsum communitalis suæ caput constituerunt, bassum vero nonnumquam ortum habeat à natura titulo generationis, aut superioritatis. 3. Ex parte rei, quod jus bassum sit absolutum, altum verum quasi conditionatum, si nempe adsit necessitas publica, & ideo dicitur jus diminutum.

Resol. 2. Duplex competere jus principi in bona subditorum, adeoque & duplex in subjectis resultare debitum, cum jus exigendi in uno supponat debitum solvendi in altero: primum jus fundat justitiam commutativam ratione contractus impliciti, quo princeps obligavit se proprio labore, & industria communitali sibi commissam protegere & conservare; & communitas vicissim propriis expensis, illius supremæ dignitati proportionata in mercedem subministrare. Secundum fundat justitiam legalem, estque ipsum jus altum respiciens, non personam principis sicut primum, sed bonum communitalis.

QUESTIO IV.

Quid & quotuplex justitia?

Diversimode accipitur justitia, sed præsertim dupliciter: 1. Pro collectione omnium virtutum, qua ratione vir pollens omnibus virtutibus dicitur *justus*, de hac justitia dixit Chrysost. homil. 12. in Matth. *Justitia est omnium mandatorum plena custodia*. Et August. lib. de Natura & Gratia c. 70. *Charitas inchoata, inchoata justitia est... Charitas magna, magna justitia est. Charitas perfecta, perfecta justitia est*. 2. Sumitur pro virtute speciali, de qua hic agimus.

CONCL. I. Justitia definitur communiter à juristis & theologis, *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*.

Dicitur 1. *Voluntas*, non sumpta pro animæ potentia, quæ communis est justitia servanti, & lædenti; neque etiam pro actu voluntatis transeunte: alias esset definitio justitiæ actualis; sed pro habitu, seu proposito habituali firmo, & deliberato unicuique satisfaciendi ad æqualitatem: unde D. Thomas 2. 2. q. 58. art. 1. sic justitiam definit: *Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit*.

Dicitur 2. *Constans*; quia virtus: qualis est justitia, non dicitur talis, nisi fuerit actibus diuturnis firmata.

Dicitur 3. *Perpetua*; quia se extendere debet, non tantum ad unum aut alterum actum, sed ad omnes actus, omne tempus, omnemque occasionem.

Dicitur 4. *jus suum*; idest, debitum quocumque titulo contractum.

Dicitur tandem: *Cuique tribuendi* ad denotandam altereitatatem, seu distinctionem debitoris, & creditoris, cum nemo possit esse sibi debitor, & ideo non est proprie justitia ad seipsum, sed ad alterum.

Petes: In quo differat justitia ab aliis virtutibus moralibus?

Resp. 1. In hoc, quod medium justitiæ sit rei, aliarum virtutum rationis, ut antea diximus. 2. Quod justitiæ subjectum sit voluntas; aliarum autem vel intellectus, vel appetitus sensitivus, ut volunt plurimi. Sed etiam habitus temperantiæ, & fortitudinis collocant in voluntate Doctores Seraphicus, & Subtilis cum multis aliis. 3. Quod aliæ virtutes, ut temperantia & fortitudo, moderentur primario animi passiones: nempe ut homo non plus irascatur, non plus metuat, non plus comedat, non plus delectetur, quam postulat ratio in talibus circumstantiis, & in tali dispositione, justitia vero tantum regulet primario actiones ad alterum tendentes, ut ponatur æqualitas inter debitum & solutum, læsum & reparatum, licet secundario etiam possit animi passiones moderari: homo enim jus-

tus non raro tenetur frænare concupiscentiam, ne per stuprum, aut adulterium alteri faciat injustitiam; iram temperare, ne alterum occidat; sumptus moderari, ut debitoribus satisfaciat: illæ autem moderationes procedunt ex affectu, & virtute justitiæ, cum procedant ex intentione neminem lædendi.

CONCL. II. Celebris est justitiæ divisio in commutativam, distributivam, & legalem. Hæc distinctio videtur adæquata.

Ratio est; quia triplex reperitur ordo in communitate. Primus partis ad partem, & hunc disponit & regulat justitia commutativa, ut in contractibus & aliis actionibus (quibus inter se communicant cives) servetur æqualitas. Secundus est totius ad partes, regulaturque per justitiam distributivam, ut à communitate vel communitatis curam gerente officia, & onera proporcionate ad uniuscujusque capacitatem, & merita distribuantur. Tertius partium ad totum; & hunc dirigit & præcipit justitia legalis, in quantum inclinat subditos ad procuracionem, & conservationem boni communis, leges servando, tributa solvendo, seipsos quandoque exponendo, &c.

Porro justitia commutativa est illa, qua redditur unicuique debitum secundum proportionem arithmeticam, idest, præcise attendendo æqualitatem inter debitum & creditum, nullaque habita ratione dignitati, aut conditionis personæ, cui fit solutio: unde si 100. accepisti, teneris ex illa justitia reddere 100. tam diviti, quam pauperi, tam nobili, quam ignobili.

Justitia distributiva est illa, quæ distribuit onera, officia, præmia, & alia communitatis bona secundum proportionem geometricam, id est, non solum habita ratione valoris rerum distributarum, sed è præsertim conditionis meritorum, & idoneitatis personarum, quibus fit distributio: unde si sit distribuenda eleemosyna juxta cujusque paupertatem, plus dandum est pauperibus: si officium, præferendus est dignior, & sic de aliis.

Justitia legalis, aliter generalis, est illa, qua partes communitatis ut tales ordinantur, ad justum boni communis.

Dicitur 1. *Qua partes*: quia sicut bonum commune jus habet sustentari, ita obligatio est in partibus illud sustentare, ne succumbat: quod fit præsertim per legum observantiam.

Dicitur 2. *Ut tales*; quia licet pietas propter beneficium natiuitatis moveat nos ad promovendum & conservandum patriæ bonum; ad id tamen non movet quatenus sumus partes communitatis, & ideo distinguitur hæc justitia à virtute pietatis: quidquid dicant aliqui. Distinguitur etiam in rigore ab obedientia, cum hæc ponat opus, ut à superiore præceptum, illa ut bono communi debitum.

Dicitur autem hæc justitia *legalis*, non quia agit conformiter ad leges, cum hoc sit cuilibet justitiæ commune; sed quia attendit boni communis promotionem per legum observantiam, & ideo vocatur hæc justitia in religionibus *observantia regularis*. Dicitur

etiam *generalis*, non quod non sit virtus specialis, cum illius munus sit bonum commune procurare, & protegere ad debitam æqualitatem, etiam cum præjudicio boni particularis, quod est ipsi specificum, & speciale; sed quia habet pro objecto bonum commune, seu generale: & etiam quia alias virtutes ordinat ad illud bonum, sicque dici potest universalis in causando.

Dices contra conclusionem. Justitia vindicativa est vera justitia, & tamen non est una ex illis: ergo illa divisio non est adæquata.

Resp. aliqui, justitiam illam pertinere ad distributivam; quia sicut principis est ex justitia distributiva bene meritos remunerare, ita male meritos punire; sed infundatum apparet illud fundamentum, cum justitia distributiva non respiciat quid boni gesserit Petrus, v. gr. pro communitate, sed quid boni habeat in se, quantum sit expertus, prudens, versatus: unde quando Respublica remunerat illos, qui condigne pro ipsius conservatione laborarunt, non exercet actum justitiæ distributiæ, sed commutativæ, cujus est opera ad æqualitatem compensare, & hinc sequitur, quod sicut non est justitiæ distributiæ operibus meritoriis mercedem assignare, ita nec demeritoriis pœnam infligere, & ideo

Resp. Justitiam vindicativam pertinere ad commutativam; quia sicut est actus justitiæ commutativæ servare æqualitatem inter datum & acceptum, ita & ponere æqualitatem inter pœnam & delictum. Accedit, quod per justitiam vindicativam reparatur honor, quem abstulerat scelestus à Republica, illa autem reparatio est actus justitiæ commutativæ.

Q U Æ S T I O V.

An possit esse justitia inter Deum & hominem, patrem & filium, dominum & servum, maritum & uxorem?

Non quæritur de justitia, quæ supponit aliquod jus in Deo respectu creaturæ, cum certum sit apud omnes illam inter ipsos reperiri, sed de justitia, quæ supponit aliquid juris in creatura respectu Dei.

CONCL. I. Non potest inter Deum & hominem intercedere justitia stricta, potest latius sumpta. Est Doctorum Angelici, Seraphici, & Subtilis cum communi scholasticorum.

Prob. 1. pars; quia justitia stricte sumpta requirit ex parte debitoris perfectum debitum solvendi: sed implicat, ut sit in Deo perfectum debitum solvendi respectu creaturæ, & in creatura perfectum jus exigendi respectu Dei: ergo. Prob. min. quia cum Deus habeat non solum omnium rerum, sed & omnium jurium imaginabilium, inabdicabile dominium; nullum jus potest cedere, cujus non maneat dominus absolutus & independens; implicat autem, ut quis sit debitor proprie illiusmet, cujus est vere, & absolute dominus: ex quo patet ulterius non posse esse in homine perfectum jus

exigendi respectu Dei, cum perfectum jus exigendi in uno supponat perfectum debitum retribuendi in altero, quod hic non reperitur.

Confirm. Qui vere debitor est, ratione promissionis: non potest pro libitu de re promissa disponere: sed Deus, non obstante quantumque promissione, potest, quantum est ex parte creaturæ, non solum de re promissa, sed etiam de persona, cui facta est promissio, pro libitu disponere, eo quod hæc & illa semper maneat sub perfecto ipsius dominio: ergo.

Dixi: *Quantum est ex parte creaturæ*; quia ratione sui decreti immutabilis non potest non exequi quod promisit, sed hoc nullum jus ponit in creatura.

Dices 1. Homo promittendo homini obligatur ipsi ex justitia: ergo & Deus.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quod homo possit in alium jus suum transferre, non sic Deus ratione domini inabdicabilis & independens.

Dices 2. Licet non possit Deus promittendo cedere jus universale, quod ipsi competit titulo creatoris; potest tamen jus particulare: ergo. Probat. ant. quia etsi nequeat princeps abdicare dominium altum rei promissæ, potest dominium bassum.

Resp. neg. ant. Ad probationem dico, quod cum in principe jus altum, & bassum sint separabilia, possit unum abdicare, altero inabdicato; in Deo autem omnia jura universalis, & particularia essentialiter possidente, unum non possit esse sine altero, adeoque nec unum potest abdicare Deus altero inabdicato.

Dices 3. Ex promissione simplici oritur obligatio fidelitatis in Deo: ergo ex promissione sub conditione operis boni oritur obligatio justitiæ; cum hæc magis obliget, quam illa.

Resp. neg. conseq. quia & ipsum opus bonum est Deo debitum titulo religionis.

Dices 4. Etsi dominus habeat jus in omnia opera mancipii, si tamen ipsi aliquid promisserit intuitu certi operis, tenetur ad illud stricto jure: ergo similiter Deus.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quod possit dominus mancipio suo jus aliquod transferre, non sic Deus creaturæ propter rationes dictas.

Prob. 2. pars; quia si justitia sumatur præcise pro obligatione adimplendi promissum, potest Deus ex justitia teneri creaturæ; imo ex tali justitia debet justis coronam gloriæ, juxta illud Apost. 2. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*: unde de talis justitiæ debito loquitur August. cum serm. 16. de verbis Apostoli cap. 2. dicit Deo: *Redde quod promisisti; quia fecimus quod jussisti*. Item in psal. 38. circa fin. *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo*.

CONCL. II. Inter patrem & filium, dominum & mancipium, uxorem & maritum qua tales, non intervenit proprie justitia; scus si considerentur, quatenus homines.

Prob. 1. pars; quia inter ipsos non est perfecta altereitas, quam requirit justitia perfecta: filius siquidem & pater sunt moraliter quid unum, cum filius sit pars abscissa patris; & ideo obsequia omnia, quæ filius debet patri ex lege pietatis, non debet ut distinctus à patre, sed ut pars patris, ea autem quæ debet pater filio, non debet ut alteri, sed ut sibi ipsi, seu ut suæ parti.

Servus vero etiam non censetur alter à domino, cum non sit sui juris, sed domini; ipsiusque instrumentum animatum, & possessio, & ideo jus domini in servum non est justitiæ, sed despoticum, ratione cujus potest illum ut rem suam vendere, donare, commutare; debitum autem servi erga dominum, est observantiæ & obedientiæ.

Denique cum uxor & maritus sint caro una, non censentur etiam distincti in ordine ad regimen domesticum, cum jus uxori ad illud sit jus viri, seu dependens à viro. Aliud est de jure ad debitum conjugale: utriusque enim jus est perfectum, adeoque justitiæ, ut suo loco dicitur.

Dices 1. Si filius occidat patrem, servus dominum, violat justitiam: ergo intercedit justitia inter illos.

Resp. dist. ant. Violat justitiam, in quantum occidit patrem, aut dominum materialiter, seu quatenus homines sunt; C. In quantum occidit patrem, aut dominum ut talem; N. Nam sub illo respectu filius violat pietatem & servus observantiam.

Dices 2. Tenetur filius, etiam non emancipatus, restituere ea, quæ abstulit à patre: ergo supponitur justitia læsa.

Resp. Duplex esse jus in patre: unum principii, cui correspondet debitum pietatis in filio, alterum domini, cui correspondet debitum justitiæ; filius autem ut filius, tantum respicit primum jus, secundum vero ut homo, adeoque ut alter à patre, sub quo respectu potest esse debitor patri ex justitia, cum inter ipsos ut sic consideratos intervenire possit vera justitia.

Prob. 2. pars; quia quatenus homines, sunt sui juris, & ab invicem independentes in multis rebus: nec accipitur unus ut pars alterius, sed quilibet ut persona singularis, & capax ex bonis sibi propriis pacisci; & consequenter nihil obest, quominus inter ipsos sic spectatos intercedat rigorosa justitia.

DISPUTATIO II.

De speciebus juris.

Juris species sunt dominium, usufructus, usus, possessio, de

quibus hic agendum. Hanc vero materiam ex professo tractat D. Th. 2. 2. q. 66. art. 1. & 1. part. q. 69. Scotus autem 4. dist. 15.

QUÆSTIO I.

Quid dominium, & quotuplex?

Suppono 1. Rerum dominium, seu divisionem, nec à natura, nec à Deo fuisse introductam: non quidem à natura, quia etsi homo nascatur dominus suæ voluntatis, famæ, honoris, &c. non tamen agrorum, prædiorum, divitiarum, &c. cum natura relinquat illa omnibus communia, ne secundum se ad illorum divisionem inclinet: unde in statu innocentiae nulla fuisset honorum divisio: non etiam à Deo; quia nullibi legitur talem divisionem fecisse, aut præcepisse: divisit quidem terram Chananæorum Israelitis, sed fuit casus particularis procedens ex speciali ipsius bonitate: quod respectu reliquarum nationum non apparet fecisse: unde jure gentium, seu communi consensu introductum est *meum & tuum*, frigidum illud verbum, idque propter naturæ corruptionem.

Suppono 2. Attenta præsentis hominum conditione, superbia, cupiditate, avaritia, desidia, torpore, &c. sapientissime divisionem illam esse introductam, alias vix ullus laboraret, vix colerentur agri: omnes vellent esse domini, nullus servus, sicque bella & jurgia continua incalescerent.

Suppono 3. Non omnium rerum factam esse jure gentium divisionem, cum plurima, etiam nunc, sint omnibus communia, ut viæ publicæ, flumina, mare, aer, imber, gemmæ, & plurima alia, quæ ante occupationem nullius sunt determinate. His suppositis

CONCL. I. Dominium stricte sumptum (quod est proprietatis) est jus disponendi de rei substantia tamquam re sua in proprium commodum, juxta legis permissionem.

Dicitur 1. *Jus*, id est, facultas, seu potestas legitima & juridica, quam habet qui in rem, vel personam. Magis autem late patet jus, quam dominium, cum jus habeat filius, ut alatur à patre, subditus, ut conservetur à principe, non tamen dominium; sicut nec domus suæ dominium habet locatarius, licet jus habeat illa utendi.

Dicitur 2. *Disponendi*, id est, vendendi, donandi, commutandi, aut aliter de re contrahendi.

Dicitur 3. *De rei substantia*, ut ostendatur distinctio inter dominium, & usufructuarium, quorum primus potest de re, reique fructibus disponere, secundus de solis fructibus, ut postea dicemus.

Dicitur 4. *Tamquam re sua*; & ideo etsi ille qui domum, aut aliud conduxit, possit de illo disponere quoad certos usus, non tamen tamquam suo, cum non possit illud vendere aut aliter alienare.

Dicitur 5. *In proprium commodum*, & per hoc distinguitur

à dominio jurisdictionis, quod habent principes sæculares, & prælati Ecclesiastici in suos subditos in ordine ad gubernationem, & correctionem, cum hoc non faciant in suam, sed suorum utilitatem.

Dicitur denique *juxta legis permissionem*; quia possunt leges ob justas rationes quandoque rerum dominia, & dominos coarctare, unde etsi pupillus sit vere dominus bonorum suorum, uxor suæ dotis, primogenitus suæ primogenituræ, debitor pignoris dati creditori, prohibentur tamen illa alienare pro libitu.

Præfata definitio, ut dixi, est domini proprietatis, quia solum illud venit ordinarie nomine domini simpliciter: si quis tamen velit habere notionem domini ut sic, seu ut abstrahit à speciebus, aut quasi speciebus postea assignandis, poterit illud sic definire: *jus disponendi de re aliqua tamquam sua juxta legis permissionem.*

CONCL. II. Dividitur dominium in genere in dominium proprietatis, quod antea definitum est, & in dominium jurisdictionis, quod est jus regendi, judicandi, protegendi subditos, ac ideo stipendia ab ipsis recipiendi.

Hoc subdividitur in ecclesiasticum, & sæculare: primum, quod habetur à Deo, respicit regimen in spiritualibus, residetque in prælatis Ecclesiæ respectu fidelium: secundum, quod habetur ex populi consensu, respicit gubernationem in temporalibus, illudque competit regibus, & aliis principibus supremis in subditos. Fatendum tamen est dominium jurisdictionis non nisi improprie esse dominium; quia licet princeps habeat jus in subditos, prælatus in oves sibi commissas, pater in filios, quia tamen jus illud non ad ipsum, sed ad subditorum utilitatem ordinari debet, non dicuntur in illos habere dominium: unde nullus in rigore dicitur dominus respectu alterius, nisi respectu mancipii, seu servi, quales non sunt subditi principibus christianis, sive sæcularibus, sive ecclesiasticis, & ideo de prælatis Ecclesiæ dicitur 1. Petri 5. *Neque ut dominantes in clericis.* Et Judicum 8. Dans Gedeon principibus normam gubernandi, ait: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.*

CONCL. III. Subdividitur dominium proprietatis in naturale, & positivum: naturale est, quod à natura trahimus; tale dominium habemus in usum potentiarum nostrarum, in famam, imo & in ea; quæ sunt ad vitæ sustentationem absolute necessaria: Positivum est, quod dependet à lege & voluntate alterius; & triplex est, divinum, gentium, & civile: divinum vocamus, quod à lege divina originem habet: tale erat illud quod habebant Levitæ veteres in decimas: gentium est, quod omnium fere nationum voluntate constitutum est, & tale est dominium, quod quis habet in servum bello captum: civile denique, quod per civilem ordinationem, aut particularem contractum, puta emptionem; donationem, testamentum, &c. comparatur.

Subdividitur ulterius dominium proprietatis in perfectum & im-

perfectum: perfectum seu plenum importat proprietatem, adeoque liberam dispositionem, tum rei, tum fructum seu emolumentorum ejusdem: imperfectum vero; vel solam rei proprietatem, & dicitur *directum*; vel sola emolumenta, & dicitur *utile*. Addi potest alia subdivisio domini proprietatis in commune & particulare: primum est, ratione cujus certa bona sunt ita propria communitati, ut etiam ad singulorum utilitatem sint deputata, ut pascua pro pascendis incolarum armentis, & secundum est quod habet unusquisque in propria bona.

Q U Æ S T I O I I.

Quid titulus, traditio, usufructus, & usus?

Quoniam ad dominium certa prærequiruntur, & , obtento rei dominio, possumus illius usum alii permittere: ideo de iis, quæ Dominium præcedunt, & sequuntur, pauca dicemus.

CONCL. I. Titulus hic est radix, causa & fundamentum domini: unde à dicente se dominum alicujus rei, solemus exigere titulum Domini, qui est aliquando emptio, aliquando donatio, legatum, successio hæreditaria, aut electio legitima; & ideo si villam aut quid aliud per emptionem adquisieris, si officium per electionem, si regnum per propagationem, emptio, electio, propagatio sunt fundamenta, cur sis illorum dominus. Est autem titulus duplex, verus, & præsumptus: primum est, qui reipsa subsistit; secundus qui bona fide creditur subsistere, licet à parte rei non subsistat; hinc si emisti rem à vero domino, emptio est verus titulus, si autem emeris ab eo, quem bona fide credebas illius dominum, & non erat, emptio est tantum titulus præsumptus, qui inservire potest ad præscriptionem, ut dicemus postea.

CONCL. II. Traditio est conditio, sine qua plerumque etiam posito sufficienti titulo, non acquiritur jus in re, seu dominium, sed tantum jus ad rem, quod ortum habet, non ex natura rei, sed ex juris positivi dispositione: unde L. *Traditionibus* 20. Cod. *De pactis* dicitur: *traditionibus... dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, & ideo si emisti gregem ovium, & hic necdum sit traditus, non es illius dominus, potes tamen cogere in judicio venditorem, ut illum tibi tradat, eo quod etiam ante traditionem habeas jus ad rem, seu actionem personalem.

Dixi in conclusione: *Plerumque*, quia in variis casibus non requiritur traditio ad domini translatoem. Ac 1. non requiritur in iis quæ dantur, venduntur, aut relinquuntur civitatibus, Ecclesiis, locis piis, aut in redemptionem captivorum. Patet ex L. *Ut inter*, Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis* 2. In legatis, quorum hæres fit dominus, statim ubi acceptavit hæreditatem. L. *Officio* 27. ff. *Famil.* 3. In acquirenda hæreditate, sive per testamentum, si-

ve ab intestato, ad cuius dominium sufficit acceptatio verbo, aut signo, L. *Cum quæres* 23. ff. *De acquirenda vel admittenda possessione*. 4. In donationibus villæ, domus, agri, aut similis rei sub conditione alimenta præstandi donatori: ubi enim donatarius non tribuit alimenta, sicut tenetur, statim privatur dominio rei donatæ, reditque sine ulla traditione ad donatorem. L. *si doceas* 1. Cod. *De donationibus quæ suo modo*. 5. In beneficiis, quorum quasi dominium acquiritur per collationem & acceptationem. Cap. *Si tibi absenti* 17. *De præbendis* in 6.

CONCL. III. Usufructus est jus utendi & fruendi re aliena, salva rei substantia. L. *Usufructus* 1. ff. *De usufructu*, sed ante definitionis explicationem

Advert. Hæc verba *uti & frui* aliter usurpari à theologis, & aliter à juristis: illi siquidem docent cum August. quod *uti* sit amare aliquid propter aliud, & *frui* sit aliquid amare propter ipsummet: unde qui creaturas amat propter Deum, dicitur illis *uti*, qui autem illas amat propter ipsas, dicitur illis *frui*. Juristæ vero per *ly uti* intelligunt ex re aliena fructus pro se, & pro sua familia capere, quantum requirit quotidiana necessitas: per *frui* autem intelligunt posse insuper usufructuarium de fructibus ex re aliena collectis lucrum reportare, ipsos vendendo, alienando, &c. Hoc notato

Dicitur 1. In definitione: *jus*, quod est quid commune ad dominium. Usum nudum, usumfructum, &c.

Dicitur 2. *Utendi*, ut excludantur certa jura, nempe depositarii respectu depositi, creditoris respectu pignoris: illi enim nequeunt uti deposito, aut pignore sine licentia domini.

Dicitur 3. *Et fruendi*, ut ponatur distinctio inter usuarium simplicem, & usufructuarium, quorum primus potest ex re aliena fructus pro se tantum & suis percipere, & secundus etiam aliis cum lucro concedere: hinc si usum simplicem habeas alicujus domus potes quidem illam inhabitare, non tamen alteri locare.

Dicitur 4. *Re aliena*, & in hoc distinguitur à dominio, ratione cuius utitur quis re tanquam sua.

Dicitur tandem: *salva rei substantia*; & ideo non potest constitui usufructus in rebus unico usu consumptibilibus, ut sunt vinum, cerevisia, panis, oleum, &c. cum sit impossibilis eorum usus (qui consistit in consumptione) salva manente rei substantia.

Porro duplex est usufructus, unus legalis, qui per legem, alius conventionalis, qui per conventionem, aut contractum constituitur: legalem habet pater in bonis adventitiis filii, quamdiu manet sub patria potestate, conventionalem vero habet ille, qui illum sibi adquisivit emptione, donatione, testamento, &c.

CONCL. IV. Usus simplex est jus utendi re aliena, salva rei substantia.

Dicitur: *jus*, tum propter rationem in explicatione definitionis

usufructus positam, tum etiam quia hic usus solet dici usus juris, ad distinctionem usus facti, qui nihil aliud est, quam ipse actus utendi, seu usus actualis; estque duplex, unus licitus, quem habet rogatus ad convivium in cibos sibi appositos; & alter illicitus, quem habet fur in panem furto ablatum; quod maxime notandum est pro dicendis in sequenti quæstione. Aliæ particulæ definitionis patent ex conclusione præcedenti.

QUESTIO III.

An usus facti distinguatur à dominio in rebus unico usu consumptibilibus?

Hæc difficultas orta est occasione Regulæ Fratrum Minorum, quæ habet c. 6. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*; per quod credunt unanimiter recollecti, & omnes alii strictioris observantiæ minores omnium rerum, adæque & unico usu consumptibilium, ut sunt panis, vinum, &c. interdicitam sibi esse proprietatem, & dominium, idque tam in communi, quam in particulari: quod tamen non videtur admisisse Joan. XXII. qui ideo sua auctoritate nonnullos in sententiam oppositam adduxit; sed ante resolutionem

Suppono 1. In rebus, quæ usu vix consumuntur, ut sunt gemmæ, vasa aurea, &c. separabile esse dominium ab usu; imo & in rebus, quæ aliquando consumuntur, sed non unico actu, ut sunt libri, vestes, &c. quandoquidem convincat experientia quotidiana, posse illarum rerum dominos earum usum aliis concedere, reservato sibi dominio.

Suppono 2. Jus utendi re aliqua esse duplex, unum irrevocabile, & independens ab alterius voluntate, estque usus juris antea definitus; alterum revocabile, & dependens à voluntate usum concedentis; ita ut possit pro libitu quovis instanti illud repetere; estque usus facti, de quo quæritur.

CONCL. UNICA. Separabilis est usus facti à dominio in rebus unico usu consumptibilibus. Est communior & verior; etiam extra scholam Scotisticam.

Prob. 1. Auctoritate summorum Pontificum Nicolai III. c. *Exiit qui seminat*, De verborum significatione in 6., Clementis Clem. *Exiit de paradiso*, Alexandri IV. Bulla *Uberes fructus*, Martini V., Eugenii IV., Nicolai V., Pauli IV., Sixti IV. qui expresse sententiam nostram docuerunt, indeque affirmarunt franciscanos tantum habere usum facti simplicem rerum, etiam unico usu consumptibilium, earum dominio vel penes donantes, vel si dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam existente; & ideo vocant illorum paupertatem sanctam, meritoriam, altissimam.

Prob. 2. ratione; quia dominium est jus absolutum, firmum,

& ab alterius nutu independens; sed certum est, fratres minores non habere jus tale in panem, quem comedunt, cum sit in potestate donantium illum quovis modo revocare: ergo respectu panis & similia habent usum facti sine dominio.

Confirm. 1. Certum est, longe plus juris habere in panem illos, qui possunt uti pane pro libitu, & irrevocabiliter, quam qui revocabiliter, & ad nutum alterius; sed primi præcise habent dominium panis: ergo ultimi quid minus, & consequenter usum distinctum à dominio.

Confirm. 2. Quia etiam famuli, imo & religiosi particulares ordinum in communi possidentium tantum habent usum facti ciborum sibi oblatorum cum sint ad nutum heri, aut superioris revocabiles sine injuria, quamdiu non assumuntur.

Dices: tam famuli, quam religiosi jus habent naturale ad sustentationem: ergo fit ipsis injuria, si cibi auferantur.

R. dist. conseq. Fit ipsis injuria, si cibi omnes auferantur, C.; si auferantur appositi, modo subministrentur alii, N., quod signum est evidens in appositos non habere dominium, alias nec ipsi possent auferri sine injustitia.

Confirm. 3. Exemplo Nicolai III. quia invitatus ad prandium jus habet utendi cibus apposis, nullum tamen in illos habet dominium, cum, secundum communem apprehensionem, semper maneat, usque ad rerum consumptionem, penes invitantem, qui ideo potest apposita auferre, vel relinquere sine ullius injuria.

Dices, falsum esse suppositum probationis, & confirmationum; in quibus asseritur esse de ratione domini esse irrevocabile, seu independens ab alterius voluntate, cum contrarium appareat in contractu venditionis, in quo emptor suscipit onus revendendi, quando libuerit venditori; sicut & in donatione, quæ ob ingratitude donarii revocabilis est.

R. Suppositum nostrum esse verissimum, quandoquidem in primo casu, quem nobis objiciunt adversarii, non habeat emptor integrum dominium, cum non possit de re illa disponere in omnem usum lege permissum, utpote qui non potest illam consumere, commutare, cuilibet vendere, &c. sed teneatur voluntatem venditoris, cui soli vendibilis est, expectare. In secundo autem casu nulla reperitur revocatio, sed mera privatio rei donatæ ob crimen commissum, jure sic disponente in favorem donatoris, quod in favorem reipublicæ, aut alterius particularis facere potuisset.

Prob. 3. concl. Nullus est alicujus rei dominus, nisi velit, ut concedere debent omnes; sed fratres minores nullius rei volunt fieri domini, ut satis declarant per suam regulam: ergo.

Obj. 1. Vel frater minor habet jus utendi pane sibi concesso, vel non: si primus, habet usum juris: si secundum, usus ille est illicitus.

R. Habere jus, non quidem stricte dictum, & in aliquo titulo

fundatum, qualis est usus juris, sed large sumptum consistens in mera concessione, & permissione domini: quod sufficit ad usum licitum: & certe si ad usum licitum requireretur jus strictum, illicite uteretur religiosus rebus sibi concessis, cum in illas, sive sint usu consumptibiles, sive non, non habeat jus strictum.

Obj. 2. Quia ita disponere potest de re aliqua, ut etiam possit illius substantiam destruere, illius est dominus; sed de pane & similibus ita disponere potest minorita: ergo.

R. dist. ant. Qui potest cum stricto jure, nomine proprio, &c. C., qui dependenter ab alterius permissione, & nomine alieno, N.

Inst. 1. Ergo frater minor bibit nomine donantis, aut Summi Pontificis, si donans dominium abdicaverit.

R. Hoc esse verum, nec quidquam absurdi continere; si enim singulis diebus utatur veste, libro, charta, &c. nomine dantis, aut Summi Pontificis, quidni posset cibo & potu similiter uti.

Inst. 2. Si franciscani refectorem sumerent nomine Pontificis, singulis diebus reficeretur Pontifex in eorum monasteriis, quod est ridiculum.

R. neg. conseq. Non enim reficiuntur nomine Pontificis, hoc sensu, quod comedant, & bibant in ejus utilitatem & alimentacionem, sed hoc sensu, quod ex ejus permissione destruant sibi apposita tamquam res illius: unde sicut famulus dans pecuniam domini pauperibus, illam destruit moraliter non suo, sed heri nomine; ita & eodem modo fit destructio physica cibi, & potus in nostro casu.

Inst. 3. Injustitiam committeret Pontifex, si cibum & potum auferret à minoritis: ergo non est illorum dominus.

R. neg. ant. Sicut enim non esset injustus auferendo ab illis ornamenta Ecclesiæ, libros bibliothecæ; ita nec præfata auferendo: cum tam horum, quam illorum sit dominus; posset tamen frater minor casu, quo per ablationem ciborum in extremam necessitatem redigeretur, uti jure sibi à natura concesso nempe: accipiendi vitæ sustentandæ necessaria à quolibet, adeoque & à Papa, licet invito; sed hoc non ratione domini in illa, sed ratione juris, & obligationis naturalis vitæ conservandæ.

Inst. 4. Saltem si particularis surriperet cibaria à franciscanis, faceret ipsis injuriam: ergo signum est ipsos habere dominium.

R. dist. ant. Faceret ipsis injuriam; quia privaret ipsos dominio, aut usu juris, N., quia privaret usu facti concesso & licito, C.

Obj. 3. Dominium illud est inutile donanti, aut Pontifici; ergo.

R. Dist. ant. Est omnino inutile, supposito quod velit consumptionem à fratribus minoribus fieri, C., absolute loquendo, N., cum possit ante consumptionem datum revocare, illoque uti pro libitu tamquam re sua.

Obj. 4. Si minorita non habeat dominium panis ante usum actualem, saltem habet in ipso usu, seu quando trajicitur de gutture ad stomachum, cum tunc non possit revocari. Hic est achilles car-

melitarum calceatorum volentium quidem altissimam esse paupertatem franciscanorum, sed tunc nobis competere dominium rei, quæ actualiter consumitur; nihilominus

R. 1. Retorquendo argumentum: vel proprietarius comedens rem suam tunc retinet adhuc illius dominium, vel non: si retineat, etiam Pontifex aut donans retinet dominium rei; quæ sic à fratre minore consumitur, cum eorum nomine fiat consumptio: si non, eo quod res non ceaseatur amplius subesse liberæ ipsius dispositioni, nec in nostro casu dominium habet Pontifex aut frater minor, propter eandem rationem.

R. 2. Quod licet tunc res sit adhuc utilis in ordine ad nutritionem, nullius tamen dominio subiaceat; adeoque nec Pontificis, nec fratris minoris; eo quod ceaseatur moraliter consumpta, & inutilis facta in ordine ad liberam dispositionem, quæ tamen requiritur ad dominium.

Obj. 5. Inde sequitur donantes cibaria minoritis, non satisfacere præcepto eleemosynæ, cum non dent pauperi, sed diviti, nempe Pontifici.

R. neg. sequelam; quia non dantur illa Pontifici in usum Pontificis, sed in usum pauperum, seu ut subveniatur pauperibus modo ipsis accommodato.

Inferes: ergo dans eleemosynam franciscano minus meretur, quam si daret dominicano, cum huic det usum & dominium, illi tantum usum, & quidem facti.

R. neg. illationem: nam cum meritum eleemosynæ consistat in abdicatione rei, & tantum abdicet dans franciscano, quam dominicano, licet minus recipiat franciscanus, etiam tantum meretur, immo plus, cum det pauperiori.

Repl. Saltem illa paupertas particularis prætensa non est magis meritoria fratri minori, quam alia paupertas alteri religioso, cum non minus utilitatis recipiat ex eleemosyna quam alter.

R. neg. assumptum; quia frater minor utitur eleemosyna revocabiliter, alter religiosus irrevocabiliter ex parte donantium.

Obj. 6. Potest minorita destruere panem sibi datum; ergo non habet illius usum, sed dominium, cum usus tantum det facultatem utendi re aliena, salva ejus substantia.

R. Hoc esse verum de usu juris, non de usu facti, qui non nisi improprie & similitudinarie dicitur usus, cum hic nihil aliud sit, quam licita rei destructio ob licentiam & permissionem domini.

Obj. 7. Si fratres min. non habeant rerum illarum dominium, poterat quilibet tempore Joannis XXII. illas ab ipsis auferre sine injuria; quandoquidem, deficiente illarum domino, essent primo capientis.

R. Quod etsi tunc donantes dominium abdicassent, & Pontifex à se, & à Romana Ecclesia illud rejecisset; non erant tamen primo capientis; cum illarum usum facti haberent fratres minores: jam

autem cum dicuntur primo occupantis, quæ nullius sunt, intelligendum est de iis, quæ nullius sunt quo ad dominium, & quoad omnem usum.

Obj. 8. Si usus facti possit separari à dominio, nulla erit amplius usura; quia mutuans poterit aliquid ultra sortem exigere, non quidem ratione mutui, in quo consistit usura, sed ratione usus facti, quem concedit mutuuario.

R. Esse implicantiam in terminis: 1. Quia mutuarius haberet simplicem usum facti, ut supponitur, & non haberet, cum ratione emptionis seu pretii dati ultra sortem acquireret jus strictum in usum pecuniæ mutuatæ; quandoquidem emptio, utpote contractus strictus conferat jus strictum in rem emptam. 2. Quia uteretur pecunia nomine alieno, cum non plus concedat usus facti, & non uteretur nomine alieno, sed suo; quia pecunia esset sua, cum per mutuum transferatur rei dominium.

Q U Æ S T I O I V.

Quid dicendum de constitutionibus Joannis XXII. quoad præsentem materiam?

Joannes XXII. ratione Michaelis Cesenæ ministri generalis, & Guilielmi Ocham Scoti discipuli, & nominalium principis, non nihil in fratrum minorum ordinem sibi antea maxime dilectum exacerbatur, duas constitutiones edidit, quibus docet fratres minor. non habere usum rerum unico actu consumptibilium à dominio separatum: unde in Extrav. *Quia quorundam* de verborum significatione in 6. negat terminis expressis habere posse franciscanos in re aliqua simplicem usum facti. Et Extrav. *Ad conditorem*, asserit usum juris aut facti à dominio separatum in rebus unico actu consumptibilibus, repugnare juri, & obviare rationi. Ad has constitutiones varii varie respondent.

CONCL. I. Non videtur satisfacere opinio illorum, qui dicunt fratres minores sub Joanne XXII. habuisse dominium rerum unico actu consumptibilium; licet non habuerint illud sub Pontificibus prioribus & posterioribus, qui illud sibi & Romanæ Ecclesiæ reservaverunt.

Ratio est, quia, ut diximus, ad acquirendum rei dominium non tantum requiritur voluntas dantis, sed etiam, & maxime voluntas acceptantis: atqui tam sub Joanne XXII. quam sub aliis Pontificibus numquam voluerunt minoritæ strictioris observantiæ dominium illud acceptare: ergo.

Dices: Aprobatio religionis, sicut & paupertatis dependet à voluntate summorum Pontificum: atqui licet alii Pontifices sic approbaverint franciscanorum paupertatem, ut rerum præfatarum non haberent dominium, sic tamen approbavit, et mitigavit Joan-

nes XXII., ut ipsis dominium relinqueret, & ideo illud tam à se, quam à Sede Apostolica omnino abdicavit: ergo.

Resp. Novam illam approbationem, seu mitigationem gratis fingi, cum in Extravagantibus Joannis XXII. nullum sit verbum constitutum novi juris pro fratribus, sed sola renuntiatio dicti dominii suo, & Santæ Sedis nomine, quod propterea non transvolavit ad minores, cum illi generose semper, & constanter se opposuerint.

CONCL. II. Nec satis apparet plausibilis sententia aliorum volentium præfatum Joannem non fuisse locutum ut Pontificem, sed ut doctorem privatum, qui hanc opinionem ante mortem suam revocavit, sicut & quod dixerat de animabus Sanctorum, quas asserbat non visuras DEUM ante diem judicii: nam

Obstat 1. Quod in Extravaganti *Quia quorundam*, expresse testetur se promulgasse constitutionem *Ad conditorem*, de consilio Cardinalium, eorumque, uti & Archiepiscoporum, aliorumque Ecclesiæ Prælatorum, complurium theologiæ magistrorum, ac utriusque juris professorum, diligenti deliberatione præhabita.

Obstat 2. Ut refert Baronius ad annum 1324. quod jusserit Extravagantem *Ad conditorem* ubique promulgari.

Obstat 3. Quod in fine Extravagantis *Quia quorundam*, asserat contra sentientes habendos esse tamquam contumaces, & Ecclesiæ Romanæ rebelles: quæ omnia non obscure indicant dictas constitutiones ab ipso tamquam Pontifice processisse.

Dices: ergo qui diceret Joannem XXII. in hoc errasse, aut ipsi contradiceret, hæreticus esset.

Resp. neg. illationem; quia licet hoc decreverit tamquam Pontifex, non tamen definiuit ut articulum fidei, cum materia hic agitata non pertineat ad fidem, sed sit de re partim naturali partim civili; unde si quos punierit tamquam hæreticos, id non fecit propter hoc punctum, sed propter alia in dictis constitutionibus contenta, v. g. quia sustinebant CHRISTUM & Apostolos nihil habuisse proprium in communi, aut particulari: quod ibidem declarat esse hæreticum. Hujus occasione

Advertendum hic, Nicolaum III. docentem Christum, & Apostolos caruisse proprio in communi, & particulari, non adversari Joanni XXII. quandoquidem tantum voluerit Nicolaus ipsos aliquando caruisse proprio, Joannes autem non semper caruisse: quod utrumque verum est: unde aliquando Christus & Apostoli nihil proprium habuerunt in communi & particulari; & tunc expresse runt altissimam illam paupertatem, quam secuturi erant franciscani: aliquando proprium habuerunt in communi, non in particulari, & hanc paupertatem imitantur aliarum religionum alumni.

CONCL. III. Longe probabilius est, & verius asserere Joannem XXII. nec fratribus minoribus, nec suis prædecessoribus & successoribus quoad rem fuisse contrarium, sed præcise quoad modum loquendi, seu quoad vocum apparentiam.

Prob. 1. Ex glossa in Clem. *Exivi de paradiso* §. *Proinde circa fin. ubi dicitur, quod in hoc negotio, quod turbavit totum mundum . . . non est vis nisi in verbo.*

Prob. 2. Quia tot successores Joannis, qui sententiam nostram in terminis docuerunt, & declaraverunt, non permisissent præfatas constitutiones in corpus canonicum inseri, aut insertas remanere: si credidissent ipsum fuisse ipsis vere, & quoad rem contrarium.

Prob. 3. Ex ipsismet constitutionibus Joannis XXII. ubi 1. omnino aliter accipit simplicem usum facti, quam accipiamus nos: ideo enim ibi negat fratres minores habere talem usum, quia docet usum facti non se extendere ad rei substantiam, cum tamen usus fratrum in rebus unico actu consumptibilibus ad rei substantiam se extendat, & quidem cum facultate illam destruendi; dari autem usum facti, qui etiam ad rei substantiam se extendat, qualem habemus nos, evidenter patet ex dictis, & consequenter, aliter ipse, aliter nos, accipimus usum facti. 2. Quia usum simplicem facti, quem habent franciscani circa res unico actu consumptibiles, confundit cum jure utendi stricto, adeoque absoluto & independenti, quod certum est in hac materia à dominio non distingui; nos autem dicimus usum illum esse jus large sumptum, dependens, & ad nutum dantis, aut summi Pont. revocabile sine ulla fratrum minorum injuria, immo potius est permissio & licentia utendi rebus illis nomine alieno: tale autem jus si jus dici debeat, à dominio distingui quis non videat?

Ceterum, si quis adhuc sustineret nobis adversari auctoritatem dicti Pontificis, opponi debent plusquam 10. summi Pontifices, ab auctoribus citati, quorum omnium auctoritati cedere debet unicus Joannes XXII. Solet etiam objici Divus Th. 2. 2. q. 77. a. 1. in corpore, ubi ait: *In talibus non debet seorsim computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus ex hoc ipso conceditur res, sed loquitur de usu juris, seu independente & absoluto?*

QUÆSTIO V.

Quid possessio? Quotuplex; quomodo acquiratur & deperdatur?

Advertendum 1. Possessionem sumi posse materialiter, & formaliter. Primo modo accipitur pro re possessa, seu objecto possessionis, maxime si sit quid immobile, ut domus, ager, villa, pratum, &c. quæ non raro vocantur possessiones. 2. Pro forma, aut quasi forma, à qua homo dicitur possessor: & de possessione sic sumpta hic agimus, non de prima.

Advertendum 2. Res secundum juristas, alias esse corporales, alias incorporales: corporales vocant quæ ex se sunt tangibiles, aut sensu demonstrabiles, ut pecunia, pannus, prædia, &c.: incorporales vero, non quæ spirituales sunt, sed quæ solo animo apprehendi possunt, ut sunt certa jura ad res corporales, v. g. jus adeundi

hæreditatem; jus ne quis ædificet in fundo meo, &c. quæ jura licet objective sint corporalia; quia tamen secundum se non sunt tangibilia, incorporabilia dicuntur. Duabus his rebus addunt theologi *spirituales*, ut beneficium, dignitates, jus electionis, presentationis, confirmationis, patronatus, &c.

Advertendum 3. Possessionem aliquando accipi pro potestate, seu facultate possidendi, & dicitur possessio juris; aliquando pro actu possidendi, diciturque possessio facti: utramque definiemus.

CONCL. I. Possessio juris, est *jus insistendi rei ut suæ non prohibita possideri*.

Dicitur 1. *Jus*, ut distinguatur à possessione facti quæ importat actualem possessionem.

Dicitur 2. *Insistendi*, id est, pacifice tenendi, & defendendi contra invadentes mediis jure concessis.

Dicitur 3. *Ut sua*, & non alterius; & ideo tutor insistens rebus sui pupilli non dicitur possessor.

Dicitur 4. *Non prohibita possessori*; quia nulla est possessio, ubi jus resistit: unde rei sacræ, sicut & decimarum possessionem non acquirit laicus.

Possessio facti; est *rei occupatio, corporis, animi, & juris adminiculo*.

Dicitur 1. *Rei*, nempe corporalis, incorporalis, aut spiritualis; licet enim negent juristæ res spirituales proprie possideri, id tamen communiter admittunt theologi.

Dicitur 2. *Occupatio*, quæ initio dicitur possessionis inceptio, & in decursu ejusdem continuatio.

Dicitur 3. *Corporis*, quia non incipit possessio, nisi interveniat actus externus, quo vel manu, vel pede, vel aliter res possidenda in se, vel in alio apprehendatur.

Dicitur 4. *Animi*; quia nisi velit quis rem apprehensam sibi retinere, non sit illius possessor; hocque patet in depositario, qui quia non sibi sed deponenti rem depositam vult conservare, non dicitur illam possidere.

Additur: *Et juris adminiculo*; quia necesse est ad legitimam possessionem, ut jus illam, non quidem positive approbet, sed ne reprobet, sicut reprobat possessionem partis Ecclesiæ, cœmeterii, aut alterius loci religiosi inchoatam à laico: non requiritur tamen ad rationem possessionis quod sit justa, cum fur rem ablatam possideat possessione facti, quamquam injuste.

CONCL. II. Dividitur possessio facti in naturalem tantum, civilem tantum, & in naturalem & civilem simul: naturalis tantum est, qua quis corporaliter insistit rei sine animo illam retinendi ut suam; sic locatarius possidet domum sibi locatam; sed hæc non est vera possessio, alias depositarius possideret rem depositam, quod antea negavimus.

Civilis tantum est, quando rei insistitur animo, sed non corpo-

re: sic dominus absens possidet res suas, sive mobiles, sive immoviles, modo tamen ab initio illas apprehenderit corporaliter, & ideo quando antea diximus ad possessionem requiri adminiculum corporis & animi, intelligitur ad possessionem inchoandam, non continuandam. Naturalis & civilis simul, qua res ut sua corpore & animo detinetur, ut dum quis præsentialiter occupat rem ut suam. His possessionis speciebus addunt aliqui civilissimam, qua quis nec corpore, nec animo rem possidet, sed ex sola juris dispositione: sic aliquibus in locis possidentur primogenita, defuncto priori possessore, licet posterior nec apprehendat, nec possidere intendat, immo ignoret mortem prioris. Ex dictis

Resol. Possessionem naturalem posse separari à civili, cum ejusdem rei possessio naturalis possit esse in uno, & civilis in altero; ubi enim violenter occupatur domus alterius, aut alia res immobilis, expulso inde domino, illam naturaliter possidet invasor, civiliter dominus, licet prior possessio sit infirma.

Dividitur possessio ulterius in justam & injustam: prima fundatur in titulo legitimo, puta emptione, donatione, &c. secunda nullum habet titulum. Aliquando dicitur etiam possessio colorata, quando nempe titulum habet coloratum, etsi non legitimum; aliquando nequidem colorata, ubi caret omni titulo, etiam colorato.

CONCL. III. Tripliciter acquiri potest possessio, nempe apprehensione vera, ficta & civilissima. Acquiritur apprehensione vera, dum fit mediante corporis adminiculo, ut villam intrando, agrum calcando, rem manu tangendo, &c. Et hac apprehensione acquiritur possessio rerum, quæ nullius sunt domini, ut ferarum thesaurorum, &c. Acquiritur apprehensione ficta, dum sit per actum lege, aut consuetudine introductum, licet de se non sit corporaliter apprehensus, ut per traditionem clavium, scripturæ, aut instrumenti, per signationem rei posidendæ, &c. Acquiritur apprehensione civilissima, quando per leges transfertur possessio sine ullo actu vero, aut ficto, etiam ignorante novo possessore: sic in Gallia transit ad hæredem possessio hæreditatis, sic in Hispania possessio majoratus. Quantum ad has apprehensiones unusquisque sequi debet consuetudinem suæ provinciæ, aut sui loci, non tantum quoad res corporales, sed etiam quoad spirituales ut sunt beneficia, dignitates, &c.

CONCL. IV. Deperditur rerum immobilium possessio, 1. Per longam absentiam domini, nec per se, nec per alium rei suæ insistentis; absentiam autem illam aliqui volunt debere esse decennalem, alii longiorem, alii prudentum judicio requirendam. 2. Per oblivionem quod res sit sua; quia tunc deest animus possidendi. 3. Per negligentiam, aut timiditatem repetendi ab injusto invasore. Deperditur autem possessio mobilium, 1. Voluntate domini rem suam amplius possidere nolentis, modo non sit pupillus, aut furiosus, quia tunc requiritur etiam consensus tutoris, aut curatoris.

2. Alterius furto aut rapina, si res ablata aliquamdiu detineatur.
 3. Amissione. 4. Fuga animalis evadentis, si non habeat consuetudinem redeundi, non perditur tamen possessio servi per fugam. L. Pomponius 13. ff. de acquirenda, aut amittenda possessione.

Petes 1. An qui perdit rei possessionem perdat & dominium?

Resp. Negative, universaliter loquendo; quia res amissa, aut furto ablata, saltem per aliquod tempus, desinit possideri & tamen dominium non amittitur. Idem est in pluribus aliis.

Petes 2. Quæ sint privilegia possessionis?

Resp. Hæc tria præsertim. 1. Quod in dubio æquali de rei domino melior sit conditio possidentis bona fide. 2. Quod possessio quandoque pariat præscriptionem, & præscriptio dominium. 3. Quod non sit possessoris probare in judicio rem esse suam, sed alterius non esse.

DISPUTATIO III.

De subjecto & objecto dominii.

Certum est de fide Deum esse rerum omnium creaturarum vere & proprie Dominum, idque non solum per essentiam, sed etiam titulo creationis, & gubernationis: unde dicitur Judith 9. *Dominus totius creaturæ*. Sap. 12. *Omnium Dominus*. Et alibi: *Dominus universorum*. Esther autem 13. hujus dominii redditur ratio, cum dicitur: *Tu fecisti cælum & terram*. Ex quo patet, omne dominium, quod postea creaturis competere dicemus, non nisi à Deo dependenter participari. Sed quid de Angelis? dominii esse capaces omnes conveniunt, an autem de facto dominium habeant in hæc inferiora, affirmant aliqui; negant alii: ubi rem manifestaverit Deus, decidemus. De solis igitur creaturis sublunariis in hac disputatione agemus.

Q U Æ S T I O I.

An inter creaturas sublunares solus, & omnis homo sit dominii capax.

CONCL. I. Inter has creaturas inferiores solus homo est dominii capax. Est communis & certa.

Ratio est: quia inter illas solus homo ditatus est ratione, & arbitrio, quæ sunt fundamentum & basis totius dominii; quandoquidem non nisi mediis illis de rebus externis libere disponatur: quod requirit dominii ratio. Hinc

Resol. 1. Bruta esse dominii incapacia, cum nec finem agnoscant defectu rationis, nec agant ex electione, sed ex mero instinctu naturæ, defectu libertatis.

Resol. 2. Dum sol dicitur præesse diei, luna nocti, astra agere in hæc inferiora, non attribui ipsis aliquod dominium, nisi certe valde improprium, & metaphoricum; cum sol & luna dicantur præesse per hoc, quod sua præsentia, & assistentia constituent diem & noctem; astra vero agere, non ex dominio in sublunaria, sed ex necessitate, nempe ex influxu, & instinctu sibi ab Auctore naturæ indito.

CONCL. II. Omnis homo est dominii capax.

Ratio est; quia omnis homo præditus est intellectu & libero arbitrio, & consequenter ipsis mediantibus capax est, saltem in actu primo, disponere de rebus externis tanquam suis. Hinc

Resol. 1. Contra Wicleffum, & Joannem Hus, peccatores, etiam infideles, esse capaces dominii, ut definitum est in concilio Constantiensi sess. 8. Et ratio est, quia sicut per peccatum, aut infidelitatem non amittunt intellectum, aut libertatem, ita nec capacitatem ad dominium, & ideo Principes peccatores, aut infideles sunt tanquam veri reges, & domini à subditis honorandi.

Resol. 2. Etiam capaces esse pueros ante usum rationis. Patet tum ex Script. ad Galatas 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium*, ubi conceditur parvulo dominium hæreditatis, licet denegetur administratio, non minus ac servo; tum etiam ratione, quia etsi pro illo tempore habeant potentiam ligatam & impeditam, ne disponant de rebus suis, habent tamen intellectum, & voluntatem: quæ potentia, & non illarum usus actualis, sunt fundamentum illius capacitatis, alias dormiens careret omni dominio.

Nec refert, quod non possint dominium acceptare per se; quia possunt per rempublicam, per tutores, in quorum arbitrio ipsorum voluntates sunt auctoritate publica collocatæ; & ideo si invitis tutoribus, aut republica, eorum bona subripiantur, etiam invitis subripi censentur, adeoque vere patiuntur injuriam.

Resol. 3. Idem esse dicendum de perpetuo amentibus, propter eandem rationem, & ideo si amentia, etiam perpetua, superveniat possidenti alicujus rei dominium, illud non perdit, licet desinat esse illius administrator.

Resol. 4. Spectato solo jure naturali non tantum hominum communitatem, sed etiam quemlibet hominem privatum esse dominum omnium sublunarium, cum jure naturæ non sint alicui applicata, sed omnibus communia; & ideo bonorum divisio non fuit jure naturæ, sed jure gentium introducta.

Q U Æ S T I O II.

Quarum rerum dominium habeant uxores, & filii familias?

Etsi jure naturæ quilibet homo dominii cujuslibet rei tempora-

lis sit capax, hæc tamen capacitas jure civili & canonico in variis restringitur, ut patebit ex dicendis. Sed ante resolutionem

Advertendum 1. Bona uxorum esse triplicis generis: paraphernalia, dotalia, & communia. *Paraphernalia* sunt, quæ ab uxore adferuntur ultra dotem cum animo, saltem implicito, illa sibi reservandi: *Dotalia*, quæ uxor tradit marito ad supplenda matrimonii onera: *Communia*, quæ tempore matrimonii adquiruntur utriusque conjugii labore, industria, &c.

Adv. 2. Quadruplicia bona posse competere filiis familias, castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia: *Castrensia* sunt, quæ adquiruntur in militia, aut ipsius occasione, ut stipendia; prædæ justæ, donata, legata, testamento relicta intuitu militiæ, sicut & omnia mobilia in ordine ad militandum à parentibus concessa; imo & lucrum ex ipsis per contractus licitos proveniens. Denique, ut verbo dicam; omne illud quod non erat filius sine militia recepturus. L. *Ex castrensi* 17. *De castrensi peculio*. *Quasi castrensia* sunt, quæ obveniunt ex munere clericali, aut ex officio publico non mechanicum, ut professoris scientiæ, aut artis liberalis iudicis, advocati, notarii publici, &c. sicut & illa, quæ ad debitum eorumdem exercitium conceduntur, ut vestes proportionatæ, libri, &c. imo & quidquid non profectitium comparat sibi clericus à die suscepti clericatus, authent. *Presbyteros*, Cod. *De Episcopis & clericis*: dicuntur autem *quasi castrensia*, eo quod clericatus sit militia spiritualis, vel, ut alii volunt, militia togata. *Adventitia* sunt, quæ nec à patre, nec intuitu patris, obveniunt filio, ut comparata ex labore, aut industria extra militiam sacram, aut profanam, adquisita per hæreditatem maternam, inventionem thesauri, testamentum, donationem, &c. modo non sint relicta principaliter intuitu patris. *Profectitia* dicuntur, quæ filioveniunt, vel à patre vivente, vel ab alio, occasione patris principaliter. His notatis

CONCL. I. Uxores habent dominium, & administrationem bonorum paraphernalium; dotalium vero & medietatis communium, dominium quidem, sed non administrationem.

Prob. 1. pars; quia licet, ubi initum est matrimonium cum contractu communicationis omnium bonorum, etiam paraphernalium, administrationem habeat maritus; ubi tamen non intervenit ille contractus, sed mulier explicite, vel implicite illa sibi reservavit, ex jure communi eorumdem habet dominium, & administrationem.

Dixi: *Ubi mulier explicite, vel implicite illa sibi reservavit*; quia seclusa omni reservatione, bona omnia reputantur dotalia, cum nisi aliter appareat, censeatur mulier nubens, omnia in dotem marito assignare.

Prob. 2. pars; quia defuncto marito, tum bona dotalia, tum bonorum communium sive mobilium sive immobilium medietas, jure communi obveniunt uxori, secluso omni contractu & testamen-

to, licet non sit hæres necessaria: ergo signum est illorum habere dominium; quia tamen, marito vivente, nullatenus potest de ipsis disponere, consequens est administrationem, & usumfructum non penes uxorem, sed penes maritum residere. Hæc omnia de jure communi; quamvis circa præfata nonnullis in locis vigeant contrariæ consuetudines, quas tenetur quilibet in praxi consulere, & sequi.

CONCL. II. Filiifamilias adhuc sub patria potestate constituti habent verum dominium, plenamque administrationem bonorum castrensiarum, & quasi-castrensiarum; adventitiorum vero, dominium, non administrationem; profectitiorum autem, nec dominium, nec administrationem.

Prob. 1. pars ex ff. *De Castrensi peculio*, ubi id expresse statuitur: ex quo sequitur, teneri patrem restituere; si quidquam ex illis usurpet ultra alimenta filio necessaria; filium vero posse pro libitu de illis disponere, vendendo, donando, imo & testando, si annum decimumquartum expleverit.

Prob. 2. pars; quia licet juxta jura antiqua, bonorum adventitiorum, sicut & profectitiorum dominium, usumfructum & administrationem haberet pater; jure tamen novo, relictis aliis parenti, dominium adventitiorum filio tribuitur; imo certis casibus etiam usufructus. 1. In datis sub conditione quod filius, non pater usufructum haberet. 2. Si pater usufructum concesserit filio. 3. Si filius constituatur hæres simul cum patre. 4. In datis filio per legem, aut sententiam ob delictum patris, puta hæresim, crimen læsæ majestatis. Advertendum est tamen ad particulares locorum consuetudines.

Prob. 3. pars; similiter ex juris communis dispositione: unde ex bonis profectitiis non potest quidquam facere filius in sui utilitatem, eo quod illorum dominium, tam directum, quam utile sit penes parentes. Quærent hic aliqui, an aliquorum dominium habeant servi, seu mancipia? Sed cum omnes servitutis reliquiæ ab hac patria exulaverint, aliis hanc materiam tractandam relinquimus.

Q U Æ S T I O I I I.

An religiosus competat aliquod dominium?

CONCL. I. Licet non repugnet religioso in particulari dominium temporale; de facto tamen religiosus professus est hujusmodi dominii incapax.

Prob. 1. pars; quia Jesuitæ emittentes tria vota simplicia post biennium probationis sunt veri religiosi, ut declarat Gregor. III. in Bulla *Ascendente Domino*; sed illi retinere possunt ad tempus proprietatem bonorum temporalium, ut asserit idem Pontifex §. 13. ergo. Nec mirum: nam cum incapacitas illa dominii nec oriatur ex vi voti solemnitis, alias etiam oriretur ex voto simplici, cum non

minus sit efficax in ratione voti, quam solemne, nec ex intentione votantis, cum votens in religione à S. Sede non approbata non fiat incapax domini, licet id expresse intendat; sequitur, oriri præcise ex ordinatione Ecclesiæ, quæ sicut potuit voto paupertatis incapacitatem illam annectere, ita eandem ab illo, salvo manente, separare.

Dices. Non potest Papa dispensare, ut religiosus proprium habeat, ut patet ex cap. 6. *Cum monasterium*, de statu Monach.

R. Pontificem ibi loqui de proprio independente quoad usum à voluntate superioris, non autem de illo, quo quis uteretur ad nutum superioris; ita ut peccaret, si secus faceret. Addo, loqui de religioso professo; Jesuita autem (quorum occasione sustinemus hanc conclusionem) licet post vota simplicia sint religiosi, non sunt tamen professi, cum postea emittant ultimam professionem.

Prob. 2. pars; nempe quod religiosus professus sit incapax domini. Ex cap. *Cum ad monasterium*: ubi Innoc. III. prohibet in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis monachorum proprium possideat. 2. Ex cap. *Non dicatis* 12. q. p. 1. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*. 3. Ex Conc. Trid. sess. 25. *De regularibus* c. 2. ubi regularibus omnibus interdicitur omne proprium, etiam nomine conventus. 4. Quia voto solemni paupertatis annexit Ecclesia incapacitatem domini omnisque juris temporalis; sicut voto solemni castitatis annexit incapacitatem matrimonii. Plura circa hoc vide in Tract. *De statu religioso*.

Adverte tamen 1. Non privari propterea religiosum omnibus omnino juribus, cum retineat jus ad alimenta, jus ad certum monasterium, si sit conventualis, jus ne extraordinarie puniatur, nisi servato prius juris ordine, jus suffragii activi & passivi, &c.

Adverte 2. Quod licet religiosi beneficiariis, quales sunt abbates, priores, præpositi, & alii gaudentes beneficiis regularibus aut sæcularibus, non competat dominium fructuum ex beneficio provenientium, competat tamen ex jure, aut consuetudine illorum administratio, saltem ad honestam sustentationem, & pias causas, nisi certe id prohiberent religionis constitutiones.

CONCL. II. Religiosi professi possunt in communi habere dominium temporalium, si excipiantur strictioris saltem observantiæ franciscani. Hanc tenent omnes contra unicum Navarr. volentem bonorum monasterii dominium competere Christo, solamque administrationem communitati.

Prob. concl. Quia ratio, cur religiosi professi, sint in particulari incapaces domini, oritur præcise ex statuto Ecclesiæ, ut ostendimus; sed nullibi decrevit Ecclesia professorum communitatem esse domini incapacem; imo contrarium declaravit in Trid. Synodo sess. 25. cap. 3. *De regularibus*, ubi concedit omnibus virorum & mulierum monasteriis (franciscanis exceptis) ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat: ergo, &c. qui au-

tem sunt administratores præcise, non possunt dici possessores.

Confirm. 1. Ex Nicolao III. Cap. *Exiit*. De verborum significatione in 6. ubi declarat tamquam aliquid particulare, bonorum mobilium, & immobilium dominium non competere FF. minoribus, etiam in communi, sed Papæ: ergo supponit aliis communitatibus competere.

Confirm. 2. Ex praxi universali omnium religionum in communi possidentium, quæ omnes, nequidem una excepta, bonorum suorum dominium sibi attribuunt, & non solam administrationem: non possunt quidem ex ordinatione sacrorum canonum bona immobilia, imo nec mobilia pretiosa alienare, nisi in commodum religionis; sed hoc non ostendit ipsos non habere dominium, sed illud esse aliquo modo limitatum, sicut est dominium pupillorum, imo & filiorum familias respectu bonorum adventitiorum.

QUÆSTIO IV.

An competat clericis sæcularibus dominium proventuum ecclesiasticorum?

Suppono 1. Triplicis generis bona posse clericis sæcularibus competere, nempe patrimonialia, acquisita ministerio clericali, seu quasi-patrimonialia, & mere ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ ipsis obveniunt independenter ab omni ministerio, & beneficio ecclesiastico, suntque ipsis & laicis communia. Acquisita ministerio clericali dicuntur, quæ sine interventu beneficii comparantur per ministeria clericis propria, v. g. Altari inserviendo, cantando, missas celebrando, &c. Mere ecclesiastica sunt, quæ tantum proveniunt ex beneficio ecclesiastico, puta canonicatu, decanatu, &c.

Suppono 2. Clericos sæculares habere dominium, adeoque liberam administrationem bonorum patrimonialium; cum per clericatum non sint facti deterioris conditionis, quam si mansissent in laicatu, hocque confirmat praxis & sensus communis. Idem dic de acquisitis ministerio clericali, cum non censeantur nisi justa merces, justumque stipendium laboris: & certe si pauper dominium habeat eleemosynæ sibi gratis concessæ, quidni & clericus stipendii labori suo debiti? Tota ergo difficultas versatur circa proventus, seu fructus beneficiorum.

Suppono 3. Beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus necessarii sunt ad honestam beneficiati sustentationem, vel quatenus dictæ sustentationi superfluent.

Suppono 4. Primis temporibus bona Ecclesiæ fuisse communia, sicut nunc in monasteriis, ipsumque Episcopum consuevisse per se, vel per alios illa clericis distribuere, quantum requirebat honesta cujuslibet sustentatio, superfluis pauperibus distributis; circa Augustini autem tempora sub Simplicio Papa, id est, anno circiter 470. factam esse illorum divisionem in 4. partes, prima assigna-

ta Episcopo, secunda clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus, idque ut vitarentur difficultates exortæ. His suppositis.

CONCL. I. Probabilius est clericos esse dominos pensionis fructuum beneficii, quæ ad congruam ipsorum sustentationem necessaria est, adeoque posse pro libitu de illa in usus honestos disponere. Est fere omnium theologorum.

Prob. 1. Miles sæcularis fit dominus stipendii sibi concessi: ergo & miles spiritualis. Præterea ita dignus est operarius manualis mercede sua, ut illius dominium adquirat: quidni & operarius Evangelicus?

Prob. 2. Ideo clericus fit dominus adquiretorum per ministerium clericale, puta per cantum, confessionum exceptionem, missæ celebrationem, &c. quia sunt justa merces & stipendium laboris; atqui idem est de portione præfata: ergo.

Prob. 3. Quia dum canones vocant Ecclesiæ proventus *patrimonium Christi, bona crucifixi, alimenta pauperum*, &c. non loquuntur de portione sustentationi necessaria; cum illa sit titulo justitiæ debita: implicat autem ut idem sit beneficiatis & simul pauperibus ex justitia debitum.

Dices; beneficiati ante bonorum Ecclesiæ divisionem non erant illius portionis domini: ergo nec post. Prob. consequ. Quia bona illa per divisionem non mutarunt naturam suam, sed tantum modum administrationis.

Resp. Quoad portionem illam mutatum esse dominium: illa enim, cessante vita communi, assignata est beneficiatis titulo justitiæ tanquam merces labori debita; imo tali titulo fuisset ante divisionem assignata, nisi dominio particulari obstitisset voluntaria vita communis. Hinc

Resol. 1. Viventes ex patrimonio posse portionem illam non tantum in usus pios, sed etiam in quoslibet honestos expendere.

Resol. 2. Sumptibus parentes posse etiam de reliquo dictæ portionis pro libitu disponere, cum illius sint domini absoluti.

CONCL. II. Clerici nullatenus habent dominium portionis fructuum, quæ honestæ sustentationi superfluit; & ideo nisi illam in pauperes, aut usus pios expenderint, violant justitiam, suntque obnoxii restitutioni. Est communis omnium canonistarum, inquit Navarrus, quibus consentiunt plerique theologi recentiores, imo omnes antiqui, ita ut dixerit major, nullum doctorem ante se mortuum contrarium docuisse.

Prob. 1. Ex unanimi sensu Ecclesiæ nobis in Summis Pontificibus, & Patribus manifestato & usque ad nos transmissio: ac 1. Sic loquitur Alex. III. c. 2. De donation. *Cum dominus & quilibet prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus*: 2. D. Hieron. super cap. 3. Isaïæ v. 15. *Rapina pauperum in domibus eorum est quando replent thesauros suos, & Ecclesia opibus abutuntur in delicias, &c.* Si autem illarum essent domini,

non possent dici raptores: 3. D. Aug. relatus cupsa 12. q. 1. can. *Si privatum: proventuum Ecclesiasticorum: procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem, &c.* Videri etiam possunt D. Greg., Ambr., Chrysost. & alii, qui unanimiter assertunt bona illa esse pauperum: & si dicas hoc fuisse verum ante divisionem, non potest; audi D. Bernard. diu post illam in Epist. circa fin. sic loquentem: *Quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, sacrilegium est, rapina est.* Idem habet Epist. 42. & Serm. 23. in cantica, ubi expresse ait Ecclesiæ ministros, qui stipendiorum superflua sibi retinent aliena diripere: audi & D. Laurentium Justinianum lib. De Institut. & regimine prælatorum cap. 4. *ò quanta abusio, Christi ditari divitiis, & Christo nihil velle dare: nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? unde temporalia sunt Ecclesiis prærogata? nonne propter Christum, nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui præses, retinere quod alienum est, ne furti deprehendaris in causa.* Quid clarius?

Prob. 2. Quia Ecclesia beneficiorum fundaciones recepit cum onere superflua distribuendi pauperibus: ergo beneficiati non sunt superfluum domini, vel certe si sint aliquid, ut loquuntur aliqui, tenentur tamen ex justitia præfata erogare pauperibus: quod in idem redit pro praxi. Prob. ant ex conc. Aquisgranensi 1. cap. 116. *Facultatibus suis sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam (nempe fideles) ut his & milites Christi alerentur, Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur.*

Prob. 3. Quia Ecclesiæ ministris ob servitia ordinati tantum debetur congrua sustentatio: ergo superabundantium non censentur fieri domini absoluti.

Prob. Denique ex eo quod proventus illi vocentur à sacris canonibus *Patrimonium Christi, bona Crucifixi, res Dei, alimenta pauperum*, qualia non vocantur bona ecclesiasticorum patrimonialia: ergo signum est hæc & illa aliter ab ecclesiasticis possideri.

Obj. 1. Cap. unico. *De Cleric. non resident.* in 6. dicitur quod qui divinis officiis non intersunt, non sint domini quotidianarum distributionum, neque faciant eas suas: ergo qui intersunt, sunt illarum domini.

Resp. Ibi fieri mentionem distributionum, quæ supponuntur necessariæ ad congruam clerici sustentationem.

Obj. 2. Trid. sess. 23. cap. 1. *De reform.* asserit, Episcopos sine necessitate ultra trimestre absentes non facere fructus suos: sicut nec faciunt beneficiati, qui ultra bimestre differunt professionem fidei; ergo si in illis non defuerint, faciunt fructus suos, adeoque sunt illorum domini.

Resp. Consequens esse verum quoad partem sustentationi congruæ correspondentem, non quoad superflua, propter rationes prius positas.

Inst. Sicut privantur omnibus fructibus deficientes, ita fiunt omnium domini officio suo satisfaciētes, cum concilium loquatur indiscriminatim.

Resp. Privari quidem ab Ecclesia omnibus fructibus, idque in pœnam delicti, ut constat ex praxi; nunquam tamen fiunt omnium domini, eo quod Ecclesia contrarium declaraverit per canones, Sanctos Patres, &c.

Obj. 3. D. Th. 2. q. 185. art. 7. ubi videtur docere posse Episcopos de fructibus sui beneficii ita disponere, sicut de bonis patrimonialibus.

Resp. S. Doctorem manifeste loqui de portione sustentationi necessaria, non de superfluis, alias possent illa etiam usibus profanis, imo & parentibus ditandis sine peccato impendere; sicut possunt patrimonialia, quod est contra expressam canonum & Tridentini prohibitionem sess. 25. cap. 1. *De reform.* quod autem S. Thomas non adversariis, sed nobis formalissime faveat, patet ex Quodlib. 6. ubi ait. *Bonorum ecclesiasticorum clerici non sunt veri domini, sed dispensatores. Et in Summa supra: Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores.*

Obj. 4. Si staret conclusio, posset aliquis pauper à beneficio superflua retinente, subripere aliquid sine peccato, cum pauperes jus habeant ad superflua.

Resp. Quod etsi pauperes in communi jus ad rem aequaliter habeant in superflua, non habeant tamen ante distributionem, nec in communi, nec in particulari, jus in re, illorum dominio penes Ecclesiam universalem remanente; & ideo fures sunt, si aliquid ex illis subripiant. Adde bona illa non necessario danda esse pauperibus, cum possint in alias causas pias expendi.

Obj. 5. Ecclesia non obligat beneficiatos bona illa in usus profanos expendentes ad restitutionem: ergo censet esse illorum dominos.

Resp. Obligare per canones, concilia, Sanctos Patres, scholarum principes, & totam theologorum antiquitatem, qui omnes unanini voce conclamant retinētes bona illa esse fures, latrones, sacrilegos, & raptores: quod si nunc videantur tacere Pontifices, sciendum est, *multa per patientiam & prudentiam tolerari*, inquit Cajetanus, *quæ si deducerentur in judicium, arguerentur.*

Obj. 6. Si superfluatorum non essent domini, illa non concederentur ipsis ab Ecclesia.

Resp. neg. assump. Ecclesia enim constituendo beneficiatos superfluatorum dispensatores, melius & facilius providet singulorum pauperum necessitatibus, cum tribus canonicis v. gr. facilius innotescant loci pauperes, quam unico dispensatori. Deinde alia, & forte præcipua Ecclesiæ ratio fuit, ne beneficiatis infirmis, senibus, aut aliter indigentibus necessaria deficerent.

Obj. 7. Non est credibile fundatores imposuisse beneficiatis onus

superflua pauperibus, aut piis causis applicandi, alias id per seipso præstitissent.

Resp. Quidquid sit de fundatorum intentione, Ecclesiam non aliter fundationes illas acceptasse, ut satis patet ex dictis.

Adv. hic pro illis, qui se credunt omnium fructuum dominos, equidem moraliter peccare, si superflua in usus profanos, aut parentes ditandos expendant, ut certum est apud Doctores communiter, tum ex sacris canonibus, tum ex Tridentini prohibitione sess. 25. c. 1. *De reform.*

Q U Æ S T I O V.

Qualiter sit respondendum variis circa hanc materiam difficultatibus.

Petes 1. Quid senserint auctores de sententia nostræ contraria? Hic nullas censuras fero, sed ab aliis latas simpliciter refero.

Resp. Igitur vocari à Medina *sacrilegam, adulatoriis quorundam sophistarum nugis in scholas introductam & Evangelicum pauperibus opitulando ministerium excludendam*; à Petro Soto, *errorem gravissimum, saltem contra bonos mores & justitiam*; ab Archidiacono *hæresim in jure*; à Majore *antiquitati contrariam*. Molina autem tract. 2. c. 15. §. in fine, *De Sacerdotio, vehementer timeo*, inquit, loquens de nostra sententia, *multos esse ecclesiasticos, qui æternis torquentur suppliciis, quia veram hanc doctrinam secuti non sunt, &c.*

Petes 2. Quænam censeatur congrua beneficiati sustentatio?

Resp. Hoc esse prudenter determinandum, attenta timoratorum consuetudine, vivendi ratione, loci & temporis circumstantia, personæ dignitate, &c. & ideo pinguior assignatur Episcopo, quam capellano, &c.

Dixi *personæ dignitate*, nempe ecclesiastica & non sæculari, cum beneficia non ad sæcularem pompam, sed ad Ecclesiæ ministrorum sustentationem fuerint instituta. Errant igitur, qui sub prætextu nobilitatis ex bonis pauperum nutriunt famulorum, equorum, &c. multitudinem.

Petes 3. An non possint beneficiarii aliqua in futurum retinere?

Resp. Posse illa, quæ prudenter existimantur necessaria, ut obviatur infirmitati futuræ, bellorum incommodo, liti sustinendæ, temporum sterilitati, &c. si de facto adsit illorum periculum. Imo non videntur condemnandi illi, qui moderate thesaurizant piæ alicujus foundationis causa; sed in his omnibus cavenda affectio immoderata, sicut & avaritiæ animus non raro clericis familiaris, in decus ecclesiasticæ dignitatis.

Petes 4. An liceat clericis, sicut & Abbatibus ex proventibus beneficii, aut monasterii deficientem consanguineorum statum sustinere?

Resp. Hoc periculosum esse, ne, inquit D. Hieronymus, dum *parentibus miserentur, animas perdant*. Interim nolim ipsos condemnare, si, seclusa omni vanitate & superfluitate, statui honesto sustinendo subveniant ex motivo charitatis, modo tamen aliis magis indigentibus prius succurrant.

Petes 5. An religiosi facti Episcopi sint domini proventuum suæ sustentationi necessariorum?

Resp. neg. Eo quod dominio obstat votum paupertatis, quod per episcopatum non tollitur; & ideo sunt tantum illorum administratores, quod sufficit ut dignitatem episcopalem debite sustineant: unde *Can. statutum*, 18. q. 1. dicitur res à monacho habitas ante episcopatum, esse monasterii, habitas in episcopatu esse Ecclesiæ, & non ipsius Episcopi, adeoque si illas prodige expendant, violant justitiam, suntque recipientes obnoxii restitutioni.

Dices 1. Juxta canonem citatum absolvuntur à voto obedientiæ: ergo & paupertatis.

Resp. dist. ant. Absolvuntur in actu secundo, eo quod non habeant amplius in religione superiores, quibus obediunt, sicut nec habet monachus factus Abbas, C.; in actu primo, & quantum ad vinculum, N.; in nostro autem casu potest Episcopus esse pauper, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, si sit contentus proventuum administratione sine dominio.

Dices 2. Possunt ex proventibus testari ad causas pias; ergo sunt illorum domini.

R. Non posse sine dispensatione Papæ, sed tunc eorum administrationem ita extendit Pontifex, ut etiam valeat post eorum mortem: & sic nullo opus est dominio.

Petes 6. An hæredes teneantur ad restitutionem eorum, quæ reliquit beneficiarius ex superfluis suæ sustentationi?

Resp. affirm. Nisi sint pauperes. Ratio est, quia tenentur ad solutionem omnium debitorum; sed illa sunt debita pauperibus, aut saltem locis piis: ergo sunt restituenda.

Petes 7. An sacris ordinibus initiati possint alienare titulum suæ ordinationis?

Resp. Non posse sine facultate Ecclesiæ, undecumque prove-niat, quamdiu non habent aliunde sufficientem. Ratio est; quia sicut bona illius tituli sunt Ecclesiæ obstricta in sustentationem ordinati; ita nec possunt ab Ecclesia divelli sine ejusdem consensu: unde Trident. sess. 21. c. 2. *De Reform. atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint*; quamvis illorum dominium, &c. si patrimonialia sunt, semper maneat penes ordinatum, qui ideo potest de illis testari ad quascumque causas.

Q U Æ S T I O V I.

Quodnam sit objectum dominii humani?

In idem redit, si quæretur, quænam cadant sub dominio hominis? Sed ante resolutionem

Suppono 1. Ex dictis in tract. in Decalog. hominem dominum esse suæ famæ, adeoque, secluso reipublicæ, familiæ, aut tertii nocumento, posse illam dissipare sine gravi peccato. Idem dic de honore.

Suppono 2. Non esse dominum vitæ suæ, sicut nec membrorum, sed usuarium, illorum dominio penes Creatorem residente, juxta illud Sap. 16. *Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*, & ideo si quis seipsum, aut alium permittentem occidat, vel mutilet, graviter peccat, nisi certe alicujus membri amputationem exigeret totius conservatio. Vide hæc fusius dicta in 5. Precep. Decalogi.

CONCL. I. Potest homo esse dominus alterius hominis quoad ipsius opera, titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, & jure belli.

Prob. 1. pars; ex L. *Partum Cod. De vendicatione*, ubi legitur in tit. *partus sequitur matrem*, ex quo sequitur ex matre serva nasci prolem servam, licet pater foret liber. Si tamen tempore conceptus, aut partus, aut etiam tempore intermedio fuisset libera mater, etiam libera foret proles.

Prob. 2. pars; quia cum homo sit suorum operum, suæque libertatis dominus, potest, urgente fame, aut alia justa necessitate seipsum in perpetuum vendere, sicut potest famulus, aut ancilla ad tempus se alteri locare. Unde S. Paulinus, ut filium viduæ à servitute liberaret, seipsum servituti subjecit. Ut autem hæc venditio teneat, requiruntur jure romano certæ conditiones. 1. Ut venditus sit major 20. annis. 2. Ut is qui venditur, sciat se esse liberum tempore venditionis. 3. Ut venditus aliquod pretium recipiat, & ideo jure civili non potest aliquis gratis in servum se donare. Alias conditiones vide apud auctores.

Prob. 3. pars, quia *Can. de raptoribus* 46. q. 1. raptor ob violentiam adhibitam fit servus raptæ, vel debet se redimere: quod in his locis non est in usu. Item cap. *Ita quorundam* 6. *De judæis* statuitur ab Alex. III. ut ferentes ad saracenos arma, ferum, &c. aut etiam naves eorum piraticas gubernantes, fiant captivum, etiam christianorum.

Prob. 4. pars; quia qui in bello justo capitur, fit capientis servus. Unde 1. Petri 2. dicitur: *à quo quis superatus est, hujus & servus est*. Et certe si à victoribus capti possint occidi, quidni, vita concessa, in servitutem redigi? Hæc tamen servitus non habet locum inter milites christianos.

CONCL. II. Homo habet dominium actuum suorum liberorum, etiam interiorum, imo & supernaturalium.

Ratio est; quia in illos omnes habet potestatem, liberamque dispositionem, cum possit illos ponere, vel non ponere; sine gratia quidem numquam operabitur supernaturaliter; sed, ipsa recepta, adhuc liber est ut agat, vel non agat. Hoc tamen intellige physice loquendo; quia si, posito operandi præcepto, non operetur, aut posita operandi inhibitione, operetur, non erit immunis à peccato.

CONCL. III. Omnes res sublunares cadere possunt sub dominium hominis, adeoque elementa, pisces, feræ, aves, plantæ, fortunæ bona; immo ab initio omnia fuerunt sub illius ditione posita, juxta illud Psalmi 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et licet post peccatum primi parentis rerum usus, & adquisitio sit difficilior reddita, non periit tamen dominium.

Dixi; *omnes res sublunares*; quia non extendit se dominium hominis in Cælum & astra, licet quoad influentias & commoda ex illis provenientia aequaliter subjiciantur hominis dominio, in quantum non potest juste impediri quominus fruatur lumine solis, & astrorum influentis.

CONCL. IV. Homo etiam aequaliter dici potest dominus bonorum suorum spiritualium, tum interiorum, id est gratiæ sanctificantis cum virtutibus annexis, tum exteriorum, id est, beneficiorum, dignitatum, & officiorum Ecclesiasticorum.

Prob. 1. pars; quia, supposito gratiæ auxilio proportionato, potest homo per dispositionem congruam gratiam sanctificantem sibi comparare, & per peccatum illam amittere: ergo quod homo gratiam possideat, vel non possideat, aequaliter pendet ab ipsius voluntate, & hoc sensu dici potest gratiæ dominus: hinc patet, quantum homo sit animæ suæ crudelis, suæ salutis incurius, divinæ bonitati injuriosus, cum gratiæ possessionem negligit, aut contemnit.

Prob. 2. pars, quia Episcopus habet potestatem utendi suo Episcopatu, canonicus suo canonicatu in omnes usus sibi permissos, possuntque beneficiis renunciare, cedere, immo, accedente superioris licentia, illa personis idoneis resignare, quod signum est alicujus domini; nullus tamen dominus est alterius beneficii, nequidem Episcopus, aut Summus Pontifex, alias possent beneficia quibus velent, adeoque & indignis, distribuere sine injustitia.

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi dominium.

Tribus modis acquiri potest rerum dominium, jure naturali, jure civili, jure orto ex particularium contractuum.

Jure naturali acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt: ju-

re civili quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges tempore possidentur: jure particulari, quæ sunt alterius tamquam domini, & possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, mutationem, aut alium contractum: de duobus primis hic agemus, de tertio acturi disp. sequenti.

QUESTIO I.

Quænam animalia liceat aucupio, venatione, aut piscatione capere, quænam non?

Adverte 1. Animalium alia esse ex natura sua familiaria & domestica, ut equos, canes, boves, gallinas, oves, &c. alia ferina & sylvestria, ut lepores, cervos, perdices, quibus annumerantur omnes pisces, alia partim familiaria, partim sylvestria, ut cuniculos, anseres, &c.

Adverte 2. Aliqua ex domesticis sibi relicta fieri quandoque ferina, ut sues & capras; & è contra aliqua ex ferinis usu & consuetudine fieri mansueta, & domestica ut apes in alveariis asservatas, cervos, &c. His notatis

CONCL. I. Licitum est quælibet animalia ferina, & sylvestria necdum ab aliquo comprehensa, prosequi, & capere; ita ut statim fiant accipientis, ubicumque capiantur. Idem est de illis, qui ex domini potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt, lib. 2. Instit. *De rerum divisione, §. Feræ, &c.*

Ratio est; quia cum animalia illa cadere possint sub dominium hominis, & aliunde nullius sint, non est cur non fieret primo occupantis: unde nullus juste conqueri potest de capiente. Porro censetur animal ferinum constitutum esse sub potestate hominis, quando vel ab eo captum est, vel in eo statu positum, ut moraliter loquendo sit ab illo capiendum; quia tunc censetur adesse vera apprehensio moralis. Item tamdiu censetur sub ejus potestate, seu dominio remanere, quamdiu vel custodia coercetur, vel si evasit, facilis est tamen ejus prosecutio. Hæc omnia colliguntur ex jure citato. Hinc

Resol. 1. Capietes animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis & circumdatis, obnoxios esse peccato, & restitutioni, cum dominum habeant proprium. Aliud esset, si semel capta includerentur in locis ita amplis, ut difficilis esset eorum captio, v. g. pisces in rivis, cervi in saltibus.

Resol. 2. Eum, qui vulneravit lethaliter feram, ipsamque insequitur, debere esse illius dominum, & consequenter, si ab alio capiatur, esse restituendam. Ratio est; quia moraliter erat prosequentis, cum certo esset illam apprehensurus: aliud esset, si dubium foret, an esset comprehensurus, necne; vel si desiisset prosequi; tunc enim fit capientis: postulat tamen æquitas, ut detur ali-

quid, insufficienter vulneranti, si adhuc prædam insequeretur.

Resol. 3. Animal retibus tuis inextricabiliter implexum fieri tuum, etiam ante capturam; quia dum laqueis tuis ita intricatum est, ut nullatenus possit evadere, censetur in tuam potestatem pervenisse. Secus dicendum, si adhuc poterat animal ex laqueis se eripere; quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu sufficientis apprehensionis necdum censebaris illius dominus. Ratio tamen videtur exigere, ut aliquid tibi concedatur ratione industriæ & probabilitatis prædæ obtinendæ.

Resol. 4. Si alter ex laqueis tuis feram inextricabiliter implexam eripuerit, libertatemque concesserit, te perdere quidem illius dominium, sed tibi competere actionem in eum, qui eripuit.

Resol. 5. Idem esse omnino dicendum de piscibus, qui in flumine retibus tuis sunt involuti, ac de fera laqueo tuo intricata.

Resol. 6. Si apes (quæ sylvestres reputantur) ex alveariis tuis ita evolaverint, ut illarum prosecutio, & apprehensio sit difficilis, & præter spem, licite à quolibet posse apprehendi, etiamsi forent in fundo tuo; sicut enim avis nidificans ad parietem domus tuæ non est tua; ita nec examen apum in fundo tuo existens censetur tuum, si jam evolvendo nativam libertatem recuperaverit: posses tamen impedire, quominus alter fundum tuum ingrederetur. Ubi autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, jure plurimi sic disponente.

CONCL. II. Animalia domestica, seu naturaliter mansueta, sicut & ferina mansuefacta, quamdiu redire solent, non sunt primo capientis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt domino parenti restituenda. Primum patet ex l. 2. Instit. Tit. 1. §. Gallinarum, sicut & secundum §. Pavonum.

Ratio est; quia per fugam, aut distantiam non censentur amississe dominium.

Dixi: *Quamdiu redire solent*; quia ubi consuetudinem redeundi deseruerunt, censentur pristinam libertatem recuperasse, sicque fieri poterunt primo occupantis. Quandoque autem consuetudinem illam perdididerint, relinquendum est prudentum arbitrio, attenda animalium natura: plus enim temporis requirunt aliqua, minus alia, ut pristina libertate donata esse dicantur: unde non arridet illorum sententia, qui redeundi desuetudinem ex una aut altera intermissione metiuntur, immo quantum ad aves venalicas, ut sunt pavones, milvi, falcones, accipitres, etiamsi redeundi consuetudinem deseruerint, non tamen deseruerunt dominum; & ideo sunt ipsi restituendæ, consuetudine sic disponente.

Advertendum hic, juri communi semper præferendas esse leges & consuetudines locorum particulares, ubi sunt legitime introductæ; & ideo si alicubi alia sit præcedentium dispositio, servanda est.

-cig. totaliter. 12. lev. p. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

ARTICULUS II.

An prohiberi possit captio animalium in locis publicis, an peccent, & ad quid teneantur contravenientes?

Quæstio procedit tam de aucupio & piscatione, quam de venatione. Sed ante

Suppono 1. Venationem, saltem clamorosam, illicitam esse clericis, & religiosis. Patet ex Concil. Aurelianensi, ubi Episcopus, qui crebro talibus venationibus dat operam, jubetur suspendi tribus mensibus à communione; presbyter vero duobus, diaconus ab officio: quod etiam refertur cap. 1. De clerico venatore: ex quo habes mortalem esse pro ecclesiasticis clamorosa venationis frequentationem; excusari tamen potest, saltem à mortali, venatio rara & modesta, id est, facta sine magno armorum & canum strepitu.

Suppono 2. Peccare, obnoxiosque esse restitutioni venantes cum detrimento proximi, ut si conculcent segetes, grana excutiant, destruant semina, sepes, vineas, legumina, &c. vel etiam venantur delectationis ergo, & culpabilis est delectatio proximi nociva; vel ob commodum proprium, & injustum est, quod, ut sibi prosint, alteri noceant: vel ob bonum commune, eo quod nimia ferarum multitudo agros devoret; & postulat naturalis æquitas, ut non unus tantum, aut duo totum damnus sentiant; unde si commodum ex venatione intentum sit commune, debet & commune esse damnus; alias læditur justitia.

Suppono 3. Prohiberi posse animalium captionem, vel publicæ utilitatis ergo, vel ratione privati commodi, quod inde recipit dominus fundi, aut toparcha. His suppositis

CONCL. I. Potest Princeps aut respublica animalium captionem prohibere, etiam in locis publicis, ubi adest juxta causa. Est contra quosdam jurisperitos, immo & theologos, qui docent hujusmodi animalium captionem, utpote jure naturæ, aut jure gentium licitam, non posse à Principe prohiberi.

Prob. concl. quæ communis est; quia si possit Princeps, aut respublica aliquid ex bonis particularium exigere, ubi justa ratio postulat, quidni & loca publica, eorum usibus deputata, aliis elocare, aut etiam interdiceret, ubi id exigit bonum commune? Unde prudenter agit Princeps, aut magistratus, si, ne majoribus tributis gravetur populus, elocet fluvios communes, aut certa loca venationi idonea. Item si prohibeat venationem tempore, quo animalia sunt gravida, ne extirpentur; aut quando nives sunt copiosæ, ne capiantur omnia. Similiter si inhibeat infectionem fluminis, aut capturam piscium cum certis instrumentis, aut escis venenatis, quia prohibitiones illæ conducunt ad bonum communitatis. Sed potestne

princeps ob suam, aut alicujus personæ benemeritæ, puta urbis gubernatoris oblectationem, loca certa reservare? Dicendum est quod sic, quia justum est, ut princeps pro communitate laborans, ex bonis communitatis recreetur, & ex iisdem compenset personas, quæ pro reipublicæ defensione, aut conservatione fortiter laborant; postulat tamen humanitas, ut aliqua loca populorum recreationi relinquuntur, nisi certe ideo tributa minuerentur.

Ceterum cavere debent illi, quibus vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel ratione fundi, vel ex favore principis, concessum est jus venandi, ne permittant lepores, cuniculos, &c. ita multiplicari, ut sint agricolis gravi incommodo: in hoc enim lædatur justitia.

CONCL. II. Peccant mortaliter, qui in hac materia notabiliter contraveniunt principis aut reipublicæ inhibitioni ad publicam utilitatem vergenti.

Ratio evidens est; quia tunc grave nocumentum inferunt communitati: unde si quis pisces capturus inficiat fluvium: ultra peccatum tenetur damnum reipublicæ illatum resarcire, in quantum læsit graviter jus, quod ipsa habebat ad piscationem, & ad lucrum inde speratum. Ubi autem venatio, aut piscatio prohibita, non est graviter communitati injuriosa, sicut nec alicui tertio, qui jus piscandi aut venandi conduxit, non videtur excedere peccatum veniale, nisi adessent aliæ circumstantiæ rem aggravantes. Sed peccatne ille, qui, invito domino, venatur in fundo ipsius? Etsi, spectato solo jure naturali, videatur venatio illa licita, ubi fieri potest sine detrimento agrorum aut pratorum domini, eo quod feræ non sint fructus fundi, nec ad fundum, aut fundi dominum pertineant; quia tamen jure civili potest quilibet jus venandi in suis prædiis sibi reservare, aliisque interdiceret, ut patet ex §. *Feræ*, Instit. *De rerum divisione*, talis venatio illicita est, idque graviter, vel leviter proportionate ad damnum, aut injuriam domino illatam; ubi tamen nolente domino ibi venari, ita multiplicarentur animalia, ut vicini essent gravi nocumento, posset ibidem, neglecta ejus prohibitione tamquam irrationabili, venatio exerceri; immo teneretur ipsemet ad damnorum inde sequentium reparationem, eo quod illorum esset vere causa, cum nolens venari ad alios inhiberet.

CONCL. III. Qui animalia capiunt in loco, ratione publicæ utilitatis, interdicto, tenentur, lata sententia, poenam luere, damnumque notabile resarcire, non tamen prædam restituere.

Prob. 1. pars; quia ubi lex pœnalis justa est, obligat ad latæ sententiæ executionem, ut suo loco dicitur.

Prob. 2. pars; quia si reparari debeat damnum illatum particulibus, quidni illatum communitati?

Dixi: *Damnum notabile*, ut, si capiunt animalia magni pretii, aut tot minora, ut venatio censeatur sensibiliter imminuta. Aliud esset, si interdum unum, aut aliud animal comprehendere-

tur, quia tunc princeps, aut respublica pœna contenti non solent restitutionem exigere.

Prob. 3. pars; quia cum præda capta nullius esset ante captiorem, adeoque nec Principis, nec communitatis, eo quod illius dominium tantum por apprehensionem adquiratur, sequitur esse venatoris illam apprehendentis, & ideo non teneri illam restituere, etiamsi in specie existat; unde quod teneatur restituere, ubi damnum intulit notabile, non oritur ratione rei acceptæ, seu animalium captorum, sed quia graviter minuit venationem, ad quam jus habet ad venationem aut piscationem in aliquo loco ratione fundi; aut quia princeps id ipsis specialiter concessit cum aliorum exclusione; tunc enim obligatur quidem venator damnum venatori illatum resarcire, non tamen feram apprehensam reddere, propter rationes superius dictas.

Q U Æ S T I O I I I .

Quid dicendum de columbis & columbariis?

CONCL. I. Licita sunt columbaria, nisi alicubi, ob speciales rationes, prohibeantur. Est communis inter Doctores, qui illam materiam tractarunt.

Ratio est, quia nec columbaria, nec ipsæ columbæ videntur agricolis nocivæ; non quidem columbaria, quia si destruerentur, nullæ essent columbæ domesticæ, sicque multiplicarentur sylvestres turbatim volantes, quæ cum non haberent aliunde pabula, multo magis agris nocerent; non etiam columbæ, quia si in aliquibus noceant, ut bona semina comedendo, prosunt in aliis, ut terras stercorizando, mala semina extirpando, puta lolium, nigellam, titiam sylvestrem, & alia grana, quæ in herbas crescentia, sunt segetum suffocativa. Addunt experti, columbas tantæ esse simplicitatis, ut non discooperiant semina terræ mandata, sicut faciunt gallinæ scalpendo, immo nec tangere spicas, dum calami sunt erecti, adeo ut sint tam fertiles agri columbariis vicini, quam eisdem remoti. Non negarem tamen peccare columbarii dominum, tenerique ad camporum reparationem, si columbis suis denegans ordinaria pabula, esset in causa, cur devastarentur agri vicini.

CONCL. II. Columbarii dominus utens ex dolo, aut fraude certis seminibus, escis, odoribus, aliisque artificiis, ut alterius columbarii columbæ inescatæ ad suum attrahantur, aut consuetudinem ad proprium revertendi deserant, peccat mortaliter, teneturque ad damnorum & columbarum restitutionem; secus si columbæ alienæ ipsius columbario ultro se ingerant.

Ratio prioris est; quod numquam liceat per dolum, aut fraudem privare alterum rei suæ dominio. Si quis tamen eo fine dræ-

cise, ut columbas proprias melius nutriet aut retineret, præberet iisdem pabula abundantiora, aut stationem aptiorem, & tamen ideo attraherentur alienæ, nec peccaret, nec restitutioni obnoxius foret: quia nulla ibi fraus.

Ratio posterioris est, quod ad vitanda jurgia & discordias continuas, introduxerit legitima consuetudo, ut columbæ è columbario proprio ad alienum ultro divertentes fiant posterioris columbarii, modo tamen relinquatur iisdem nativa libertas: & ideo justitiam violant, qui videntes in suo columbario columbas alienas, ipsas tamdiu includunt, quamdiu consuetudinem ad proprium redeundi amiserunt. Ubi autem propter desuetudinem redeundi ad prius columbarium, posterioris factæ sunt, non licet priori domino illas fraude, aut aucupio apprehendere, cum desierit esse illorum dominus.

Advertendum hic certis in locis columbas venditas, bis aut ter reddi emptori, si ad venditoris columbarium redeant: quod ibidem servandum est, sicut alia inter columbariorum dominos legitimos servari solita.

CONCL. III. Illicitum est aucupium columbarum domesticarum intra terminos lege, aut consuetudine prohibitos.

Ratio est; quia columbæ illæ, non minus ac gallinæ, habent dominos proprios, quibus consequenter fit injuria, si ipsis invitis, quocumque modo capiantur, unde furtum & onus restitutionis incurrunt, qui illas apprehendunt.

Dixi: *Intra terminos*; quia si alicubi sit præfixus terminus ultra quem censentur dominum amisisse, v. g. cum distant à columbario proprio leuca integra sicut dicitur ordinatum in regno Castellæ, clarum est, ubi constat de distantia sufficienti, licere illas aucupio apprehendere.

Dico: *Ubi constat de distantia sufficienti*, de qua vix, aut ne vix constare potest in his locis, ubi abundant columbaria: in dubio autem, an sint columbarii sufficienter distantis, an proximioris? Resolvendum est esse proximioris, cum veritatis præsumptio videatur stare pro illo.

Q U Æ S T I O I V.

Quid resolvendum de pauperibus in sylvis lignantibus, & quid de sylvarum custodibus?

Circa hanc materiam aliqui fere omnia pauperibus concedunt, alii omnia negant, nos quod justum judicaverimus, statuemus. Sed antea

Advertendum 1. Sylvas alias esse communes, alias proprias: communes vocamus, quæ alicujus loci incolis sunt destinatæ, sicut sunt destinata certa loca communia pro pascendis illorum animali-

bus: proprias vero quæ ab aliquo particulari sive homine, sive monasterio possidentur ex Principis concessione, aut titulo plantationis, emptionis, &c.

Advertendum 2. Republicam, aut Principem prohibere posse subditis suis, ne in Sylvis, etiam suo loco communibus lignentur certo anni tempore, ne cædant tales stirpes, ne animalia introducant in sylvas aut nonnisi certum numerum, & certo tempore. Ratio est; quia id exigere potest bonum commune.

Advertendum 3. Ad hujus quæstionis decisionem, maxime spectandam esse consuetudinem, quæ, cum sit optima legum interpres, nobis innuit legum vim & efficaciam, an scilicet legislatores tantum voluerint obligare ad pœnam, an etiam ad culpam? An ad gravem, vel levem? His notatis

CONCL. I. Pauperes lignantes, non obstante inhibitione, in sylvis sibi & aliis incolis communibus, ordinarie peccant venialiter tantum; nec videntur ad restitutionem obligandi, si præcise usibus suis necessariæ asportent, nec damnum notabile inferant.

Ratio est; quia ultra quod communitas non censetur ita graviter lædi à suis partibus, quam extraneis, censetur etiam aliquantulum membris suis indigentibus indulgere; ita ut respectu pauperum magis credatur invita quoad modum, quam quoad substantiam. Accedit, quod cum prohibitio non tollat particularibus jus ad portionem necessariam, sed tantum certos modos faciat illicitos, non videtur sub mortali obligare, præsertim pauperes.

Dixi 1. in conclusionem: *in Sylvis sibi, & aliis incolis communibus*; si enim sylva sit quidem aliquibus communis, non tamen ipsi auferenti, peccat graviter, si grave quid surripiat, estque obnoxius restitutioni non minus ac si surriperet in sylvis alicujus particularis. Excipe tamen, nisi auferens esset membrum communitatis vicinæ similiter communem sylvam habentis, in qua subditi prioris communitatis etiam quandoque ligna suffurantur: tunc enim utraque communitate restitutionem (cujusdam compensationis ergo) non exigente, solamque deprehensorum pœnam desiderante, posset à mortali excusari.

Dixi 2. *Ordinarie*; quia si nemus ad solvenda communitatis onera alicui tertio elocatum foret, in materia secundum se gravi, graviter peccaretur.

Dixi 3. *Si præcise usibus suis necessaria asportent*, puta ad moderatam calefactionem, ciborum concoctionem, ac forte etiam ad modicam casæ labentis reparationem, non tamen, ut ex lignis ablatis lucrum reportent, nisi certe essent sicca, aut talia, quæ permitterentur à quolibet auferri. Sic permittitur certis in locis cæsiō virgultorum, quibus scopæ venales conficiuntur.

Addidi: *Nec damnum inferant notabile*, quale censentur inferre, si cedant arbores operibus fabrilibus deputatas, si varias stirpes incidant, aut permittant à suis animalibus destrui, licet autem so-

lum venialiter peccent, tenentur tamen, si deprehendantur, post latam judicis sententiam, mulctas solvere, eo quod supponantur justitiæ.

CONCL. II. Lignantes in Sylva, quam possidet aliquis particularis titulo plantationis à se, vel à suis antecessoribus factæ, ordinarie peccant mortaliter, tenenturque ad restitutionem ante omnem judicis sententiam, si abstulerint in quantitate notabili.

Ratio est; quia non minorem faciunt ipsi injuriam, ac si rem aliam æquivalentem ab eo surriperent cum utriusque sit æqualiter dominus.

Dixi 1. *Quam possidet titulo plantationis*; quia si sylvam illam antea communem habeat ex dono Principis aut reipublicæ; non peccabunt pauperes ex ea sibi necessaria procurantes, etsi contradicat dominus. Ratio est, quia cum ante donationem liceret inde pauperibus sibi providere, quidni post? Cum sit omnino credibile, Principem aut rempublicam cum tali onere illam concessisse.

Dixi 2. *Ordinarie*; quia notandum est, non plus peccare, nec plus teneri restituere lignantes, quam juxta præsumptam domini sylvæ voluntatem, quæ ex ejus statutis, verbis, rumore & usu magna ex parte deprehendi potest: ita ut ubi rationabiliter potest præsumi nolle dominum necessariorum lignorum cæsionem pauperibus graviter prohiberi, nec restitutionem curare, non incurrant peccatum restitutioni obnoxium; immo præsumitur communiter nolle sylvarum dominos ab indigentibus, lignorum restitutionem accipere: quod etiam verum est, licet minas intentent, & quandoque deprehensos mulctari permittant: illa enim fiunt, ne laxentur habentæ. Ubi tamen constare, velle dominium acceptorum restitutionem, esset facienda, peccarentque lignantes proportionate ad materiam ablatam.

CONCL. III. Supposita justa lignandi prohibitione, injusti sunt custodes & perjuri, si non declarent contravenientes, ubi ad id muneris se juramento adstrinxerunt. Est communis, certa, & per se evidens; non est tamen credibile, juramentum illud eo usque se extendere, ut teneantur etiam minima suffragantes, puta unum aut alterum baculum, denuntiare: quanvis & in hoc sit spectanda consuetudo & sensus juramentum exigentis; hoc tamen videtur certum, non obligari ad denuntiationem, quando hæc tria simul concurrunt. 1. Dum surripiens est in necessitate. 2. Dum necessitas illa tanta est, ut nequeat aliter suam aut suorum vitam conservare. 3. Si non plus capiatur, quam postulat necessitas. Ratio est; quia cum ille ratione paupertatis extremæ non peccet capiendo, ita nec custos tacendo. Adde, quod id exigit charitas, cui non potest adversari juramentum.

CONCL. IV. Ubi damnum patiuntur sylvarum domini ob custodum negligentiam, tenentur hi, deficientibus lignorum cæsoriibus, in solidum restituere.

Ratio est, quod sint indirecte causa damni illati in quantum obligantur ex officio lignorum conservationi invigilare.

Sed quid, si deprehensi solum teneantur ad mulctam, & non ad restitutionem, eo quod sint pauperes de communitate? Equidem tenebuntur restituere custodes æquivalens, cum ratione officii & stipendii obligentur ex justitia damna illa impedire.

Petes: an liceat custodibus simulare, aut se abscondere, ut lignantes deprehendantur in flagranti delicto?

Resp. neg. sed peccant aliquando duplici peccato. 1. Contra fidelitatem domino suo debitam, in quantum non impediunt damnum illius, ubi prævident ex actione inferendum. 2. Contra charitatem, ex qua tenentur peccatum & pœnam proximi impedire.

QUÆSTIO V.

Cujus fiat thesaurus inventus?

Lege *Numquam* 31. ff. *De acquirendo rerum dominio* definitur thesaurus: *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Viguit olim, imo & nunc viget consuetudo, ut tempore belli ad securitatem, pecuniæ, & alia mobilia pretiosa, ut vasa, annuli, gemmæ, &c. quæ hic nomine pecuniæ comprehenduntur, sub terra in puteo profundo, in sepulcris, aut alibi abscondantur: ubi autem depositoris, & depositionis nulla datur memoria, res deposita dicitur thesaurus, de quo hic.

CONCL. I. Etsi jure naturæ thesaurus totus fiat inventoris occupantis, eo quod censeatur nullius esse; jure tamen civili ordinatur, ut fortuito repertus in fundo proprio totus sit inventoris, in fundo alieno, media pars sit inventoris, & altera domini fundi, patet ex Institut. lib. 2. *De rerum divisione* §. *Thesaurus* 39.

Dixi: *Fortuito repertus*; nam si per artem magicam in fundo proprio reperiatur, totus est fisci, in alieno media pars fisci, & altera domini: quia tamen lex id statuens pœnalis est, & quidem ferendæ sententiæ, nihil videtur fisco cedendum ante judicis sententiam.

CONCL. II. Qui reperit in fundo alieno thesaurum ex industria quæsitus, stare debet pacto inito, si quæsierit ex consensu domini, si ipso inscio, aut invito, totus adjudicatur domino. Dico *in fundo alieno*: nam in proprio totus est inventoris.

Prob. 1. pars; quia pactum illud est justum, cum non teneretur dominus permittere, ut ejus terra aperiretur: ubi autem nulla conventio facta est, fieri debet divisio ad æqualitatem, nisi partem suam cessisset dominus: non censeatur tamen effodiens consensum obtinuisse si dissimulans spem thesauri recipiendi, fingat aliam necessitatem terræ effodiendæ, & ideo tunc de thesauro ita dispendendum est, ac si nullus fuisset consensus.

Prob. 2. pars ex Lege unica *De thesauris*, ubi tunc domino totum adscribitur.

Advertendum hic, legem statuentem, ut thesaurus ex industria quæsitus sine domini consensu, sit ipsiusmet domini, esse pœnalem, idque in pœnam inventoris, in messem alienam falcem mitentis, & ideo non obligat ante judicis sententiam: unde ante illam tenetur quidem concedere mediam partem ratione alterius legis non pœnalis id domino loci adjudicanti, non tamen totum: legem autem præfatam esse pœnalem, patet ex lege citata lib. 1. Cod. *De thesauris*, ubi de tali inventore dicitur: *totum hoc locorum domino reddere compellatur*; verbum autem *compellatur* satis denotat legem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ.

CONCL. III. Sciens agro alieno esse thesaurum, potest illum emere eodem pretio, ac si ibidem thesaurus non lateret, ac postea, empto agro, totum thesaurum retinere.

Prob. 1. pars; quia tanti emit agrum, quanti valet, quandoquidem thesaurus latens ne sit fructus, nec pars substantiæ agri, nec pertineat ad agrum, aut ejus dominum, cum ante occupationem censeatur nullius esse. Accedit, quod emens agrum, ignorans in eo esse thesaurum, non teneatur postea, reperto thesauro, pretium augere: ergo nec si emat cum notitia thesauri, cum illius cognitio non augeat valorem rei vendibilis, qualis est in nostro casu solus ager, & non thesaurus; quandoquidem dominus agri non possit vendere quod suum non est.

Dices 1. Qui scit latere thesaurum in agro, inchoate illum invenit: ergo jam debet medietatem domino agri juxta dicta superius, & consequenter pluris debet agrum emere.

Resp. dist. aut. Inchoate invenit, id est, facile illum occupare potest, C.; id est sufficienter, ut sit illius dominus, N.; quia ultra notitiam requiritur apprehensio, jam autem non prius habet dominium suæ partis, agri dominus, quam habeat inventor alterius medietatis.

Dices 2. Videtur esse fraus ex parte emptoris, cum taceat venditori thesaurum latentem.

Resp. neg. assumpt. Nulla enim lege tenetur id venditori manifestare, cum thesaurus ille non sit ipsius, nec plus juris habeat in illum, quam extraneus.

CONCL. IV. Thesauri reperti in loco publico media pars est inventoris, altera Principis, aut civitatis.

Prob. Ex Instit. *De rerum divisione*, L. 2. §. *Thesaurus* 39. ubi dicitur: *si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci, vel civitatis*. Per locum autem publicum intelligimus forum, plateam, flumen, viam publicam, stagnum commune, &c. Hoc tamen limitandum est, quod repertus in loco publico sit totus Principis aut civitatis, si fuerit ex industria quæsitus sine consensu:

media pars quidem ante judicis sententiam, altera post.

Ratio est, quod Princeps aut civitas non sit pejoris conditionis, quam alter particularis; cui sic totus thesaurus adjudicatur ut diximus.

CONCL. V. Thesaurus ex industria quæsitus, & inventus in loco sacro, inscio aut invito prælato, fit ipsius prælati, vel Ecclesiæ; ex consensu autem vel fortuito repertus, dividendus est ad æqualitatem.

Ratio est, quod jam loca sacra sint vel prælato, vel communitati appropriata, & ideo de illis sic loquendum est, ac de aliis locis; unde quando Justinianus dixit thesaurum fortuito inventum in locis sacris esse solius inventoris, censebantur loca illa nullius esse.

Petes 1. Quando fundus habet duos dominos, unum directum, alterum, utilem, cujus sit pars thesauri inventi obveniens domino?

Resp. Esse utriusque ad æqualitatem, ita ut si totus obveniat domino, uterque habeat medietatem; si autem media pars, quartam partem. Excipe, nisi unus dominorum esset inventor fortuitus: tunc enim ille haberet tres partes, alter unicam. Porro nunquam venit locator nomine domini, sive directi, sive utilis, sed tamquam alius extraneus.

Petes 2. An princeps statuere possit ut thesaurus ubicumque repertus, etiam in fundo proprio, totus sibi reddatur excepta quarta aut quinta parte inventori relicta?

Resp. affirm. Quidquid contradicant aliqui, quorum sententiam improbabilem vocat clavis regia.

Ratio est; quia si, non obstante jure gentium totum inventori adjudicante, potuerint Imperatores ad servandam pacem mediam partem assignare domino fundi, & alteram inventori: quidni posset Princeps supremus, aut respublica fere totum sibi assignare ad sustinenda regni aut communitatis onera?

Agunt hic aliqui de rebus inventis, & incerti domini; sed eum de illis sufficienter egerimus in tractatu *De restitutione*, illuc lectorem remittimus.

QUÆSTIO VI.

An & qualiter præscriptione adquiratur rerum dominium?

Licet *præscriptio* & *usucapio* confundantur, in rigore tamen differunt, quod *præscriptio* sit immobilium, & *usucapio* mobilium. Quoniam autem de *præscriptione* varia occurrunt *præscienda*, varique examinanda, opus est ad majorem facilitatem quæstionem hanc in varios articulos distribuere.

ARTICULUS I.

Quid præscriptio, qui possit præscribere, & quæ res non sint præscriptibiles?

CONCL. I. Præscriptio est adquisitio domini, vel juris per possessionem continuatam tempore per legem requisito. Porro præscriptio vocatur in jure oppositio, seu exceptio adversus actorem; quia si prior dominus intentet actionem contra præscribentem, potest hic opponere titulum legitimæ præscriptionis.

Dicitur 1. in definitione, *adquisitio domini*; quia res per illam de domino in dominum transfertur. 2. *Vel juris*; quia utrumque est præscriptibile. 3. *Per possessionem*; & ideo soli capaces possessionis, capaces sunt & præscriptionis. 4. *Continuatam*; quia ubi per malam fidem interrupta fuit possessio, non habet locum præscriptio. 5. *Tempore per legem requisito*: sicut enim lex præscriptionem inducit, ita legisset tempus præscriptionem requisitum determinare.

CONCL. II. Omnis & solus capax possidendi proprio nomine, potest sibi præscribere.

Ratio est; quia præscriptio sequitur naturam possessionis, ita ut qui potest sibi possidere, possit & sibi præscribere; & è contra qui non potest sibi possidere, nec possit sibi præscribere. Hinc

Resol. 1. Non sibi præscribere religiosum: servum, tutorem, curatorem, &c. eo quod non possideant nomine proprio; quia tamen possidere potest religiosus nomine monasterii, servus nomine domini, tutor nomine pupilli, &c. ita & illis præscribere possunt.

Resol. 2. Nullatenus posse præscribere locatarium, usufructuarium, sicut nec habentem pignus, commodatum, aut precarium, quia non censentur res sibi taliter creditas possidere.

Resol. 3. Nec capacem esse præscriptionis amentem: nisi certe in principio, & in fine præscriptionis fuisset sibi compos, licet tempore intermedio fuisset mente captus; quia sicut hoc sufficit ad possessionem, ita & ad præscriptionem.

CONCL. III. Quoniam lex humana præscriptionem introduxit, contra legem divinam, aut naturalem præscribere non potuit; cum ad illas non se extendat humana potestas; ut eas abroget, aut in eis dispenset, & ideo non potest inferior manens inferior præscribere contra obedientiam suo superiori debitam, sicut nec prælatus ut eximatur à dominio regendi, & protegendi suos subditos; cum ad id teneantur ex jure naturæ. Similiter nec potest ullus christianus præscribere exemptionem ab obedientia Papæ & Sanctæ Sedis debita, cum sit de jure divino. Circa alia tamen, quæ humanæ subsunt potestati, sicut præscriptionem inducere potuit, ita varia à præscriptione potuit eximere. Hinc

1. Non potest præscribi homo liber ut fiat servus, L. ultima, Cod. *De longi temporis præscriptione*, & alibi.

2. Præscribi non possunt à laicis Ecclesia, loca sacra, jus decimarum, primitiarum, oblationum, &c. quia, ut ait Alexand. III. jura illa possidere non possunt: quod tamen ad præscribendum requiritur.

3. Non conceditur subditis præscriptio contra prælati aut Episcopi visitationem, sicut nec contra sustentationem occasione visitationis debitam, cap. 16. *Cum ex officii*, De præscriptione.

4. Non præscribuntur nec in totum, nec in partem viæ, pontes, plateæ & alia ad usum publicum civitatis destinata; Lib. *Usucapionem* 9. ff. *De usucapione*.

5. Nec præscribi possunt limites certi parochiarum, Episcopatum, provinciarum, nec juxta hostiensem; comitatuum, aut ducatum; possunt tamen præscribi limites incerti, sicut & certi agrorum, prædiorum, &c.

6. Non sunt etiam præscriptibilia illa, quæ debentur Principi in recognitionem subjectionis & supremæ illius potestatis, cum ex jure naturæ teneantur subditi, non tantum verbo sed & opere Principem recognoscere, juxta illud Christi Matth. 21. *Redite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*.

7. Non præscribuntur res sacræ; si enim non possint præscribi debita Principi, à fortiori nec Deo debita, & consecrata: Instit. *De rerum divisione*, §. *Sacræ*.

Alia quædam in jure dicuntur non posse præscribi, quia non tempore ordinario, sed longissimo, v. g. post 30. aut 40. annos præscribuntur, ut fideicommissa, bona filiorum adventitia, majoratus, fundus dotalis, legata, bona fisci, & furto ablata.

Reliqua omnia, inquit Amicus, præscribi possunt sive sint bona Ecclesiastica, sive sæcularia, sive Principis, sive privati, sive mobilia, sive immobilia, sive res, sive jura: & hæc sive sint realia, sive personalia, sive activa agendi, pascendi, piscandi, venandi, erigendi, præsentandi, jus dicendi, eligendi, suffragandi, sive passiva, ne alius contra me agat, petat, exigat, jus dicat, puniat. Omnia patent ex ff. *Usucapionibus*, & Jure Canonico *De præscriptionibus*.

ARTICULUS II.

Quæ conditiones necessariae sint ad præscriptionem?

Quinque communiter assignantur, possessio, ejusdem continuatio, titulus, tempus lege definitum, & bona fides: de quibus breviter.

CONCL. I. Requiritur ad præscribendum possessio, quia juxta regulam 3. Juris in 6. *Sine possessione procedit*: hæc autem possessio debet esse vera & propria, seu ut quis sibi præscribat, debet rem præscribendam tum nomine proprio, tum ut suam detinere; & ideo non sufficit possessio mere naturalis, quam habet locatarius,

aut commodatarius respectu rei sibi locatæ, aut commodatæ, sed necessaria est, vel civilis, vel mixta ex civili & naturali. De quibus diximus.

CONCL. II. Necessaria est ulterius possessionis continuatio, & quidem per tempus lege definitum, ita ut si interrumpatur, vel per horam, inutile sit tempus elapsum in ordine ad præscribendum, etiamsi fuisset 29. annorum, ubi lex 30. requirit: unde non præscribit ille qui paulo ante elapsum tempus præscriptionis rem alienat, licet de sequenti iterum rem illam sibi comparet emptione, aut donatione. Idem est si tunc re sua juste privetur. Dico *juste*, quia spoliatio injusta sicut non tollit possessionem, ubi res ablata brevi redditur, ita nec impedit præscriptionem; etiamsi autem officiat præscriptioni interruptio, non tamen dormitio. Porro distinguitur interruptio à dormitione, quod illa impediatur conjunctionem temporis prioris cum posteriori, è contra dormitio: et ideo præscriptio interrupta debet de novo inchoari: dormiscens vero (quod accidit tempore belli, & pestis si jus non dicatur, sicut et quando ille, contra quem præscribitur, agere non potest, ut pupillus in ætate pupillari, uxor vivente marito, filius respectu bonorum adventitiorum, &c.) ubi expergefata est vim suam resumit, connectendo tempus posterius cum priori.

CONCL. III. Ad omnem præscriptionem requiritur titulus præsumptus, v. gr. emptio, donatio, successio, &c. titulus autem probatio requiritur ad aliquam, non ad omnem. Dico: *titulus præsumptus*, id est qui bona fide credatur validus, licet à parte rei non sit talis; alias, si subsisteret, non esset opus præscriptione ad translationem domini.

Prob. 1. pars concl. 1. ex cap. 17. *Si diligenti*, de præscriptionibus: ubi in fine requiritur bona fides, & justus titulus, in rebus ecclesiasticis sed quidni etiam in laicis? cum ibi eodem modo loquatur de titulo, ac de bona fide, quam constat necessariam esse ad rerum laicarum præscriptionem. 2. ratione; quia necessaria est ad omnem præscriptionem bona fides, sed non potest quis possidere bona fide rem aliquam, nisi adsit titulus præsumptus legati, testamenti, emptionis, donationis, aut alterius, ut per se patet: ergo.

Prob. 2. pars; quia communis jurisperitorum, & theologorum sententia, tituli probationem requirit ad præscriptionem ex possessione infra 30. annos, quam non requirit ubi ex longiori possessione nascitur præscriptio; nec immerito, cum facile possit quis ostendere unde rem possideat à 10. aut 20. annis, quod non posset de re possessa à 40. aut 100. annis, propter temporis longitudinem, & ad varia occupationem. Limita tamen nisi jus contrarium deciderat, ut fecit in favorem Ecclesiæ tum Romanæ, tum inferioris, contra quam non præscribitur sine allegatione & probatione tituli, ubi adest præsumptio juris communis adversus præscribentem.

CONCL. IV. Quarta conditio est tempus lege definitum: quod

hic dividitur in breve, longum, & longissimum. Breve est illud, quod est infra 10. annos inter præsentis, & infra 20. inter absentes: quod vero est 10. annorum inter præsentis, & 20. inter absentes, dicitur *longum*, & *longissimum*, quod est 30. annorum aut supra. Præsentis autem hic dicuntur, illi, qui habitant in illa regni parte, quæ subjacet communi alicui concilio, aut parlamento ad quod devolvuntur lites decidendæ, alias dicuntur absentes, sed in hoc consulenda praxis.

Antequam ulterius progrediamur, scire opus est, quid per *res mobiles*, quid per *immobiles* postea intelligatur. Res igitur *mobiles* sunt, quæ loco moveri possunt, ut pecunia, utensilia familiæ, animalia, naves, vestes, &c. ad quas reducuntur debita mobilium, & actiones ad illa obtinenda. *Immobiles* autem, quæ non possunt loco moveri, ut villa, domus, ager, &c. ad quas etiam pertinent debita immobilium, & actiones ad illa, sicut & ad ea quæ in jure reputantur immobilia, ut sunt jura & servitutes ad aliquid iterato recipiendum, aut faciendum: puta census, usufructus, jus patronatus, cathædra, beneficium ecclesiasticum.

Requiruntur ergo ad præscriptionem mobilium tres anni inter præsentis, quatuor inter absentes, & hoc respectu quorumlibet mobilium, etiam Ecclesiæ (si saltem romanam excipias) quia Ecclesia in illis nullo gaudet privilegio, ut patet ex authentica: *Quas actiones*, Cod. *De Sacrosanctis Ecclesiis*: ad præscribenda vero immobilia sufficiunt 10. anni inter præsentis, & 20. inter absentes. Cum autem possit fieri, quod possessor modo sit præsens, modo absens respectu Domini rei possessæ, hoc est observandum, quod duo anni absentis, equivalent anno presentis.

A regulis tamen assignatis excipiuntur. 1. Pupillus, & minor pupilli enim bona sive mobilia, sive immobilia numquam præscribuntur, quamdiu pupillus est; minores autem non possunt, nisi tempore longissimo, id est post 30. annos inter præsentis, & post 40. inter absentes.

Excipiuntur 2. Ecclesia romana quoad mobilia, & immobilia, quorum non datur præscriptio, nisi post 100. annos, negant quidem aliquid quoad mobilia, sed cum jus 100. annos requirens non distinguat inter hæc & illa, nec nos distinguere debemus: aliarum autem Ecclesiarum immobilia non sunt præscriptibilia ante 40. annos, quod non improbabiler etiam extendunt aliqui ad eorum mobilia.

Excipitur 3. civitas quoad bona ipsi legata, donata, aut vendita, contra quæ non fit præscriptio, nisi post 100. annos.

Excipiuntur 4. monasteria, hospitalia & alia loca pia, sicut & legata, ac donationes ad pias causas, contra quæ non præscribitur ante 40. annos, imo contra monasteria, & loca congregationis casinensis ordinis S. Benedicti, ex privilegio Eugenii III. requiruntur 60 anni. Alias exceptiones, si quæ sint, vide apud juristas.

CONCL. V. Ultima & præcipua conditio, est bona fides, qua sola deficiente, etiamsi aliæ adessent, nulla est præscriptio. Patet ex cap. finali, de præscriptionibus, ubi Innoc. III. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; Synodali judicio definitum, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis*, per bonam fidem autem, hic intelligimus credulitatem, seu judicium prudens & fundatum, quo quis propter emptionem, donationem, aut alium titulum invincibiliter apprehensum ut verum, credit rem esse suam, et ut talem incipit illam possidere, ita ut non sufficiant (etsi ignoret esse alterius) si dubitet ab initio, an sit sua. Sed quoniam circa hoc variæ restant difficultates, sit

ARTICULUS III.

An ignorantia, aut dubium superveniens bonæ fidei, officiant præscriptioni?

Hic in memoriam revocanda est duplex ignorantia, nempe juris & facti. Prima est, dum ignoratur quid jus, seu lex præcipiat, aut prohibeat: ut si ignorem non posse religiosum quidpiam alienare sua auctoritate, usuram esse illicitam, aut aliquem contractum esse usurarium, cum talis sit à parte rei. Secunda est, dum cognoscitur quidem lex præcipiens, aut prohibens, sed ignoratur, an aliquid sit factum contra legem, ut si emam rem à venditore ignorans illam esse furtivam.

CONCL. I. Invincibilis ignorantia facti non officit præscriptioni, secus ignorantia juris clari. Est communis quoad utramque partem. Dico: *ignorantia invincibilis*, seu inculcata; quia certum est ignorantiam vincibilem, seu culpabilem tam juris, quam facti non cohærere cum bona fide.

Prob. 1. pars conclusionis 1. Ex L. *Juris* 4. ff. *De juris & facti ignorantia* ubi legitur: *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* 2. Ratione; quia vix aliter haberi potest præscriptio, ut patet rem examinanti.

Prob. 2. pars 1. Ex lege jam assignata, & L. *Numquam* 31. ff. *De usucapionibus* ubi habetur *Numquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.* 2. Etiam ratione; quia in tantum valet præscriptio, in quantum robur habet à lege positiva, cum ab hac sola ortum habeat: ergo ubi se opponit præscriptioni lex positiva, ut facit respectu habentis ignorantiam juris, non stat præscriptio.

Dices; si ignorans jus non possit præscribere rem v. g. vineam, saltem potest illius fructus, eo quod respectu illorum videatur potius ignorantia facti, cum putet illos ex re sua provenire.

Resp. neg. Assumptum; quia etiam intervenit ignorantia juris;

quandoquidem credat fructus vineæ posse esse suos. Præterea ideo excluditur à re præscribenda ignorans jus, quia in foro externo præsumitur habere malam fidem circa vineam, & non circa fructus: Ergo.

Dixi in concl. *ignorantia juris clari*, quia si jus ignoratum sit ambiguum, eo quod sit apud peritos controversum, sic videtur concludendum: vel rationes æquales sunt pro utraque parte, & tunc facienda est divisio inter possessorem, & dominum rei præscribendæ; vel sunt multo fortiores pro domino, & totum debet ipsi restitui. Dico *longe fortiores*, ita ut rationes pro altera parte vix sint ullius momenti; alias esset proportionate dividendum.

CONCL. II. Dubium superveniens bonæ fidei non interrumpit præscriptionem, si quis, adhibita sufficienti diligentia ad veritatis deprehensionem, adhuc maneat dubius, an res sit sua vel alterius; modo tamen resolvat retentionem rei sibi esse licitam ob titulum possessionis; quod addo, quia si retineat cum dubio, an liceat retentio necne, non præscribit; cum possessio illa sit cum peccato, adeoque cum mala fide, quæ in foro conscientiæ evacuat bonam fidem, cum qua cœpit rem possidere.

Prob. autem concl. quæ communiter admittitur à doctoribus contra recentiores quosdam, quia juxta regulam juris, in omni tribunali tum civili, tum ecclesiastico admissam & practicam, *In dubio melior est conditio possidentis*; atqui dubitans in nostro casu est possessor, & quidem bonæ fidei: ergo.

Dices: Regulam illam non reperiri in jure canonico, adeoque non habere locum in foro conscientiæ.

Resp. Quidquid sit; an ibi reperiatur, necne, Ecclesiam tamen regulam illam constanter approbare, non tantum negative, illam non rejiciendo, sed etiam positive, secundum illam judicando, lites decidendo, de beneficiis disponendo, ut convincit constans & universalis Ecclesiæ praxis; parum autem refert, an Ecclesia aliquid approbet facto, an scripto.

Confirm. hæc responsio. 1. Ecclesia approbat & corrigit jus civile, ubi sustinet aliquid conscientiæ contrarium, ut patet ex dictis de præscriptione cum mala fide; ergo & correxisset præfatam regulam, secundum quam tot lites quotidie deciduntur in utroque foro, si credidisset non habere locum in foro conscientiæ.

Confirm. 2. Si non staret nostra conclusio Ecclesia totum in æquali dubio adjudicans possessori, foret scandalo, non tantum possessoribus, sed omnibus judicibus, qui credunt se prudenter agere, dum judicando sequuntur generalem Ecclesiæ praxim.

Replicabis, regulam illam non esse intelligendam hoc sensu, quod totum, etiam in foro conscientiæ, possit adjudicari possidenti, sed quod judex non possit contra possidentem, sententiam ferre; & ideo dicitur *potior ejus conditio*.

Resp. neg. primam partem assumpti, quæ est contra communem sensum omnium, aut fere omnium hominum tam Ecclesiastico-

rum quam sæcularium, tam prælatorum, quam inferiorum, qui unanimiter credunt, licere sibi tuta conscientia retinere rem, quæ illis per judicem adjudicata est, ratione possessionis: quorum errorem numquam Ecclesia auctorizasset, immo correxisset, si regula illa esset aliter intelligenda.

Prob. 2. conclusio; quia possessio in bonis fortunæ dat ordinariæ magnam præsumptionem, quod possessor sit rei possessæ dominus, ubi, dubium independentem à possessione est utrimque æquale; quandoquidem non solent homines natura sua avidi res suas apud alios diu relinquere.

Obj. 1. Dubitans non potest credere rem esse suam: ergo non potest præscribere: cum jura credulitatem illam requirant.

Resp. Jura id requirere initio præscriptionis; in successu autem solum requirunt, vel ut credat esse suam, vel ut illi inhæreat tamquam suæ, ratione possessionis.

Obj. 2. Dubius de statu gratiæ non recte dicitur cum bona fide sacramentum suscipere: ergo dubius an res sit sua, necne, non potest dici bona fide possessionem continuare.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quod in primo casu nihil interveniat quod dubitanti bonam fidem conferat, ut per se patet; in secundo autem facultas juris, reddendo possessionem licitam reddat ipsam bona fide continuandam; quandoquidem verissima sit hæc propositio: *quod licite possidetur, bona fide possidetur*. Nec replices, non posse jus facultatem illam concedere, si enim possit rerum dominia quandoque transferre, quidni rei possessionem (quod minus est) justa de causa licitam facere?

Obj. 3. Possessio non potest facere, ut quis prudenter judicet rem esse suam, de qua dubitat, an non sit aliena: ergo.

Resp. Hoc esse verum; sed nego ad possessionem bona fide continuandam hoc requiri, cum sufficiat licite, seu sine peccato, rei inhærere tamquam suæ, quod accidit in nostro casu.

ARTICULUS IV.

An præscriptio locum habeat in foro conscientiæ?

Sensus quæstionis est, an quando quis bona fide possedit rem tamquam suam per tempus ad præscribendum sufficiens, teneatur in conscientia illam reddere domino comparenti, si postea deprehendat non esse suam? Affirmant aliqui, sed

CONCL. UNICA. Longe probabilius est, valere præscriptionem in foro conscientiæ, ita ut, transacto cum omnibus conditionibus requisitis præscriptionis tempore, nulla sit obligatio rem præscriptam restituendi, ubi cognoscitur illius dominus.

Prob. 1. Quia non solum leges civiles, sed etiam ecclesiasticæ, præscriptionem approbant: ergo signum est, valere in foro conscientiæ.

Prob. autem ant. Quoad leges civiles, quia L. 3. ff. *De usucapion.* dicitur *Usucapio adquisitio domini*, & L. 1. *asseritur Usucapio introducta, ne diu, & fere semper incerta essent rerum dominia.* Quoad ecclesiasticas, patet ex cap. 3., 6., 15. & 18. De præscription. ubi varia jura præscriptibilia esse decernitur.

Prob. consequentia: quia tantum abest, ut Ecclesia præscriptionem approbaret, si in foro conscientiæ esset nulla, ut è contra illam positive reprobarret, sicut fecit respectu præscriptionum absque bona fide; derogans per hoc juri civili.

Confirm. ideo Innoc. III. art. præcedenti citatus reprobat male fidei præscriptiones, quia non possunt fieri sine peccato; atqui idem accideret in nostro casu, si præscribens non sit in conscientia rei præscriptæ dominus: ergo.

Prob. 2. Quia decernitur cap. *Sanctorum de præscript.* ut possessiones 30. annorum quiete, & sincere teneantur; atqui non potest fieri, ut retenta cum peccato, adeoque cum continuo conscientiæ remorsu, quiete teneantur: ergo.

Prob. 3. Ratione Scoti 4. dist. 25. q. 2. a. 2. potest Princeps supremus, aut respublica per legem justam, & communem transferre rerum dominia, ubi id exigit bonum commune, sed id ipsum fecisse imperatores instituendo præscriptionem, evidenter declarant leges, ubi præscriptio dicitur *dominii adquisitio*: ergo.

Prob. maj. quia Principes non sunt minoris potestatis nunc, quam fuerint in rerum divisione; atqui tunc quibuslibet particulis assignarunt rerum dominia: ergo & nunc assignata possunt transferre de uno ad alium justa de causa.

Obj. 1. Finis principalior præscriptionis fuit evitatio litium & jurgiorum; atqui illa evitari possunt absque domini translatione, negando scilicet priori domino actionem contra præscribentem: ergo.

Resp. dist. min. possunt illa evitari in foro judiciali, transeat, in familiis, & particularium domibus, N.; domini enim impotentes facto sua repetere in judicio, rixando, pugando, opprimendo, occidendo, &c. tentarent illa è manibus possidentium eripere, unde odia implacabilia, & familiarum discordiæ nascerentur; quod non minus bono communi foret perniciosum, & exitiale.

Obj. 2. Qui litigando obtinuit domum, aut aliud per sententiam judicis, tenetur, ubi novit se non esse illius dominum, ad restitutionem, non obstante judicis sententia sibi favorabili: ergo similiter in nostro casu.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quod præscriptio transferat rei dominium, ut ostendimus, non sic sententia judicis, qui tantum partibus assignat ea, quæ ex allegatis & probatis videntur ipsi competere.

Obj. 3. Saltem ubi nulla intervenit culpa, seu negligentia ex parte prioris domini, non currit præscriptio in foro conscientiæ.

Prob. assumpt. Quia jus introduxit præscriptionem in poenam

negligentiæ, ut patet ex cap. *Vigilanti*. 5. De præscriptionibus, ubi asserit Alexander III. fuisse ob segnitiem institutam præscriptionem.

R. neg. assumpt. Ad probationem dico secundo quidem ad tollendam, aut puniendam domini segnitiem fuisse introductam; primario tamen, & principaliter ut vitarentur lites, & jurgia; ita ut, non subsistente causa minus principali, subsistat tamen præscriptio ob subsistentiam causæ principalioris; cui non contrariatur Alexander III. quandoquidem ultra causam assignatam, addat & aliam, nempe ad vitandam dominiorum confusionem, ex qua nascuntur familiarum discordiæ. Præterea si præscriptio esset mere pœnalis, non haberet locum ante judicis sententiam, quod est contra praxim. Uterius, negligentia domini erga rei suæ custodiam ordinariè tantum est culpa venialis, & consequenter non potest puniri ablatione domini rei notabilis.

Obj. 4. Regulam 48. juris in 6. asserentem, nullum debere ditescere cum alterius injuria, aut jactura.

R. Hoc esse verum, quando locupletatus causa fuit iniqua alterius injuriæ, aut jacturæ, non autem quando ditescit ex legitima superiorum dispositione.

Obj. 5. Qui, elapso præscriptionis tempore, rescit rem esse alterius, non habet bonam fidem.

Resp. neg. assumpt. Habet enim bonam fidem, quod res, quæ fuit alterius, jam sit sua, eo quod translatum sit ad se ipsius dominium.

A R T I C U L U S V.

Resolvuntur quædam alia de præscriptione.

Petes 1. An locum habeat in foro conscientie præscriptio in iis, quæ statuuntur per edictum Caroli V. anno 1540. & per aliud Philippi II. 1545. Statuit primus ut salaria advocatorum, procuratorum, secretariorum non exigentur in judicio post biennium à die latæ sententiæ, cui deservierunt, sicut nec mercedes medicorum, pharmacopolarum, famulorum, operariorum: item nec pretia mercium ad consumptionem venditarum, post biennium à die cessantis servitii, operis absoluti, aut mercis venditæ; nisi certe scriptum esset chirographum; quia tunc non præscribitur à debitoribus, nisi post decennium, & ab eorum hæredibus, nisi post biennium: secundus vero ut non nisi tres anni reddituum possent exigi, etiamsi plures antecessissent. Ad quæstionem

Resp. neg. 1. Quia viri probi numquam sic illa edicta receperunt. 2. Quia præsumitur mala fides debitorum sua debita solvere negligentim. 3. Quia edicta præfata locum habent in externo foro independentè à bona fide; unde tantum denegant actionem creditoribus in foro judiciali.

Petes 2. An hæres illius, qui rem mala fide possedit, possit præscribere, si bona fide adiit hæreditatem?

R. Non posse hæredem immediatum; posse tamen mediatum.

Prob. 1. pars; quia fictione juris hæres immediatus censetur una persona cum defuncto; atqui defunctus numquam poterat præscribere: ergo nec potest illius hæres, nequidem tempore extraordinario, idest, 30. aut 40. annorum, cum §. *Furtivæ*; Instit. *De usucapionibus* legatur *Furtivæ res & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt*; quod non minus intelligi debet de hærede immediato, quam de fure, aut possessore malæ fidei, cum ejus loco substituatur.

Prob. 2. pars; qua licet mala fides defuncti ex fictione juris redundet in hæredem immediatum, non tamen in hæredem hujus hæredis, quia numquam jura ex eadem causa duas fictiones ponunt, & ideo potest hic, saltem longissimo tempore præscribere.

Petes 2. An qui alio titulo, quam hæreditatis, v. g. emptione, legato, accepit rem bona fide à possessore malæ fidei, valeat præscribere?

R. Affirmative, & quidem tempore ordinario: si res non sit furtiva, vi possessa, &c. Ratio est; quia vitium auctoris non obest emptori, vel legatario, ut dicitur. L. *An vitium ff. De diversis & temporalibus præscriptionibus*: & consequenter eodem modo, eodemque tempore præscribere potest, ac si præcedens possessor fuisset bonæ fidei.

Dixi 1. *Si res non sit furtiva, vi possessa, &c.* quia talis non potest præscribi, etiam tempore longo, sed tantum longissimo.

Addidi, &c. quia si res sit immobilis, & in seio domino possideatur ab alio, non præscribitur etiam, nisi post 30. annos. Authent. *Malæ fidei*. Cod. *De præscriptione longi temporis*.

DISPUTATIO V.

De contractibus in genere.

Postquam Scotus 4. dist. 15. q. 2. compendiose egit de dominio translatione auctoritate publica; de eadem disserit quatenus fieri potest auctoritate privata, idque vel per actum liberalem, & dicitur *Contractus gratuitus*, vel per actum commutativum, & est *Contractus onerosus*. Nos antequam contractus illos in particulari explicemus: contractus in genere naturam, divisiones, proprietates, obligationes, &c. exponemus; cum impossibilis sit perfecta specierum cognitio, nisi præhabita generis cognitione.

QUESTIO I.

Quid & quotuplex contractus?

CONCL. I. Contractus (sic dictus, inquit Scotus supra, quia est actio trahens simul partium voluntates) est duorum, vel plurium consensus reciprocos signo sensibili expressus, in uno saltem obligationem pariens.

Dicitur 1. *Consensus*; & ideo si quis exterius contractum simullet, & interius illum non intendat, nihil efficit in foro conscientiae, adeoque nullam obligationem incurrit, nisi reparandi damnum ex tali simulatione comparti proveniens, eo quod sit illius causa. Ratio autem asserti nostri est, quod obligatio non oriatur ex verbis nudis (alias dormiens aut amens contraheret) sed ex mente illa proferentis, & consequenter si cuiquam desit animus contrahendi, deest & animus se obligandi. Nec dicas, vim obligatoriam inesse verbis, non quidem omnibus, sed prolatis ab homine moraliter exterius operante, quandoquidem verba, etiam totaliter prolata, vim illam non habeant ex institutione vocum, quæ secundum omnes philosophos solum institutæ sunt ad significandum, non ad obligandum: nec etiam ex re ipsa, aut juris ordinatione, cum illa nullibi legatur; immo ubique consensus requiratur; in foro tamen externo teneret contractus simulatus, eo quod homines de externis non de internis, ad quæ non penetrant, soleant judicare.

Dicitur 2. *Reciprocus*, idest, ex parte utriusque contrahentis: unde donatio, & promissio ante acceptationem non sunt contractus, nequidem large sumpti; & ideo nullam inducunt obligationem justitiæ in donante, aut promittente, quam tamen inducunt accedente consensu, & acceptatione donatarii, aut promissarii.

Dicitur 3. *Duorum, aut plurium*; quia actus justitiæ commutativæ, qualis est contractus, non nisi inter duos, aut plures haberi potest.

Dicitur 4. *Signo sensibili expressus*, eo quod homines, qui pro hoc statu sola sensibilia percipiunt, solis sensibilibus valeant inter se communicare.

Dicitur 5. *Obligationem pariens*; quam si ultro, citroque pariat, idest in utroque contrahente, contractus dicitur *strictè sumptus*, ut est emptio, locatio, &c. si tantum in uno, *large sumptus*, ut donatio, promissio, & ideo ut in definitione contractum strictè & large sumptum comprehenderemus, diximus: *in uno saltem obligationem pariens*.

Petes, an pactum differat à contractu?

Resp. Non differre à contractu à nobis definito, cum definiatur pactum seu pactio L. 1. ff. De pactis, *Duorum, pluriumve in idem placitum & consensus*, ubi subintelligunt unanimiter juristæ, &

theologi, *saltem in alterutro obligationem inducens*. Differret tamen à contractu strictè dicto, quod ille debeat in utroque, pactum vero solum in uno, aut altero obligationem parere: unde omnis contractus est pactum, non tamen è contra: licet non raro confundantur.

CONCL. II. Dividitur 1. contractus in gratuitum, & onerosum: gratuitus seu lucrativus est, in quo aliquid accipitur, & nihil rependitur, ut donatio, promissio liberalis, commodatum, legatum, testamentum; & hinc contractum diximus antea esse large sumptum, seu semicontractum, eo quod in uno tantum obligationem pariat. Onerosus est, in quo utrumque aliquid datur & redditur, ut emptio, locatio, &c.

Dividitur 2. Contractus strictè dictus in explicitum seu formalem, & implicitum seu virtualem: primus fit verbis, aut signis utriusque contrahentis consensum formaliter exprimentibus: secundus fit tacita partium conventionem, ut dum officium aliquod traditur & acceptatur, v. g. tutoris, judicis, pastoris, &c. suscipiens enim illa officia, censetur ad munia illis annexa se obligare, idque titulo justitiæ.

Dividitur 3. In nominatum, quod nomen habet proprium & specificum, ut venditio, mutuum, locatio, cambium, &c. et innominatum, quod specificum privatus nomine generica contractus vocè aut æquivalenti indigitatur & quadruplex assignatur L. *Naturalis*, ff. *De præscr. verb.* nempe: *do ut des*, do tibi vestem, ut des mihi pallium: *do ut facias*, do tibi milles aureos, ut mihi ædifices domum; *facio ut facias*, coquam panes tuos, ut colas agrum meum: *facio ut des*, serviam tibi, ut des mihi alimenta. Ubi sub affirmatione comprehenditur & negatio, v. g. *facio ut non facias*, *do ut non des*, &c. In his contractibus hoc speciale reperitur, ut si aliquid dederim, ut alter aliquid faciat, v. g. aureum ut me doceat, possim datum repetere, etiam juridice, quamdiu res facienda, necdum est inchoata; quod non est simile in contractibus nominatis.

Dividitur 4. Contractus in nudum, & vestitum: hic aliquo juris robore fulcitur, ut traditione, juramento, scriptura, instrumento publico, &c. ille nullo, ut donatio ante traditionem.

Dividitur 5. In contractum *bonæ fidei & stricti juris*: primus est, in quo licitum est judici aliqua ex æquo moderari; etsi contrahentes id non expresserint, eo quod in contractu prudenter inito, id debeat subintelligi; tales sunt locatio & conductio, emptio & venditio, societas, negotiorum administratio. Secundus est, in quo tenetur iudex solis contrahentium verbis insistere, ut census, feudum, donatio, emphyteusis, &c.

QUÆSTIO III.

An omnis contractus pariat obligationem?

Suppono 1. Obligationem ortam ex contractu esse vinculum juris, quo homo homini, velit, nolit, in aliquo adstringitur.

Dicitur 1. *Vinculum juris*, idest debitum strictum proveniens ex jure naturali, divino, aut humano.

Additur: *quo homo velit, nolit*; quia etsi ante celebrationem contractus liberum sit homini obligationem illam contrahere, vel non; ubi tamen stat contractus, stat & obligatio independenter ab ulteriori ejus voluntate.

Suppono 2. Duplicem esse obligationem, naturalem unam, civilem alteram. Naturalis (quæ aliter dicitur obligatio in foro conscientiæ, in foro interno, &c.) est illa, quæ naturaliter sequitur ex contractu, nullo habito ad jus externum respectu: obligatio civilis, seu in foro externo, est illa, quæ à jure positivo firmata robur addit obligationi naturali. His suppositis

CONCL. I. Omnis omnino contractus, à jure canonico, aut civili non impeditus, inducit obligationem naturalem. Est communis, & certa.

Ratio est; quia jus naturale dicitur adimplendum esse id quod alteri acceptanti libere promissum est, nullo habito respectu an promissio illa sive gratuita, sit onerosa, sive nuda, aut vestita: cum vestitio illa, ut ita loquar, respiciat jus externum, non naturale, quod inter contractum nudum, & vestitum non distinguit; & ideo si rem vendidisti, licet necdum tradideris, non potes sine alterius consensu à contractu resilire.

Dixi: *à jure canonico, aut civili non impeditus*, pro cujus majori explicatione sit

CONCL. II. Ubi jus canonicum, aut civile contractum aliquem irritum, aut irritabilem reddit, non parit obligationem naturalem, seu non obligat in conscientia ad sui impletionem, & consequenter liberum est unicuique, parte invita, resilire. Est valde communis.

Ratio est; quia sicut possunt particulares suis conventionibus certas condiciones apponere, quibus non stantibus, non stabunt deinceps inter ipsos contractus, nec reputabuntur obligatorii, quidni possent propter bonum commune Principes supremi, tum sæculares, tum ecclesiastici, certos modos, condiciones, aut formas statuere, sine quibus nulli essent contractus, adeoque nec obligatorii? Hinc

Resol. 1. Contractum matrimoniale sine parcho aut testibus esse nullum, ubi receptum est Tridentinum, eo quod deficiat ipsi hæc solemnitas essentialis, ad ejus valorem per Ecclesiam requisita.

Resol. 2. Nec valere in conscientia testamentum sine essentialibus solemnitatibus, quidquid dicant aliqui, quandoquidem leges justissimis de causis solemnitates illas ad testamenti valorem requisierint.

Resol. 3. Nec valere in conscientia testamentum illud, licet nullæ intervenerint fraudes, cum annulletur non propter dolos, aut fraudes, quæ insunt, sed quæ inesse possunt, ita ut non fallacia actualis, sed ejusdem periculum, quod semper subest, sit ratio adæquata irritationis.

Resol. 4. Statutum Belgicum præcipiens omnem conventionem de re excedente valorem 300. florenorum fieri debere in scriptis, non respicere substantiam conventionis, sed tantum ejus probationem in foro judiciali, ubi non testibus, sed scripto debet talis conventio probari: ex quo sequitur alter factam obligare in conscientia, cum in tali statuto nulla fiat mentio nullitatis contractus, ut bene advertit Henrix contra Franciscum Bonæspei.

CONCL. III. Contractus nudus, seu non vestitus, non parit obligationem civilem. Patet ex L. *Juris gentium*: ff. *De pactis*; §. *Sed cum*, ubi sic legitur: *Nulla pactio obligationem non parit*, nempe civilem; seu quod idem est, in foro civili nullam dat actionem; sicque licet jus civile tales contractus non reprobet, non tamen approbat antequam vestiantur, ut evitetur litium multiplicatio. Nihilominus ubi in illis contractibus, aliquid solutum est, non potest repeti, potestque pignus datum retineri, ut constat ex lege citata. Hæc omnia respiciunt præcise forum civile; nam ecclesiasticum obligat partes nude contrahentes ad conventionis executionem, eo quod talis contractus obliget in foro conscientiæ, ut diximus.

QUÆSTIO III.

Quinam possint contrahere? Ubi specialiter de pupillis, & minoribus.

CONCL. I. Omnis & solus ille est capax contrahendi, qui capax est domini in actu primo & secundo, seu qui liberam habet bonorum suorum administrationem. Loquimur hic de contractu oneroso; ubi utrimque aliquid datur, & accipitur: nam certum est hoc non requiri in contractu gratuito ex parte gratificati, cum possit pupillus, aut minor rem datam, aut promissam acceptare, licet bonorum suorum usum non habeat.

Ratio conclusionis est; quia requiritur, & sufficit ad contrahendum, quod quis possit in alterum rei dominium transferre; sed omnis & solus ille, qui capax est domini in actu primo & secundo, potest rei dominium transferre, ut per se patet: ergo. Hinc

Resol. 1. Non posse contrahere amentes, furiosos, phreneticos, quia licet sint capaces domini in actu primo, non in actu secundo; defectu bonorum administrationis. Idem dic de dormiente & ebrio defectu administrationis liberæ pro instante somni, aut ebrietatis.

Resol. 2. Non esse capacem contractus prodigum, cui à judice assignatus est curator, L. 1. Cod. *de curatore furiosi vel prodigi*, &c. Ratio est; quia eo ipso, quo datur illi curator, adimitur ipsi bonorum administratio.

Resol. 3. Similiter inidoneos esse religiosos sine licentia prælati, utpote quibus deest bonorum dominium, & administratio.

Resol. 4. Idem esse de uxoribus respectu bonorum dotalium, & medietatis communione, eo quod illorum dominium habeant sine administratione. Contrahere tamen possunt de paraphernalibus, saltem in iis locis, ubi eorundem liberam habent administrationem. Quantum ad maritos, non possunt de bonis uxoris dotalibus contractus facere sine consensu uxoris; quia non conceditur illis absoluta & libera ipsorum administratio.

Resol. 5. Contrahere posse filiosfamilias (modo puberes sint, aut pubertati proximi) de bonis castrensibus, quasi castrensibus propter liberam eorundem administrationem. Dixi: *modo puberes*; &c. alias de illis disponere; aut testari prohibentur per legem ultimam; Cod. *De testamento militis*. De adventitiis autem & profectitiis invalide contrahunt sine licentia patris, quam tamen ceusetur dare, dum filium exponit negotiationi, aut dat ipsi certa bona suo arbitratu expendenda: illa enim obligare potest, modo non sint immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ ultra triennium servari possunt, ut gemmæ, monilia, &c. quia ad hõrum alienationem, ultra licentiam patris, requiritur sententia judicis. L. *Non solum* 4. Cod. *De prædiis minorum*. Hæc omnia sic intelligenda sunt, ut locum habeant non solum in foro judiciali, sed etiam in foro conscientiæ, & coram Deo. Major restat difficultas pro pupillis & minoribus: sed ante resolutionem

Adverte 1. Pupillum esse, qui necdum pubertatem attingit: quod accidit in masculis anno ætatis 14. completo, in feminis 12. Ab anno autem 10. usque ad 14. dicitur masculus pubertati proximus, & femella à 9. & dimidio usque ad 12. Per minorem verò intelligitur jure communi ille, qui necdum 25. anno complevit, & huic ad bonorum administrationem assignatur curator, pupilli tutor.

Adv. 2. Certa esse bona mobilia, quæ servando servari non possunt, eo quod non sint ad triennium conservabilia. His notatis

CONCL. II. Nullatenus contrahere possunt pupilli, aut minores de bonis immobilibus, aut mobilibus quæ servando servari possunt, ita ut si contraxerint, etiam cum licentia tutoris aut curatoris, nec civiliter nec naturaliter obligentur. Et idem est, si tutorem aut curatorem non habeant.

Ratio est; quia leges justis de causis statuerunt contractus illos esse omnino irritos & nullos, nisi fierent judicis interventu. L. 22. *De administratione tutorum*, & alibi: unde si de illis bonis promiserint, non tenentur promissum adimplere, imò possunt datum repetere, teneturque alter restituere.

Porro etsi non possint illi aliis obligari, possunt tamen in quibuslibet bonis aliis sibi obligare, quia privilegium illud præcise in favorem teneræ illius ætatis concessum est, non in detrimentum: unde contractus ab ipsis initi dicuntur claudicare, eo quod ex una parte nulla sit obligatio, ex altera omnimoda, hocque patet ex lib. 1. Instit. tit. 21.

Fatendum nihilominus, eum qui cum ipsis contraxit, posse contractus executionem recusare, donec ipsis aut consensum curatoris, vel etiam decretum judicis, ubi necessarium est, obtinuerint, vel nisi contractum juramento confirmet: quod si id detrectaverint, non censentur bona fide agere, cum aliis, non se, velint exponere damni periculo.

CONCL. III. Licet pupilli, aut minores contrahentes de rebus mobilibus ad triennium non servabilibus sine licentia tutoris, aut curatoris, non obligentur civiliter, probabilius est tamen obligari naturaliter, seu in conscientia. Dico: *sine licentia tutoris*, &c. quia ipso consentiente, possunt de illis contrahendo, & civiliter & naturaliter se obligare, imò idem possunt minores sine licentia aliqua, si curatorem non habeant.

Prob. autem 1. conclusio; quia pupillus proximus pubertati, & minor 25. annis capax est obligationis naturalis per contractum suscipiendæ, sed nullibi leges positivæ reddunt ipsos inhabiles respectu talis obligationis; imò plurimi dicunt ipsos sine consensu tutoris contrahentes talem obligationem incurrere, ut patet ex L. *Si pupillus*, 21. ff. *Ad legem falcid.* L. 1. ff. *Denovationibus*, &c. ergo.

Prob. 2. Contractus minoris sine licentia curatoris firmatur juramento, ut volunt plurimi: ergo ante juramentum stabat, & obligabat naturaliter, alias non posset firmari.

Prob. 3. Quia fidejussor minoris obligatur civiliter, & naturaliter. L. fin. ff. *De jurejur.* ergo saltem obligatur naturaliter minor, quandoquidem principali non obligato, non obligari fidejussorem, teneat sententia communis. Intelligenda est tamen nostra conclusio de pupillo pubertati proximo, & cum extraneo contrahente, idest, cum alio, quam cum tutore; alias nullam obligationem incurreret, sicut nec quando minor contrahit cum suo curatore, eo quod jura tales contractus positive reprobent, & irritent. Ex dictis

Resol. 1. Non esse idem dicendum de prodigo, cui assignatus est curator; quandoquidem in hoc non æquiparetur minori, eo quod simpliciter & absolute declaretur inhabilis ad contrahendum sine auctoritate curatoris, nec ullibi jura meminerunt illius capacitatis ad contrahendam obligationem naturalem.

Resol. 2. Eum, qui à pupillo, aut minore recipit per contractum onerosum, vel gratuitum aliquid nobile non pretiosum, posse in conscientia illud retinere donec alter disponat judicis sententia.

Dicēs 1. contra concl. pluribi irritantur præfati contractus à judicibus. Ergo.

Resp. dist. ant. Irritantur hoc sensu, quod nullam vim habeant in foro externo, ibique nullam obligationem civilem parere agnoscantur, C.; hoc sensu, quod nec in conscientia obligationem inducant N.; alias essent jura juribus contraria, ut patet ex dictis.

Dices 2. Aliquando minores comparantur in jure prodigo furioso; sed hi non possunt naturaliter obligari; ergo nec illi.

Resp. Non comparari quoad omnia, sed tantum quoad sequentia. 1. Quod his & illis assignetur curator, 2. Quod eorum nullus incurrat obligationem civilem. 3. Quod omnes per beneficium restitutionis possint obligationem completam elidere, &c.

Q U Æ S T I O I V.

An error irritet contractum?

Suppono 1. Errorem versari posse vel circa rei substantiam, ut si vendatur stannum pro argento, aqua mellita pro vino Hispanico, si quis contrahat matrimonium cum aliqua persona credens esse aliam; vel circa rei qualitatem, ut si vendatur equus senex pro juvene, infirmus pro sano.

Suppono 2. Errorem aliquando dare causam contractui & dicitur antecedens, aliquando non dare, & dicitur incidens, seu concomitans. Censetur error, dare causam contractui, quando est ita causa seu motivum principale cur fiat contractus, ut illo detecto non fieret: censetur non dare, quando ita dispositus est contrahens, ut etiam errore cognito, adhuc contraheret, licet non ita libenter, aut minori pretio.

Suppono 3. Posse errorem impellere ad contractum, vel per modum principaliter moventis, ita ut res, circa quam erratur, sit objectum primario intentum à contrahente, ut dum quis volens emere vinum, emit alium liquorem, vel per modum incitantis, facilitantis, &c. ita ut intendatur, quidem à contrahente, id circa quod est error, sed secundario, ut dum quis ducit uxorem pauperem creditam divitem, ubi divitiæ apprehensæ movent quidem ad contrahendum, sed secundario, & primario persona. His suppositis

CONCL. I. Error circa rei substantiam qualicumque sit, reddit contractum irritum. Est communis & certa.

Ratio est; quia non datur contractus validus sine consensu, ut diximus; sed nullus consentit, aut consentire potest in rem ignotam: ergo.

Dixi: *Qualicumque sit*; quia etiamsi errans esset ita habitualiter dispositus, ut si errorem cognovisset, adhuc contrahere voluisset, non stat tamen contractus, cum illius consensus feratur actualiter in rem apprehensam, & non in aliam: unde si emit aquam mellitam pro vino Hispanico, ita ut adhuc illam emisset, si novisset; nulla est emptio; quia ejus consensus dirigebatur in vinum, & non in aquam mellitam. Hinc

Resol. 1. Cum error circa personam in matrimoniali contractu sit error circa rei substantiam, matrimonium Jacob cum Lia, quam credebat Rachelém, fuisse ab initio nullum, sed postea ratificatum.

Resol. 2. Validam esse emptionem illius, qui emit equum à Joanne, quem putabat esset Franciscum, quia substantia contractus emptionis non est persona vendens, sed res vendita.

CONCL. II. Quando qualitas falso apprehensa est motivum principale contrahendi, non subsistit contractus; subsistit autem, quando tantum est causa excitans, facilitans, &c.

Ratio est; quia primo casu qualitas erronee credita non tantum est causa, cur contractus facilius fiat, sed ut simpliciter fiat, in secundo autem casu, præcise ut facilius aut libentius fiat, ut patet in exempla supposito 3. allatis. In hoc nulla apparet difficultas; sed distinguere quandonam qualitas falso apprehensa sit motivum, seu objectum principale consensus, & quandonam tantum impulsivum? Hoc opus, hic labor est: hoc unum certum est, quod quando errans tempore contractus non cogitat de qualitate nec de ejus opposito, v. gr. an Joanna, quem ducit, sit nobilis, an ignobilis? An equus, quem emit, sit sanus, an infirmus? Valeat contractus, etiamsi contrahere noluisset, si defectum advertisset; quia ille proprie non errat, cum errare sit, judicare esse, quod non est. Restat ergo sciendum quando contrahens cogitat de qualitate.

CONCL. III. Qualitas, circa quam error versatur, non habet se per modum motivi principalis, sed tantum impulsivi seu excitativi, & consequenter non impedit valorem contractus, nisi formaliter, aut virtualiter apponatur conditio limitans consensum ad talem qualitatem: id est, si Petrus v. gr. emat vinum, quod credit vetus, & est recens, si ducat puellam, quam credit divitem, & est pauper, stat ordinarie contractus, etiamsi contrahere noluisset, si error abfuisset? non staret tamen, si exterius, aut interius dixisset: emo vinum si sit vetus, duco puellam, si sit dives, alias non.

Prob. 1. pars conclusionis; quia taliter contrahens absolute consentit in substantiam rei, non consensisset quidem, si non errasset, sed cum hoc non faciat, quod hic & nunc desit consensus, sed tantum quod debuisset, ita non facit, quod non stet contractus, sed tantum quod non stetisset.

Confirm. Quia vix aliter validum esset aliquod matrimonium, cum fere semper sponsorum aliquis decipiatur circa qualitates compositas: quem enim mulier credit mansuetum, sobrium, parcum, &c. videt postea esse iracundum, ebriosum, prodigum: quam maritus putabat castam, prudentem, morigeratam, animadvertit postea esse procacem, inurbanam.

Prob. 2. pars; quia ubi non stat conditio apposita, nec stat consensus in rei substantiam, cum hæc non intendatur, nisi dependenter ab illa. Sed

Quæritur; an contrahens apponat conditionem limitantem con-

sensum, quando dicit: *Emo vinum quia vetus, duco Mariam, quia divitem?*

R. Rem esse dubiam; quandoquidem illud *quia* tam possit denotare causam impulsivam, quam principaliter motivam: unde ut judicetur, an tunc contractus valeat, necne, recurrendum est ad mentem contrahentis, & si sit vir probus, & nullatenus suspectus, standum erit illius dicto in foro conscientiae; non tamen in foro externo, quia ubi verba, quibus fit contractus, apparent dubia, praesumitur in illo foro pro contractu. Limita tamen, nisi ex circumstantiis externis, ad quas serio reflectendum est, colligi posset mens contrahentis, v. gr. quia saepius dixisset antea coram testibus se non velle emere vinum, nisi vetus, se nolle ducere uxorem, nisi divitem, nec praesumi posset animi mutatio. Item nisi contrahens omni exceptione major mentem suam juramento firmaret.

Obj. 1. Contra primam partem conclusionis, quando contrahens ita afficitur erga qualitatem, ut si nosset eam non subsistere, nollet contrahere, censetur contractui suo, saltem implicite; conditionem apponere.

Resp. neg. assumptum, quandoquidem nullatenus cogitet de limitando ad talem qualitatem consensu. Deinde ita contrahit hic & nunc sicut contraheret de facto, si novisset adesse qualitatem, circa quam errat, cum putet illam subsistere, atqui tunc contraheret sine conditione ulla: ergo & nunc.

Obj. 2. Teste Basilio Pontio, declaratum est nullum matrimonium feminae nobilis; quae nupserat viro ignobili, putans esse nobilem.

R. Hoc factum esse; quia illa saepius antea protestata fuerat se non velle virum, nisi nobilem, ita ut crederetur conditio tempore contractus matrimonialis adhuc virtualiter remanere, & ideo dixi in concl. nisi formaliter, aut virtualiter apponatur conditio.

Q U A E S T I O V.

An fraus, seu dolus invalidet contractum?

Adv. 1. fraudem, seu dolum aliquando causare errorem in contrahente circa rei substantiam, ut si vendens afferat vitrum esse gemmam, aliquando circa rei qualitatem, ut si equus infirmus dicatur sanus. Primo casu certum est contractum esse nullum, ut patet ex concl. 1. quaest. praecedentis: imo & secundo casu nullus est, si apponatur conditio restringens consensum ad qualitatem falso apprehensam, ut diximus concl. 3. unde quaestio nostra tantum procedit quando contrahens nullam conditionem apponit circa qualitatem, circa quam decipitur.

Adv. 2. Dolum, seu fraudem provenire posse vel à tertio, vel à teipso, vel ab eo, qui tecum contrahit. His notatis

CONCL. I. Fraus, seu dolus circa rei qualitatem non irritat

contractum, si proveniat à tertio, vel à te ipso ex tua prava opinione. Est communis contra Conradum, & Medinam. Patet ex glossa in caput *Dilecti* De emptione & venditione.

Ratio est; quia non deest consensus in substantiam rei, sed tantum in quaedam extrinseca, à quibus cum non dependeat consensus in objectum principale, ita nec valor contractus, imo nullo jure tibi datur facultas illum auctoritate propria rescindendi, saltem si sit onerosus cum alter contrahens supponatur omnino innocens: unde si à te ipso deceptus sis, tuae imprudentiae damnum imputa, licet possis aequalitatem in judicio praetendere, si vel infra justum pretium vendent, vel supra justum emeris. Patet ex cap. jam citato: si autem à tertio proveniat deceptio; actionem habes in ipsum pro damno tibi illato, & ipso deficiente, in alterum contrahentem pro augmento dato ratione fraudis. L. *Julianus* 13. ff. De actionibus empti & venditi.

CONCL. II. Etiam validus est contractus, etsi alter contrahens induxerit, aut sciverit dolum, qui est causa contractus, potest tamen rescindi. Est communior casuistarum sententia.

Prob. 1. Quia stat in utroque foro contractus matrimonialis taliter initus, modo fraus, seu dolus à comparte proveniens non versetur circa substantiam: ergo & alter contractus.

Prob. 2. Potest deceptus, si velit, stare contractui, & tenetur decipiens ad ejus executionem, cum nullam habeat causam resilendi: ergo signum est contractum ab initio valuisse: unde stricta est obligatio deceptoris, licet sit tantum debilis ex parte decepti, in quantum potest vel resilire, vel indemnitatem urgere.

Prob. 3. Lib. 5. Cod. *De inutilibus stipulationibus*, dolus & metus aequiparantur, sed metus non irritat contractum, cujus fuit causa: ergo nec dolus.

Prob. 4. Quia dolus ille non tollit equidem consensum in objectum principale, cum non rei substantiam, sed qualitatem respiciat.

Dixi in concl. *Potest tamen rescindi*, & quidem auctoritate propria, quia si teneatur deceptor ex justitia deceptum in integrum restituere ante sententiam judicis, propter injuriam illatam, quidni posset deceptus ante omnem sententiam per contractus rescissionem injuriam illatam à se excutere, cum hoc videatur aequitati, & rationi consentaneum? Hoc tamen non habet locum, ubi non est dissolubilis, seu rescindibilis contractus, qualis est matrimonialis, imo volunt aliqui, non improbabiler, nec posse rescindi pro arbitrio decepti contractum, quando ex altera parte impletus est, nec res manet adhuc integra, sed tunc requiri sententiam judicis; eo quod jus positivum (secundum quod stat praefatus contractus) non admittat, saltem in illo casu, illius rescissionem privata auctoritate faciendam.

Dices 1. Contra concl. contractus ille dicitur aliquando in jure nullus, irritus: ergo, &c.

R. 1. Sæpe dici in jure *irritum*, quod est *irritandum*. 2. Potest aliquo sensu dici irritus ex parte decepti, cum sit pro ejus arbitrio rescindibilis, imo nec deceptor acquirit per illum jus solidum, quandoquidem deceptus in integrum sit restituendus.

Dices 2. Conclusionem esse veram in contractibus *stricti juris*, non tamen in contractibus *bonæ fidei*, de quibus q. 2. concl. 2. Hujus disput. idque propter legem *Et eleganter 7. ff. De dolo*, ubi dicitur, nullam esse emptionem, si in hoc ipso ut venderet, circumscriptus est, nempe venditor.

R. Male peti distinctionem allatam ex illa lege, cum ibi agatur de minore, qui dolose præventus, servum venderat, cujus contractus declaratur aliunde, quam ex dolo, nullus.

Q U Æ S T I O V I.

An valeat contractus ex metu initus?

Suppono 1. Metum (qui est apprehensio mali verosimiliter even-
turi) alium esse gravem, qui cadit in constantem virum; alium le-
vem, qui non nisi meticulosum afficit: subdividitur in absolute gra-
vem, ut apprehensio mortis, exilii, mutilationis, bonorum amis-
sionis, &c. quæ sunt secundum se viro constanti formidabilia: &
respective gravem, id est, habita ratione personæ timentis, v. g.
quod sit mulier, puer, senex, vir meticulosus. His addi potest me-
tus reverentialis, qui etiam censetur gravis, ubi junguntur verbe-
ra, minæ graves, & alia merito timenda.

Suppono 2. Metum oriri posse, vel ab intrinseco, ut ab infir-
mitate; vel ab extrinseco, idque vel naturali, ut ab incendio, nau-
fragio, &c. vel libero, nempe homine, qui potest illum incutere
aliquando juste, ut, cum magistratus minatur mortem furibus, ali-
quando injuste, ut dum sicarius vult vitam, aut bursam viatoris.

Suppono 3. Metum ab extrinseco posse aliquando incuti ad ex-
torquendum contractum, aliquando ad alios fines. His suppositis

CONCL. I. Ubi metus gravis provenit ab intrinseco, vel ab
extrinseco naturali, vel etiam ab extrinseco libero juste incutiente,
stat contractus. Ita communiter theologi.

Prob. 1. & 2. pars: quia licet contractus illi sint involuntarii
secundum quid, seu hoc sensu quod non fierent, nisi malum intrin-
secum apprehenderetur, sunt tamen absolute & simpliciter volun-
tarii, quandoquidem procedant cum advertentia à voluntate me-
dium illud eligentem, ad vitiationem mali imminentis. Accedit, quod
stet votum ex tali metu procedens, quidni, & contractus? Unde si
mulier in metu submersionis, cumbustionis, occisionis, &c. promittat liberanti se matrimonium, tenebitur ad illud.

Prob. 3. pars; quia taliter contrahens non potest juste conquæ-
ri quod urgeatur ad contrahendum, cum ad id obligetur in cons-
cientia, alias metus non esset juste incussus: unde qui sponsalia con-

traxit, potest ad matrimonium compelli per metum excommunica-
tionis, sicut & ille qui virginem corrupit, ut illam dotet, vel duc-
cat: & ideo in cap. *Ad audientiam. 4. De iis, quæ vi, &c.* ubi di-
cuntur illa: *quæ vi metusve causâ fiunt, carere robore*, agitur
de metu injuste incusso. Nec contradicit Lucius III. cap. *Requisi-
vit 17. De sponsalibus & matrim.* cum dicit, mulierem, quæ
sponsalia jurata adimplere recusabat, potius monendam esse, quam
cogendam, eo quod *libera debeant esse matrimonia*; nam sic lo-
quitur, non quia credit metum juste incissum tollere libertatem ad
matrimonii valorem requisitam, sed quia ex coactione, licet justa,
difficiles exitus solent frequenter haberi, ut loquitur ipsemet.

CONCL. II. Metus gravis injuste incussus, sed ad contractum
non ordinatus, relinquit ipsum validum in utroque foro, saltem si
fiat cum eo, qui metum non incussit.

Ratio est; quia tunc metus non est causa contractus, sed tantum
ocasio: unde si captus à sicariis tibi mortem minantibus, promit-
tas rusticis transeuntibus 100. nummos, si te liberaverint, ubi li-
ber factus es, teneris promissum adimplere; quia metus mortis non
fuit tibi incussus in ordine ad illum contractum, sed in ordine ad
bursam tuam obtinendam.

Dixi: *saltem si fiat cum eo, qui metum non incussit*; quia si
aliquid des, aut promittas metum injuste incutienti, ut illum aufe-
rat, nulla est datio, aut promissio, etsi metus non fuerit ad illam
directus; quia tunc deest titulus, eo quod metum incutiens oblige-
tur ex justitia illum removere. Hinc, si nugandi causa me in aquam
projeceris, & ego metu mortis promittam tibi 20. aureos, si me
eripueris, ereptus ad nihil teneor; quia tenebaris ex justitia me ex-
trahere, adeoque metum sedare. Aliud esset, si alter me projecis-
set; quia cum tunc non teneris ex justitia, sed ex sola charitate
me eripere, posses rem datam, aut promissam recipere.

CONCL. III. Metus injuste incussus in ordine ad extorquen-
dum contractum, jure naturæ, adeoque & positivo, invalidat illum
cum injusto vexatore initus, si tantum habeat pro objecto libera-
tionem à vexatione injusta. Est doctorum seraphici & subtilis,
quos sequuntur Scotistæ communiter cum Gabriele, Molina, & aliis.

Ratio est; quia jure naturæ nullus est contractus, ubi venditur
res invendibilis; sed hoc fit in contractu habente pro objecto ces-
sationem à vexatione injusta: ergo. Major certa est, prob. min. quia
cessatio ab injusta vexatione debetur ex justitia, & consequenter
illam vendens vendit quod suum non est, adeoque invendibile.
Hinc, si volenti domum tuam incendere, segetes tuas vastare, pal-
lium tuum subripere, te mutilare, aut occidere, ut metuens ne illa
tibi evenirent, bursam dederis ut desisteret, nulla est datio, tene-
turque recipiens ante omnem judicis sententiam illam restituere.

Dices. 1. Non deest consensus sufficiens ad valorem talis con-
tractus: ergo validus est.

R. Dissimulato ant. neg. cons. Quia non diximus contractus illos esse irritos defectu consensus, sed defectu materiæ prætio æstimabilis, seu vendibilis.

Dices 2. Si valeret probatio conclusionis, etiam invalidus esset contractus initus ex metu levi, cum liberatio ab injusta vexatione sive gravi, sive levi, sit semper invendibilis.

R. Totum esse verum, & ideo in concl. diximus simpliciter: *Metus*, & non *Metus gravis*.

Dices 3. Contractus ex metu præfato initi dicuntur in jure *irritandi, infirmandi, annullandi*, ergo supponuntur validi.

R. Tunc fieri mentionem de contractibus, in quibus intercedit res vendibiles, & ideo sit

CONCL. IV. Metus gravis injuste incussus ad extorsionem contractus, relinquit ipsum naturaliter validum, etiam inikum cum injusto vexatore; si utrumque aliquid detur & accipiatur distinctum à ratione vexationis. Exemplum sit: Petrus cogit me per metum gravem ut emam ipsius equum centum aureis, jure naturæ valida est emptio.

Ratio est; quia si tunc contractus nullus esset, foret vel defectu consensus, vel ratione injuriæ, vel quia deest titulus: non primum; quia cum non deficiat consensus ad actum humanum requisitus, v. g. ad peccatum, ita nec ad contrahendum: non etiam secundum; quia injuria illa nec contractum efficit, nec contrahendi imponit necessitatem; alias imposeret & peccandi: non denique tertium; equus enim in exemplo allato non est emptori ex justitia debitus, & consequenter est titulus sufficiens ad fundandam emptionem.

Obj. 1. Scotus supra dicit universaliter consensum ex tali metu extortum non esse translaticivum dominii: ergo numquam valet contractus ex illo initus.

R. Verius esse Scotum tantum loqui de contractibus, de quibus conclusionem præcedenti, cum non negat adesse consensum, sed tantum dicat, non esset translaticivum dominii: quia cum in illis contractibus nihil indebitum transferat injuste vexans, nihil etiam transfert injuste vexatus: hic autem aliquid indebitum utrumque transfertur.

Obj. 2. Matrimonium ex tali metu contractum nullum est: ergo & alii contractus.

R. dist. ant. Nullum est jure naturæ: N.; ex jure positivo sic ordinante, cap. *Cum bonum*. De sponsalibus, propter justas rationes, C.

QUÆSTIO VII.

An etiam valeant ibi contractus jure positivo, & quid in illis debeat vexans, & quid possit vexatus facere?

CONCL. I. Etiam validi sunt hi contractus posteriores jure posi-

tivo, si aliqui particulares excipiantur. Hæc resolutio non est omnino certa propter varios textus juris, qui huic apparent contradictorii; videtur tamen nobis probabilior.

Ratio est; quia Instit. *De exceptionib.* §. 1. conceditur actio & exceptio metum passo contra incussorem: ergo supponitur, stare contractum; immo ibidem clare dicitur: *Si metu coactus . . . stimulantem Titio promisisti quod non debueras, palam jure est civile te obligatum esse.* Quid expressius? Item L. ult. Cod. *De his quæ vix, &c.* præcipitur iudicibus, ut infirmem venditiones, trasactiones, & donationes, quæ per coactionem extortæ sunt: ergo sunt antea firmæ. Item L. 21. §. ff. *De eo quod metus causa*, dicitur: *Metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis, si liberum essem, noluissem, tamen coactus volui, sed per prætorem restituendus sum, abstinendi mihi potestas tribuatur.* Ubi evidentissime declaratur validum esse contractum implicitum, qui intervenit dum quis metu coactus adit hæreditatem.

Obj. 1. Cap. *Ad audientiam* 4. *De his quæ vi, &c.* legitur; *Quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore.*

R. Carere robore, non quia nulla sunt, sed quia infirma, eo quod sint à metum passo, vel saltem à iudice rescindibilia.

Obj. 2. L. I. Cod. *De rescindenda venditione* decernitur, venditionem domus factam ex metu esse irritam. Et L. *Qui in carcerem* 22. ff. *De eo quod metus causa*, statuitur nullius esse momenti quidquid ex metu fecerat intrusus in carcerem.

R. Dici irrita, nullius valoris, nullius momenti, quia sunt facile irritabilia, seu rescindibilia; unde nonnumquam in jure ponitur *irritum pro irritandum.*

Obj. 3. Per talem contractum non transfertur dominium rei traditæ. L. 19. ff. *De eo quod metus causa*. §. 6. ubi res tradita à metum passo dicitur *esse in bonis ejus.*

Resp. neg. assumpt. Ad prob. dico, rem traditam esse in bonis ejus, non simpliciter, sed æquivalenter, in quantum est pro ejus libitu recuperabilis.

Instit. Ibidem non tantum conceditur metum passo actio in personam, sed etiam in rem; atqui non datur actio in rem translaticivam: ergo signum est ejus dominium non esse translaticivum, alias tantum daretur actio in personam.

R. Non dari quidem actionem in rem translaticivam irrevocabiler, posse tamen dari, ubi ad nutum tradentis revocabilis est, eo quod dominium accipientis sit debile & infirmum.

Obj. 4. Nihil est adeo consensui ad contractum requisito contrarium, quam metus. L. *Nihil consensus* 117. ff. *De regulis juris.*

R. Fieri mentionem de consensu ad contrahendum omnino libere; non autem de eo qui sufficit ad valorem contractus.

Dixi in concl. *Si aliqui particulares excipiantur*: excipiuntur enim 1. Matrimonium & sponsalia. 2. Professio religiosa: quod

extendunt nonnulli ad quælibet vota. 3. Dotis solutio, aut promissio. 4. Prælati electio. 5. Traditio, aut promissio rerum ecclesiasticarum. 6. Auctoritas tutorum per metum extorta.

CONCL. II. Qui injuste metum incussit, tenetur id, quod per consensum, aut contractum ex tali metu proveniente obtinuit, ante judicis sententiam restituere; immo & omnia damna resarcire.

Ratio est, quia injuste vexans tenetur ratione injuriæ illatæ omnia in pristinum statum reponere, & consequenter accepta reddere, aut nocumenta reparare: hocque verum est, licet metus qui dedit causam contractui, sit tantum levis; quia etsi leges positivæ non concedant in foro externo rescissionem talis contractus, ne lites multiplicentur in infinitum; jure tamen naturæ non eximitur metum incutiens à reparatione injuriæ, & damni de facto illati: unde quod talis contractus sit validus, non patrocinator metum incutienti, sed metum passo, qui potest ipsum, si velit, ratum habere.

Sed quid: si alter contrahens metum non intulerit, sed tertius ipso inscio? Equidem tenetur acceptum reddere, idque ratione juris positivi concedentis actionem non tantum in personam injuriantem, sed etiam in rem, ubicumque existat. L. 9. §. *Sed quod ff. De eo quod metus causa*: unde res metu acquisita semper transit eo vitio affecta; & ideo licet etiam ad alium possessorem bonæ fidei transierit, posset metum passus illam repetere, tenereturque alter reddere; vel certe gravatum indemnizare.

CONCL. III. Gravem metum injuste passus, sive ab altero contrahente, sive ab aliquo tertio, potest contractum, ad quem metus incussus est, rescindere, & quidem auctoritate propria. Est communis inter scholasticos.

Prob. 1. pars; quia expresse jura insinuant pluribus in locis, facta ex metu esse irritanda, infirmanda, carere robore, nec distinguunt, an metus ille proveniat ab altero contrahente, an ab alio; immo potius insinuant non esse distinguendum; cum L. *Item 4. §. in hac actione. ff. De eo quod metus causa*, dicatur *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit: sufficit enim hoc dicere metum sibi esse illatum, vel vim.*

Prob. 2. pars; quia qui rem obtinuit mediante metu injusto, tenetur ante judicis sententiam omnia in pristinum statum restituere, seu injuste vexatum indemnizare: ergo similiter potest damnum passus ante judicis sententiam se indemnem reddere per contractus rescissionem; non tamen per rei traditæ captionem; quia violaret juris ordinem, quo tenetur ad legitimum judicem pro rei suæ recuperatione recurrere.

QUÆSTIO VIII.

Quid de contractibus ex metu levi, aut reverentiali factis?

Suppono, contractus ex quocumque metu levi initos validos esse, non solum jure naturæ, sed etiam positivo, modo in illis interveniat materia contractus; si enim jus positivum non irritet initus ex metu gravi; contra irritaret initos ex metu levi: unde postquam dictum esset L. 1. ff. *De eo quod metus causa, Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo*; subditur L. 6. *Metum non vani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus*; & ideo contractus præfati in foro externo ne quidem sunt rescindibiles, eo quod præsumatur, metum levem non dedisse causam contractui.

CONCL. I. Ubi metus levis injusti incussus sic dedit causam contractui, ut alias non esset celebrandus, videtur jure naturæ posse rescindi; si excipimus matrimonium & professionem religiosam, qui sunt contractus indissolubiles.

Prob. 1. Ideo contractus ille non est rescindibilis in foro externo, quia præsumitur, metum levem non dedisse causam contractui: ergo ubi constat in foro conscientiæ dedisse causam contractui, est in illo foro rescindibilis.

Confirm. quia (ut inquit Wiggers) lex fundata in præsumptione non habet locum coram Deo, si veritas ei non respondeat.

Prob. 2. Quia qui per talem metum rem alienam obtinuit, alias non obtenturus, tenetur illam reddere, cum habuerit per injuriam: ergo qui ex tali metu illam tradidit, alias non traditurus, potest repetere.

Prob. 3. Metum passus debet libertati suæ restitui, ut sit tanta libertas in uno contrahente quanta in altero, sicque servetur æqualitas: ergo jus habet statum illum assumendi, adeoque & contractum vel approbandi, vel reprobandi.

Prob. 4. Quia dum metus levis simpliciter dedit causam contractui, æque impulit hominem ad contrahendum, quantum ad effectum, ac metus gravis: ergo si contractus ex metu gravi sit propter coactionem rescindibilis, erit & contractus ex metu levi.

CONCL. II. Metus reverentialis junctus cum gravibus minis, verberibus, aut aliis non leviter hominis animum concutere solitis, reddit contractum ex illo initum rescindibilem. Est certa.

Ratio est; quia talis metus est simpliciter & absolute gravis. Hinc

Resol. 1. Si filius timens patris minas, hæreditatis privationem, convictum austerum, &c. cedat per donationem, aut contractum bonum aliquod castrense, aut quasi-castrense, posse factum rescindere, tenerique patrem in conscientia restituere.

Resol. 2. Idem esse dicendum de uxore, quæ ad vitanda jur-

gia, aut verbera cedit aliquid marito, aut alteri ex ipsius mandato, unde potest datum, aut venditum, ubicumque sit, repetere, suntque obligati detinentes reddere.

Resol. 3. Preces importunas, ubi nihil aliud timetur, non esse ordinarie sufficientes ad rescissionem contractus, quia non debent virum constantem graviter concutere.

Dixi: *Ordinarie*: nam si tales essent, ut absolute darent causam contractui, aliter esset loquendum.

Quæri solet hic à Thomistis, an votum & juramentum metu extorta sint valida? Item an juramentum validet contractum invalidum? Sed pro illis vide tract. in secundum decalogi præceptum, ubi de voto & juramento.

QUÆSTIO IX.

Quibus concedatur restitutio in integrum, quando, & à quibus?

Suppono 1. Restitutionem in integrum (quæ est prioris status redintegratio per judicis auctoritatem) posse fieri vel ratione præscriptionis, vel ratione sententiæ, vel ratione læsionis notabilis in contractu, aut quasi contractu valido. Dico: *Valido*; quia locum non habet, ubi contractus ab initio fuit omnino irritus, ut per se patet: sicut nec quando læsio fuit levis, eo quod talis in jure pro nulla reputetur.

Suppono 2. Multipliciter posse fieri restitutionem in integrum, 1. rescissione contractus aut quasi contractus sive gratuiti, sive onerosi: 2. restitutione æquivalentis detrimento læsionis: 3. cassatione sententiæ, ubi ex illa fruens beneficio restitutionis notabiliter gravatus est: 4. revocatione præscriptionis, seu faciendo ut ille, qui auctoritate publica præscriperat, eadem auctoritate re præscripta privetur. His suppositis

CONCL. I. Conceditur minoribus, idest iis, qui necdum 25. ætatis annum expleverunt beneficium restitutionis in integrum, præsertim adversus donationem, contractum, sententiam, præscriptionem.

1. Adversus *donationem*: etiamsi illam fecerint auctoritate tutoris, aut curatoris, si gravamen inde passi sunt: quod addo; quia si donaverint ex causa rationabili, & in iis circumstantiis, in quibus attendita loci consuetudine, personarum conditione, actionis qualitate, &c. censetur donatio prudens, non restituuntur in integrum, eo quod non reputentur notabiliter læsi.

2. Adversus *contractum*, ut si rem minoris vendiderint, aut illam quam non expediebat vendere: primo enim casu agere possunt pro recuperatione justii pretii, secundo pro recuperatione rei, apud quemcumque existat. Non habet tamen locum restitutio. 1. Si minor contractum prudenter celebravit, idest eo modo, quo vir sensatus celebrasset. 2. Si contractum juramento firmavit, nisi cer-

te prius relaxationem juramenti ab Ecclesia obtineret. 3. Si major factus contractum ratificavit.

3. Adversus *quasi contractum*, ut si obligationem laborandi, docendi, &c. sibi imposuerint, si in electione partem deteriorem legerint, si acceptaverint hæreditatem nocivam, aut repudiaverint proficuum.

4. Adversus *sententiam*, sive interlocutoriam, sive definitivam, & quemcumque actum judicalem, non solum à judice inferiore, sed etiam à Principe provenientes, ut patet ex L. *Minor* 9. ff. *De minoribus*.

5. Adversus *præscriptionem* etiam 30. aut 40. annorum, licet contra se præscribi noverint L. unica Cod. *Si adversus usucapionem*. Immo etiam majoribus conceditur quandoque restitutio in integrum adversus præscriptionem 10. & 20. annorum, modo tamen probent se, vel præscriptionem currentem invincibiliter ignorasse, vel propter legitimam absentiam, v. g. pro tractandis negotiis publicis, pro gerendo Principis bello, &c. non potuisse contra illam reclamare.

Porro etiam minorum privilegio gaudent, quantum ad beneficium restitutionis, respublica, civitas, oppidum, collegium, scholarium, Principes supremi quoad bona principatus alienata, eo quod sint reipublicæ: item Ecclesiæ & alia loca pia, non tamen ecclesiastici nomine proprio contrahentes. Similiter id etiam concedunt aliqui rudibus, puta rusticis & mulierculis jura ignorantibus. Denique illud competit militibus tempore belli, sicut & absentibus causa reipublicæ, quantum ad præscriptionem, non tamen universaliter quoad contractus ab ipsis celebratos. Circa hoc vide plura apud jurisperitos, cum potius forum externum respiciant, quam internum.

CONCL. II. Quibus conceditur beneficium restitutionis, illud petere debent intra quadriennium, quod minores computare incipiunt ab anno ætatis 25. completo usque ad an. 29. inclusive: alii autem à die læsionis ad quatuor annos completos, nihil obtinent ex jure communi si magis differant: dico: *ex jure communi*, quia ex edicto Principum Belgii, an. 1611. 12. julii art. 9. quoad rescissiones & annullationes contractuum fundatas super læsione videntur concedi 10. anni, saltem ubi intervenit magna fraus, vis, metus, aut circumventio.

Sed, potestne restitutionis beneficium minoribus concedi, postquam matrimonium contraxerunt, aut veniam ætatis impetrarunt?

R. Concedi posse post matrimonium, non post impetratam ætatis veniam L. 1. Cod. *De his qui veniam impetrant*. Ratio discriminis est, quod non soleant veniam ætatis concedere Principes, aut judices, nisi maturis, & bona sua administrare capacibus; plurimi autem matrimonium ineant adhuc immaturi ac imprudentes, nec ad res gubernandas satis providi.

CONCL. III. Beneficium restitutionis concedere potest in foro sæculari Princeps, directis ad judicem litteris, quibus rei veritatem, prætersam læsionem, modum præscriptionis, &c. mandat attente examinari, ac postea (si allegationes & preces subsistant) postulantes in integrum restitui: in foro autem ecclesiastico concedi potest non solum à Papa, sed etiam ab Episcopis, eorumque officialibus, si sint rei judices, cum debeat actor sequi forum rei. In primis tamen cavere debent concedentes hoc beneficium, ne illum contra quem conceditur, fraudent pretio & spensis, sive necessariis, sive utilibus in redonata, aut empta adhibitis, cum sit injustum aut restitutus lucrum reportet cum alterius injuria. Adverte beneficium restitutionis non esse ita personale, quin etiam ad hæredes minoris transeat.

Q U Æ S T I O X.

Quid sit contractus conditionatus, & quando valeat?

CONCL. I. Contractus conditionatus est ille, qui non fit absolute & simpliciter, sed dependenter à certa conditione præterita, præsentis, vel futura. Hæc autem conditio potest esse necessaria, vel contingens; honesta, vel turpis, possibilis, vel impossibilis: ubi autem posita est conditio, dicitur contractus purificari, seu esse purus; quia de conditionato transit in absolutum.

CONCL. II. Hic & nunc validus est, aut invalidus contractus, qui fit cum conditione de præsentis, aut præterito, v. g. *Emo equum tuum, si sit 6. annorum: duco te in uxorem, si obtinuisti consensum patris.* Ratio est, quia vel subsistit conditio apposita, vel non: si primum, ex nunc purificatur contractus, cum tantum ab illa conditione dependeat ut sit absolutus, si secundum, nullus est; cum nullus sit consensus, deficiatque contrahendi animus.

CONCL. III. Conditio de futuro non suspendit valorem contractus, si sit necessaria; secus si contingens.

Prob. 1. pars; vel enim serio agit taliter contrahens, vel nugatorie seu simulatorie: si secundum ex nunc invalidus est contractus, defectu consensus: si primum, validus est, cum conditio de futuro necessario, censeatur moraliter præsens, & quasi adimpleta, propter certitudinem eventus, nec possit contrahens serio agens usque ad eventum conditionis consensum suspendere. Hinc si sciens omnibus hominibus esse moriendum, solem singulis diebus oriri, serio dicas: si uxor mea aliquando moriatur, promitto tibi 1000. aureos: si crastina die oriatur sol, ducam te in uxorem, ex nunc stat tua promissio; quia qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure videtur stipulari L. 9. ff. *De donationibus*, vel certe convinceris velle nugari. Aliud esset, si quis conditionem necessariam bona fide crederet contingentem, nolletque se ante positam conditionem obligare.

Prob. 2. pars, quia cum conditio de futuro contingenti possit evenire, vel non evenire, nolitque contrahens ante conditionis eventum consensum suum vim habere, clarum est, contractus valorem eo usque suspendi, quandoquidem tamdiu suspendatur, quamdiu suspenditur efficacia consensus, à quo essentialiter dependet: unde si quis dicat: vendo tibi domum meam, si intra annum uxorem duxero, nullatenus vim habet contractus ille, nisi inito matrimonio: secus foret dicendum, si contrahens vellet hic & nunc consensum suum vim habere, si conditio, quam apponit, sit eventura; quia licet tunc notitia valoris dependeret ab eventu conditionis, non tamen valor ipse, qui ab initio subsisteret, ubi conditio esset de facto ponenda, & ideo taliter contrahens posset fructus ex re data, aut empta recipere, non solum ab instanti conditionis purificatione, sed etiam contractus inito.

CONCL. IV. Statim ubi evenit conditio de futuro contingenti, purificatur contractus, seu transit in absolutum sine novo consensu. Est probabilior, & communior. Patet ex L. 7. ff. *De contrahenda emptione*, ubi legitur: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*, nulla facta mentione novi consensus.

Ratio est, quia si opus esset novo consensu, contractus conditionatus male diceretur contractus, cum non esset nisi promissio taliter contrahendi, eo ipso quo posita esset conditio. Accedit, quod secundus consensus sit superfluous, quandoquidem secundum communem hominum æstimationem censeatur primus remanere usque ad conditionis eventum. Præterea vel primus consensus est operativus, vel non: si non; ergo nugantur qui sub conditione contrahunt: si sic; ergo operatur posita conditione, cum antea nullum effectum habeat.

Dices 1. Non valet matrimonium sub tali conditione initum, nisi accedat novus consensus; ergo.

Prob. ant. ex cap. *Super eo*, de condit. aposit. ubi Urbanus III. definit, eum qui matrimonium contraxerat sub conditione paterni consensus, non esse compellendum ad contrahendum, adeoque ad novum consensum.

Resp. neg. ant. ad prob. dico, Pontificem non agere ibi de matrimonio, sed de sponsalibus conditionate, contractis; hæc autem cum, deficiente conditione, deficiant, non est mirum, quod sponsus non sit ad contrahendum impellendus; esset tamen, posita conditione, impellendus ad contrahendum, adeoque ad novum consensum, sed non circa idem objectum, cum primus consensus respiceret sponsalia, secundus matrimonium.

Replicabis: fuerat interrogatus Pontifex, an esset compellendus sponsus ad consummandum matrimonium: ergo ibi non agitur de sponsalibus, sed de matrimonio conditionate inito.

Resp. Per *consummationem* non intelligi copulæ exercitium,

sed matrimonii per sponsalia quasi inchoate inchoate complementum, & perfectionem.

Dices 2. Talis consensus est de futuro; atqui ad matrimonii valorem requirit consensus de præsentem Concil. Florentinum: ergo.

Resp. dist. ant. Est de futuro ante positam conditionem, C.; posita conditione, N.; quia sicut tunc contractus fit absolutus, ita & præsens moraliter habetur consensus. Ceterum cum hic agatur de valore Sacramenti, & sententia opposita non careat probabilitate, in praxi renovandus est consensus, immo nunquam parochus debet in contractu matrimoniali conditiones admittere; sicque multa evitabuntur inconvenientia.

CONCL. V. Pendente conditione, non potest contrahens licite resilire; immo nec valide, hoc sensu, quod possit priorem obligationem extinguere.

Ratio est; quia sicut ex contractu absoluto nascitur obligatio absolute, quam non potest pro libitu repellere, ita ex conditionato oritur obligatio conditionata, quam, velis nolis, non potes extinguere: nec mirum; quia cum ex utriusque consensu ortum habeat, ita non nisi utriusque consensu potest finem habere: unde si aliter agas, injuriosus ea alteri contrahendi, tenerisque ipsum indemnizare propter violatum jus ipsius conditionatum.

Dixi: hoc sensu quod possit priorem obligationem extinguere; quia potest quandoque contractus absolutus posterior contractum priorem conditionatum destruere: nam si quis absolute matrimonium inerat cum Maria; postquam conditionare inchoat sponsalia cum Joanna; stat matrimonium, sopiunturque sponsalia. Similiterque si Petrus vendat, & tradat pallium Joanni, quod sub conditione promisserat Paulo, stat venditio, nullaque fit promissio: debet tamen promittens promissarium indemnizare, æquivalens tradendo, & in priori casu Joannam, defuncta Maria in uxorem ducendo. Hujus autem ratio est, quod promittens ante impletam conditionem semper maneat dominus rei promissæ, & ideo in casibus allatis, & similibus, valide cum secundo aut secunda contrahat: non valeret tamen contractus posterior, etiam absolutus, si nulla fieret rei traditio, ut si quis contracta conditionate sponsalia cum una, contraheret absolute nova cum altera, aut promissum conditionate Joanni pallium, absolute promitteret Paulo, quia nemo potest obligari ad illicitum, seu ad dandam rem posteriori, cum injuria prioris, & ideo tali casu valida est prima promissio, invalida secunda.

CONCL. VI. Nullus est contractus inchoatus cum conditione turpi, aut impossibili, si saltem jus naturæ species.

Prob. 1. pars; quia nemo potest obligari ad peccandum ut sufficienter diximus in tractatu de Restitutione, ubi quæsimus, an restituenda sint accepta ratione rei turpis? Illuc recurrit.

Prob. 2. pars; quia taliter contrahens censetur velle nugari, & non contrahere, quandoquidem suspendat consensum suum; adeo-

que & contractum donec ponatur conditio, quam novit nunquam ponendam.

Dixi; Si saltem jus naturæ species: nam Ecclesia, quæ jocose non admittit in rebus seriis, ut est matrimonium, declarat per Gregorium IX. cap. finali. *De conditionibus appositis*, quod *conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi*, scilicet in foro externo, in quo præsumitur res tam seria serio peracta, adeoque noluisse contrahens, à conditione turpi aut impossibili consensum suum dependere, in foro tamen conscientie nullum erit matrimonium, si voluerit contrahens à positione conditionis impossibilis dependere consensum suum.

Quantum ad conditiones turpes limitat Pontifex supra nisi repugnent substantiæ matrimonii, *ut si alter dicat alteri (verba sunt Pontificis), contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandum te tradas*. Quod autem circa hoc ordinavit jus canonicum in matrimoniis, ordinavit & jus civile in testamentis, volens illa esse valida, non obstantibus conditionibus sive turpibus, sive impossibilibus: deest quidem consensus testatoris, sed republica, quæ potest justa de causa de particularium bonis disponere, censetur defectum supplere.

DISPUTATIO VI.

De contractibus gratuitis.

Nomine contractuum gratuitorum, seu lucratorum, veniunt promissiones, donationes & ultimæ voluntates, de quibus sigillatim.

QUÆSTIO I.

Quid sit promissio, & quas requirat conditiones?

CONCL. I. Promissio est gratuita donatio fidei de exhibenda re licita & possibili ab altero acceptata.

Dicitur 1. *Gratuita*, idest liberalis, seu nullum onus imponens promissario, ut excludatur promissio utrimque onerosa, in qua tam promittens, quam promissarius ad aliquid se obligat.

Dicitur 2. *Donatio fidei*, ut distinguatur à donatione, in qua non est fidei donatio, sed rei: unde promissio respicit rem dandam, donatio actualiter datam. Est autem hic fides voluntas sincera conformandi facta promisso.

Dicitur 3. *De re licita, & possibili*; quia promisso imponit obligationem, quam nullus contrahere potest ad rem illicitam, aut impossibilem.

Dicitur 4. *Ab altero acceptata*; quia seclusa acceptatione tacita aut expressa; non dicitur promissio, sed pollicitatio. Ex hac definitione

Resol. 1. Eum qui dicit alteri, *promitto*, non intendens dare fidem, sed tantum indicare desiderium, seu propositum, non obligari ad quidquam.

Resol. 2. Nec obligari illos, qui ex quadam urbanitate promittunt se omni loco, omnique tempore fore paratos ad aliorum obsequium, & similia; quia modus ille loquendi propositum denotat, non promissionem.

Resol. 3. Promittentem rem partim licitam, partim illicitam, teneri ad eam, ex ea parte qua licita est, & ideo qui fecit alteri promissionem prodigam, licet ad eam non teneatur, in quantum excessiva est, tenetur tamen in quantum liberalis est.

CONCL. II. Varias condiciones requirit promissio, ad sui valorem. Ac 1. *Debet esse vera*, idest non ficta, qualem habet promittens sine animo promittendi, vel se obligandi; non tamen qui sine animo implendi; & ideo qui primo & secundo modo promittit, ad nihil tenetur, in conscientia vi promissionis, utpote non stantis, licet teneatur ad omne damnus; quod patitur promissarius ratione fictionis: tertio autem casu tenetur; quia voluntas non implendi, utpote posterior promissione, relinquit ipsam in suo vigore; immo & ipsam validam relinqueret intentio se non obligandi, si uno, aut altero instanti sequeretur promissionem serio factam; quia eodem instanti, quo stat promissio vera, stat & obligatio, cum sit ejus proprietas; & consequenter non est instanti sequenti revocabilis: unde quando dicitur non stare promissionem cum animo se non obligandi, intelligi debet quando & promissio & intentio se non obligandi sunt simultanea, eo quod tunc unum destruat aliud, cum sit impossibile, esse promissionem, & non esse obligationem.

2. *Debet esse deliberata*, ea scilicet deliberatione, quæ sufficiat ad mortale: & ideo non obligat promissio semiplene deliberata, nequidem sub veniali, cum promittens, à cujus voluntate dependet obligatio, non censeatur velle se obligare, nisi plene advertens & deliberans. Ubi autem omnibus attentis manet quis dubius, an deliberationem, aut advertentiam sufficientem habuerit; tutius debet amplecti, juxta regulas in tract. de Conscientia positas.

3. *Debet esse verbis, vel signis exterioribus manifesta*: tum quia id commune est omni contractui, tum etiam quia non obligat nisi acceptata, ut dicitur infra: non potest autem acceptari, nisi exterius pateat: & in hoc differt promissio facta homini, de qua hic, à promissione facta Deo, qui intima cordis penetrans, promissionem etiam internam, acceptat, redditque obligatoriam: oritur quidem obligatio à promittentis voluntate sed intimata, sicut obligatio legis à legislatoris voluntate, sed promulgata. Cujus

ratio est, quod cum dicant ordinem ad alterum etiam non obligent sine alterius participatione.

4. *Debet esse spontanea*, id est, non coacta, sed libera à metu & violentia, alias vel nulla est, vel rescindibilis. Vide dicta de contractibus in genere. Sed numquid etiam libera debet esse ab ignorantia? Debet in pluribus: ac 1. Nosse debet promittens naturam promissionis, v. g. quod importat obligationem: alias cum nullus feratur in incognitum, non censetur id ignorans velle se obligare. Aliud esset, si vellet facere quod alii faciunt: tunc enim tacite se obligaret. 2. Nosse debet substantiam rei promissæ, cum in illam ferri debeat consensus, & ideo promittens alicui bursam, in qua credit esse horologium portatile, cum tamen sint aurei, non stat promissio. 3. Etiam debet esse nota causa finalis principalis, cum præcise promittat propter hanc causam, & non propter aliam: unde non tenetur stare promissis, si postquam promissit aureum Petro, quia credebat ipsum pauperem, reperiat esse divitem. De ignorantia circa qualitatem rei promissæ dictum est Disp. 5. *De contractibus in genere*.

Q U Æ S T I O I I.

Quorum, ubi, & quando obliget promissio?

CONCL. I. Obligat promissio juxta rei promissæ qualitatem, nisi promittens aliud intenderit, ita ut si res promissa sit notabilis, obliget sub mortali, si levis, sub veniali.

Ratio est; quia obligatio promissionis sequitur naturam rei promissæ, sicut obligatio legis sequitur naturam rei præceptæ, aut prohibita: unde sicut legislator, nisi aliud constet, censetur legis suæ obligationem proportionare materiæ præceptæ, ita promittens promissionis suæ obligationem materiæ promissæ; & ideo qui promissit aureum, nisi adimpleat, peccat mortaliter, qui schelingum, venialiter; immo eodem modo loquendum est de materia promissionis non impleta, ac de materia furto ablata, nisi certe promittens non ita stricte intendisset se obligare.

Dices 1. Minorem facit injuriam qui negat promissum, quam qui auferit alienum: ergo plus requiritur ad mortale in primo, quam in secundo. Prob. ant. Quia promissarius respectu materiæ promissæ tantum habet jus ad rem, dominus autem respectu rei suæ ablatæ jus in re.

Resp. neg. ant. ad prob. dico, ordinarie non pluris valere jus in re, quam jus ad rem; alias pluris valeret pecunia numerata, quam credita; pluris apud mutuantem, quam apud mutuatarium, sicque posset mutuans 1000. aureos pacisci de 1000. & 50. recipiendis sine ullo titulo: quod nullus admiserit.

Dices 2. Non est justum, ut tanta sit obligatio liberaliter promittentis, quam injuste auferentis: ergo.

Resp. neg. ant. Cum utrobique sit obligatio justitiæ, ut diximus; posse tamen aliquo sensu dici obligatio promittentis, eo quod facilius ex causa possit aboleri promissionis obligatio.

Dixi in concl. *Nisi promittens aliud intenderit*; quia si in re gravi tantum obligationem levem sibi imposuerit, tantum leviter obligabitur: & certe si possit legislator rem gravem sub levi peccato præcipere, ut suo loco dicemus, quidni posset promittens, à cujus voluntate nascitur obligatio, rem gravem sub levi obligatione promittere? Immo & idipsum posse voventem respectu Dei, dictum est in Tract. *In Decal.* ergo à fortiori id potest respectu hominis.

CONCL. II. Obligat promissio ad sui executionem faciendam in loco assignato; ubi autem nullus fuit locus designatus, pendet à promittentis arbitrio.

Ratio prioris est, quod sicut promittens voluit se obligare ad rei promissæ executionem, quando promissit; ita & in tali loco faciendam, ubi expresse locum designavit.

Ratio posterioris est, quod sicut fuit promittenti liberum hunc vel illum locum designare; ita nullus determinando, censetur sibi designationem reservasse. Hoc tamen intellige, seclusa fraude; & ideo non satisfaceret ille, qui ne promissum adimpleret, assignaret rei promissæ receptionem in eo loco, ad quem non posset promissarius pervenire, aut non nisi cum magnis expensis.

CONCL. III. Obligat promissio ad exhibitionem rei promissæ statim moraliter, ubi non est terminus præfixus.

Ratio est, quod videatur eodem modo esse loquendum de promissione, facta homini, ac de promissione facta Deo, sed hæc, seu votum obligat statim moraliter, ut in Tract. in secundum Decalogi præcept. dictum est; ergo & illa. Illud autem *statim moraliter* patitur latitudinem, eamque majorem, vel minorem pro viri prudentis arbitrio, attentis omnibus circumstantiis. Dixi: *Ubi non est terminus præfixus*; quia appositus servari debet, nisi promissarius remittat. Plura circa hoc vide in materia de voto, & hic eum proportionem applica.

Q U Æ S T I O I I I.

Ex qua virtute obliget promissio?

CONCL. I. Promissio non acceptata non obligat ex justitia, sed ex veracitate. Prob. 1. pars; quia cum promissio sit quidam contractus, non imponit obligationem justitiæ, nisi sit duorum consensus qui non censetur adesse, ubi deest promissarii acceptio: unde L. 1. ff. *De pollicitationibus*, dicitur, promissionem, sicut & donationem, non firmari ante acceptationem; immo L. 2. *Cod. De pactis* asseritur, obligationem, nempe justitiæ, oriri ex mutuo consen-

su. Accedit, quod nulla sit justitiæ obligatio ex parte promittentis, nisi sit jus ex parte promissarii, cum illa sint correlativa, sed promissarius nullum jus habet ante acceptationem: ergo. Prob. min. tum quia jus illud non acquirit, nisi incurrat obligationem gratitudinis, quam non incurrit nisi volens, præsertim cum *Beneficium ac optare sit libertatem vendere*, ut habet commune axioma; tum etiam quia non implantatur jus, nisi in consentiente.

Prob. 2. pars; quia tenetur quilibet efficere quantum potest, ut dictum suum verificetur, nisi certe adesset causa rationabilis mutandi: hæc tamen obligatio levis est.

Obj. 1. Contra 1. partem: cap. *Qualiter* 3. *De pactis* dicitur, promissa esse opera complenda.

Resp. Ibi fieri mentionem de promissionibus acceptatis, quæ solæ proprie veniunt nomine promissionis.

Obj. 2. Prohibetur Episcopus revocare beneficium collatum necdum acceptatum: cap. *Sitibi absenti* 17. *De præbendis*, &c. in 6. ergo.

Resp. neg. conseq. quia ex eo quod Episcopus non possit revocare, nullatenus sequitur alterum ante acceptationem jus adquisisse; immo contrarium ibi decernitur. Præterea specialis est ibi de beneficii collatione dispositio.

Obj. 3. Promissio jurata, sed non acceptata, obligat: ergo.

Resp. Obligare ex vi juramenti, non promissionis; & ideo obligatio est religionis, non justitiæ.

Obj. 4. Lex obligat ante sui acceptationem: ergo & promissio.

Resp. Disparitatem esse, quod cum lex feratur subditis, possit ipsos etiam invitos obligare; promissio autem, cum fiat æquali, non potest jus implantare nisi volenti.

Obj. 5. Promissio non acceptata facta civitati ad reparationem ruinarum, aut causa remunerationis, obligat: ergo: &c.

Resp. Hic intervenire acceptationem, quam vocant juris, & per personam fictam, qualis est respublica. Aliqui id etiam extendunt ad promissionem factam infanti, Ecclesiæ, monasterio, hospitali, &c.

Sed cum jus nullibi statuatur de ipsis, sicut de civitate, non est à regula generali recedendum, præsertim cum exceptio firmet legem.

Obj. 6. Ut creditor remittat debitum, non requiritur acceptio debitoris: ergo similiter.

Resp. neg. ant. Cum enim remissio debiti sit quædam donatio, non censetur esse firmata ante acceptationem.

CONCL. II. Promissio acceptata obligat ex justitia. Est communis.

Ratio est; quia omnis contractus parit obligationem ex justitia; sed promissio acceptata, censetur contractus: ergo. Deinde, ut quis obliget se alteri ex justitia, sufficit voluntas obligationis in uno, &

acceptatio in altero, ut per se patet; sed hæc reperiuntur in promissione acceptata: ergo.

Ut autem sit acceptatio, non requiritur, quod promissarius verbis annuat, sed sufficit, si præsens nec verbo, nec signo contradicens taceat; quia sicut in odiosis, qui tacet, dissentire videtur; ita in gravioribus *qui tacet consentire videtur* ex regula 43. juris in 6. Est quidem alia regula (scilicet 44.) dicens: *qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur*, sed tantum denotat taciturnitatem esse de se ad assensum vel dissensum indifferentem, debereque à materia determinari. Ad assensum quidem per materiam favorabilem, ad dissensum per odiosam. Quod si promissio fiat absentem per litteras, promissarius non censetur illam acceptare, nisi rescribat; si per nuntium, nisi coram ipso expresse aut tacite annuat; si autem fiat tertio, distinguendum est, vel enim verba diriguntur ad promissarium absentem, ut si dicatur *promitto fratri equum meum*; vel ad ipsum tertium, ut *promitto tibi me daturum fratri equum*; si primum, non potest tertius nomine fratris acceptare, qualiscumque sit, quia deficit consensus reciprocus cum desit consensus illius, ad quem promittentis consensus & verba diriguntur: si secundum, potest tertius quilibet acceptare, 1. in causa dotis L. Cajus 46. ff. *Solutio matrimonii*, adeoque & in causa pia, quæ dotis favorem participat. 2. Habens speciale mandatum. 3. Ex promissione aut donatione reportans commodum. 4. Persona publica pro subditis. 5. Gerens curam promissarii, ut prælatus, aut parochus pro Ecclesia, pater & mater pro filiis, tutor pro pupillo, curator pro minore, Princeps pro subdito, &c. 6. Ille qui non est sui juris pro eo cui subjicitur, ut filius non emancipatus pro patre, servus pro domino, religiosus pro prælato, aut monasterio, quia censentur una persona cum promissario: non sic famulus pro hero, discipulus pro magistro, subditus pro Principe, cum sint sui juris. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Revocari posse promissionem non acceptatam absque ulla injustitia.

Resol. 2. Si ante acceptationem moriatur promissarius, jus acceptandi non competere ipsius hæredibus; quia cum jus illud sit personale, extinguitur extincto promissario. Accedit, quod defunctus ante acceptationem nullum jus haberet acquisitum, & reale ad rem promissam, hæredes autem tantum succedant in jura acquisita & realia defuncti.

Resol. 3. Si è contra ante acceptationem moriatur promittens, liberum esse promissario, utpote gratia, non extinguatur morte gratificantis, & ideo, facta acceptatione, tenentur hæredes promittentis promissionem exequi. Hoc tamen intellige sic, ut acceptatio non potuerit antea fieri, v. gr. propter absentiam promissarii, &c.

Resol. 4. Eum, qui nomine absentis promissionem acceptavit,

non posse illam remittere, cum jam non sibi, sed absentem jus sit acquisitum.

Resol. 5. Numquam sufficere acceptationem tertii, sed necessariam esse repromissionem promissarii, ubi repromissio est onerosa, seu quando promittitur, si alter promittat; quia dicta hactenus tantum respiciunt promissionem, aut donationem mere gratuitam; & aliunde talis promissio non est absoluta, sed conditionata dependens ab alterius repromissione.

QUÆSTIO IV.

Quandonam promissio accepta desinat obligare?

Volunt aliqui universaliter obligationem promissionis desinere, quando ita mutatur rerum status, ut si illa mutatio fuisset prævisa, nolisset promittens se obligare, adeoque nec promittere: sed cum promissionis, sicut & aliorum contractuum, obligatio non pendeat ab intentione, quæ certis circumstantiis fuisset in promittente, sed ab ea quæ de facto fuit, dum contraxit, videtur illa regula in multis deficere. Præterea certum est, non habere locum in multis promissionibus Deo factis: nam qui post votum castitatis patitur graves tentationes: qui post religionis professionem experitur varias difficultates, quas si ab initio prævidisset, non vovisset, non liberatur propterea ab obligatione votorum, ut concedunt omnes, quia ipsorum erat illos eventus facile prævisibiles prævidere. Etiam non habet locum illa regula in promissionibus homini factis, ubi sunt onerosæ; alias vix esset aliqua promissio reciproca, quæ non desineret obligare, cum sæpe aliquid accidat postea respectu promittentis, aut promissarii, quod ab initio prævisum conventionem impedisset; immo nec admitti potest præfata regula in promissionibus gratuitis, quando mutatio poterat ab homine prudenter agente prævideri; & ideo aliam subjicimus

CONCL. I. Quando res ita mutatae sunt, ut vir prudens & maturus judicet noluisse promittentem hunc casum comprehendere, desinit, aut potius nulla est promissionis obligatio.

Ratio est; quia tota obligatio promissionis oritur ex voluntate promittentis: ergo ubi judicatur prudenter, non fuisse intentionem promittentis, se in tali casu obligare, non obligat promissio.

Confirm. 1. Quia non censetur promittens velle se in omnem eventum obligare, sed tantum in his casibus, in quibus solent viri prudentes; & ideo videtur inesse promissioni hæc conditio tacita, nisi aliquid imprevisum eveniat, quod virum prudentem retrahet à promissione.

Confirm. 2. Quia non fortius obligat promissio, quam lex; sed lex non obligat in iis circumstantiis, in quibus non creditur voluisse prudentem legislatorem obligare; ergo nec promissio. Hinc

Resol. 1. Si quis promissit alteri rem magni momenti, quam cre-

debat vilioris pretii, non teneri ad promissionem, saltem integram, ubi valorem deprehendit, quia prudenter judicatur noluisse, ad id se obligare, præsertim si talis promissio, aut donatio superiores vires promittentis, aut non soleat à personis suæ conditionis fieri; quæ omnia spectanda sunt.

Resol. 2. Nec obligari promittentem, si, ob supervenientem ex infortunio paupertatem, indigeat ipsemet promisso: limita tamen nisi tempore præfixo promissionis executionem commode implebilem neglexisset: tunc enim obligatio esset quidem propter inopiam sopita, non tamen extincta. Cujus ratio est, quod tunc non tantum sit debitor ex promissione, sed etiam ex delicto, ob moram culpabilem.

Resol. 3. Si promissisti laborare in horto Petri hodie, & reliquis hebdomadæ diebus, & interim gravis infirmitas uxoris, aut prolis tuam præsentiam requirat per totam septimanam, non teneris stare promissis; quia non censeris voluisse obligare in illo casu.

Resol. 4. Nec implendam esse promissionem sponsalitiæ, si quam credebas virginem, deprehendas esse corruptam, quia non præsumitur, quod volueris in hac circumstantia te obligare.

CONCL. II. Desinit etiam obligatio promissionis, si res promissa fiat inutilis aut nociva promissario, sicut etiam si fiat illicita, aut impossibilis.

Ratio prioris est; quod promissio fiat in gratiam & commodum promissarii; nullus autem gratiam, aut commodum referat ex re inutili, aut sibi nociva; & ideo si promissisti librum Petro ut studeat, et Paulo gladium ut militaret, ad nihil teneris, si Petrus fiat cæcus, & Paulus furiosus.

Ratio posterioris est, quod nullus obligari possit ad illicitum, aut impossibile, ut patet ex antea dictis.

CONCL. III. Non est obligatio implendi promissionem, si ille, qui prior tibi promissit, non impleat suam.

Ratio est; quod non censeris te voluisse obligare eo eventu, quo primus promissor fieret ingratus, datamque fidem violaret: quod præsertim verum est, ubi intuitu prioris promissionis aliquid repromissisti, immo quamvis alio fine promississes; quandoquidem tunc uti possis compensatione, eo quod jura & debita utriusque partis sint ejusdem rationis.

QUÆSTIO V.

Quid donatio, quotuplex, & an sit revocabilis?

CONCL. I. Donatio est liberalis alicujus rei collatio. Dicitur liberalis, non tantum quia nullam parit justitiæ obligationem in donatario; sed etiam quia nullum supponit justitiæ debitum in donatore, immo ut veniat nomine donationis simpliciter, de qua

est sermo, cum dicitur donationem ob ingratitudinem donatarii esse revocabilem, aut alicuj esse interdictam, debet etiam gratitudinis obligationem excludere, & ideo

CONCL. II. Dividitur 1. Donatio in stricte liberalem, quæ in donante omne justitiæ, & gratitudinis debitum excludit; & late liberalem, quæ quidem excludit justitiæ debitum non tamen gratitudinis: hæc dicitur remuneratoria, seu antidotalis; quia per eam compensatur beneficia accepta, obsequia, officia, &c.

Dividitur 2. In absolutam, & conditionatam: hæc conditionem annexam habet, illa non.

Dividitur 3. In donationem *inter vivos*, & donationem *causa mortis*. Prima est, quia quis sic donat, ut rei datæ dominium velit, se vivente, in donatarium transferri: secunda est, qua quis actualiter quidem donat, sed tantum vult, se mortuo, transferri dominium, ut *do tibi 100. aureos post mortem meam*. Ubi autem dubium est, an donatio sit *inter vivos*, aut *causa mortis*, nec potest ex circumstantiis, intentione, aut verbis donatoris colligi, judicanda est donatio inter vivos, eo quod sit inter donationes præcipua, & magis obvia, saltem ubi fit voce ab homine sano: solet autem donatio causa mortis fieri, vel *conditionate*, ut si quis instante morte, aut mortis periculo dicat: *si moriar, do tibi bursam meam*; morte non secuta, statim evanescit donatio: vel absolute, ut si sanus dicat: *do tibi hoc post mortem meam*, & hæc donatio durare potest, sicut testamentum, per 50. annos, & plus, si tamen supervivat donator, nec illam revocet.

Dividitur denique donatio in verbalem seu incompletam, & realem seu completam: per hac fit rei donatio & traditio, per illam datio, sed non traditio, ut cum quis dicit: *do tibi equum, quem habeo in stabulo*. Porro donatio realis transfert dominium rei, datque jus in re; verbalis autem tantum dat jus ad rem, & actionem in personam donantis sine translatione domini, defectu traditionis.

CONCL. III. Licet perfecta donatio inter vivos non sit ordinarie revocabilis; tres tamen casus assignant ex jure doctores, quibus etiam post traditionem potest revocari. 1. Quando est inofficiosa, id est quando tantum donavit pater, ut proles sua legitima privetur, L. 1. Cod. *De inofficiosis donationibus*: quod si hæc donatio facta sit extraneo, est in totum revocabilis, saltem ubi fuit animus fraudandi prolem: si autem facta sit aliis filiis, vel Ecclesiis, vel piis causis, in tantum revocabilis est, in quantum necesse est ad prolis legitimam.

2. Revocari potest ob donatarii ingratitudinem: L. ultima Cod. *De revocandis donationibus*. Ratio est, quia qui se ingratus benefactori suo ostendit, beneficio indignum se reddit. Quinque autem ingratitudinis causæ assignantur L. citata. 1. Si donatarius atrocibus injuriis donatorem affecerit. 2. Si manus improbas intulerit.

3. Si non levem jacturam attulerit ipsius bonis. 4. Si ejus vitæ fuerit insidiatus. 5. Si donationi conditionem appositam non impleverit; quibus additur à doctoribus communiter crudelitas donatarii nolentis donatorem inopem factum alere. Hæc revocatio (quæ, utpote pœnalis, non obligat donatarium ad restitutionem ante sententiam) tantum fieri potest à donatore, & quidem coram judice, probata ingratitudine, non autem ab hæredibus donatoris, nisi certum esset donatorem ingratitudinem ignorasse, adeoque non condonasse.

3. Causa revocandi donationem est nativitas prolis insperatæ, L. *Si numquam* 8. Cod. *De revocandis donationibus*; quia censetur facta sub hac conditione, *nisi mihi nascatur proles*: & quidem si donatio facta sit extraneo, tota revocabilis est; solum autem pars legitimæ correspondens, si facta sit filio prius nato, aut patri, vel avo. Supponimus tamen privilegio revocationis non renunciasset donatorem, alias nihil potest, licet proles post ipsius obitum possent illam quatenus sibi inofficiosam revocare, si sint legitimæ: quod addo; quia favor proli legitimæ concessus non censetur ad illegitimam extendi.

Advertendum, in his tribus casibus tantum fieri mentionem donationis stricte liberalis; quia ubi remuneratoria est, tantum est revocabilis secundum illam partem, secundum quam beneficium acceptum excedit.

CONCL. IV. Donatio causa mortis tripliciter revocatur. 1. Ubi transit mortis periculum, quando facta fuit conditionate. 2. Per mortem donatarii, cui non succedunt in hoc ipsius hæredes, eo quod tantum afficiat personam. 3. Per solam donatoris voluntatem, quia hæc donatio est usque ad mortem ambulatoria, adeoque & pro libitu revocabilis, sicut testamentum, & legatum: & ideo licet non requiratur insinuationem coram judice, sicut donatio inter vivos, requirit tamen solemnitatem testamenti. Sed quid si donator promiserit, se donationem non revocaturum? Desinit donatio esse *causa mortis*, induitque naturam donationis *inter vivos*. Patet ex L. *Ubi ita donatur* 27. ff. *De donatione mortis causa*.

Q U Æ S T I O V I.

Qui, & quantum donare possint?

CONCL. I. Omnis & solus ille donare potest nomine proprio, qui habet bonorum dominium, simul & administrationem non impeditam. Dico *simul*, quia nec dominium sine administratione, nec administratio sine dominio sufficit; & certe si utrumque requiratur ad contrahendum; ut diximus, quidni ad donandum? Hinc

Resol. 1. Non posse donare religiosum privatum (semper intellige nomine proprio) etiam ad pias causas, cum careat dominio & administratione, immo nec potest superior ad causas profanas, cum

non sit dominus bonorum monasterii; sed tantum administrator, & idem est de beneficiato, quantum ad ea quæ superfluent honestæ sustentationi.

Resol. 2. Donationis incapacem esse prodigum, cui auctoritate publica datus est curator, quia non ipse, sed curator bonorum administrationem gerit: unde qui aliquid ab ipso recipiunt, obnoxii sunt restitutioni.

Resol. 3. Nec donare posse pupillum, minorem, immo nec filium-familias non emancipatum, nisi certe de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quia aliorum nullam habet administrationem.

Resol. 4. Etiam ex jure interdictam esse donationem impuberibus, idque ob non satis stabilem mentis dispositionem, ex quo patet, à fortiori esse interdictam ebriis, amentibus, & furiosis.

Resol. 5. Nec id posse uxores, propter eandem rationem, de bonis communibus, aut dotalibus, licet possint de paraphernalibus. Sed numquid potest uxor donare marito, & è contra? Ne conjuges ex amore mutuo se suis indiscrete spoliarent, hoc jura prohibuerunt, ita ut donatio inter ipsos facta sit semper ad nutum donantis revocabilis: dicitur quidem firmari juramento, sicut & morte donatoris, immo & uxorem donare posse marito, dignitatis obtinendæ causa, v. g. ut fiat consiliarius; sed quoad hoc, & alia hanc materiam tangentia, spectandæ sunt locorum consuetudines, sicut & pro donationibus filio non emancipato extra casum militiæ sacræ, aut profanæ factis; pro quibus etiam consule dicta de dominio.

Resol. 6. Interdictum esse ecclesiasticis omnibus donationem bonorum Ecclesiæ immobilium, & mobilium quæ servando servari possunt, sicut & pecuniarum ad emptionem immobilium ex voto, aut promissione designatarum cap. *Nulli liceat. De rebus Ecclesiæ non alienandis*.

CONCL. II. Nulla est donatio omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum, si fiat inter vivos, secus, si fiat causa mortis.

Prob. 1. pars ex L. *Stipulatio*, ff. 38, *De verborum obligationibus*: & ratio est, quod homo per hoc exponatur variis inconvenientiis, fiatque donandi incapax. Excipiunt tamen auctores. 1. Nisi promissio illa sit juramento firmata. 2. Nisi fiat ratione contractus onerosi; quia tunc non est pura donatio. 3. Nisi facta sit Ecclesiæ, aut in pias causas; quia nihil valet potestas civilis contra consilia evangelica.

Prob. 2. pars; quia quando fit causa mortis, non reperitur inconveniens ante assignatum.

CONCL. III. Revocabilis est quoad excessum donatio excedens 500. solidos; sive fiat uni, sive fiat pluribus, si sit actio unica, nec fiat insinuatio judici: L. penultima Cod. *De donationibus*.

Ratio est; quia alias possent homines indirecte se donationibus exhaurire, sicque aliis fieri oneri; cui inconvenienti obviare debet respublica bene ordinata.

Dixi 1. *Revocabilis* est, idest datur actio donatori, & ejusdem hæredibus in donatarium, ita ut possint pro libitu excessum repetere. Nihilominus ante repetitionem non tenetur donatarius restituere; cum sit probabilius, donationem non esse irritam sed irritabilem.

Dixi 2. *Quoad excessum*; quia stat irrevocabilis quoad 500. solidos.

Dixi 3. *Si sit actio unica*; quia si fiat donatio præfata per diversas actiones, seu donationes, omnia manent firma, ut patet ex L. *Sancimus* 34. Cod. *De donationibus*.

Dixi 4. *Nec fiat insinuatio*: est autem hic insinuatio (quam exigit lex, ut donatio excedens 500. solidos sit firma) intimatio donationis facta coram iudice per se, vel per interpositam personam, v. gr. dicendo: *volo dare* 1000. *aureos cognato*; ad quam non requiritur iudicis sententia, aut decretum, sed sola cognitio, eo quod non sit actio litigiosa, sed ordinata ut subita & intempestivæ donantium voluntates per moram temperentur, aut frangantur.

Ex dictis

Resol. 1. Revocabilem esse debiti remissionem, si summam præfata excedat; quandoquidem debiti remissio fit vera donatio.

Resol. 2. E contra firmam esse donationem, etiam quoad excessum, si sit juramento firmata, aut Ecclesiæ, aliisve piis causis applicata; quia si tunc donatio omnium bonorum sit solida, ut diximus, à fortiori donatio minor; immo etiam fit firma propter juris exceptionem, L. citata, si fiat ad reparationem domus incendio, aut ruina dirutæ, vel etiam si militiæ magister donet militi.

Q U Æ S T I O V I I.

Quid dicendum de ultima voluntate?

Per ultimam voluntatem intelligimus hic liberam dispositionem de eo, quod quis post mortem suam fieri vult: hujus autem species, aut quasi species sunt testamentum, legatum, codicillus, fideicommissum, donatio causa mortis: de hac egimus, de aliis restat paucis dicendum, relicta jurisperitis majori eorumdem explicatione.

A R T I C U L U S I.

Quid testamentum, codicillus, legatum & fideicommissum?

CONCL. I. Testamentum est suprema voluntatis dispositio solemniter facta cum hæredis institutione ordinaria.

Dicitur 1. *Suprema voluntatis dispositio*, per quod convenit cum aliis ultimis voluntatibus.

Dicitur *Solemniter facta*; quia licet jure gentium liceat unicui-

que testari eo modo quo voluerit; jure tamen positivo servanda est illa forma, quam quælibet provincia pro bono communi, & reipublicæ tranquillitate requirit; & ideo testamentum, cui desunt solemnitates à jure requisitæ, dicitur à juristis injustum, alias justum.

Dicitur 3. *Cum hæredis institutione*: quod ita est proprium testamento, ut ex jure communi sine illa stare non possit; unde dicitur in jure: *Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt*. Additur *ordinaria*, ut excludatur codicillus, quo milites, aut in castris versantes possunt ex particulari privilegio hæredem institueri L. *Militis* 39. ff. *De testamento militari*.

Duplex est testamentum: unum scriptum seu clausum, aliud nuncupativum: primum (quod dicitur scriptum, eo quod sola scriptura possit confici, & clausum, quia debet esse coopertum, & sigillatum) est illud, quo testator voluntatem suam scripto proprio declarat adhibitis testibus, qui scripturæ subscribant, sigillaque apponant: secundum, quod etiam dicitur apertum, est illud quo testator coram testibus sola voce hæredem instituit. Non repugnat quod hoc testamentum etiam scriptura conficiatur; dummodo non testator, sed notarius voluntatem ultimam in scriptum seu instrumentum publicum redigat coram testibus. Hoc utrumque testamentum varias requirit ex jure solemnitates: sed cum pluribus in locis non sint in usu, sufficit juristis nosse circa hoc locorum statuta, & consuetudines: theologis vero an legitime requisita, sint observata, necne, ut inde quid in conscientia fieri debeat, possint declarare.

CONCL. II. Codicillus (sic dictus, quia respectu testamenti est quasi parvus codex) est certa ultimæ voluntatis dispositio, quæ sine hæredis institutione, aut revocatione, quædam in testamento suppletur, mutantur, temperantur, adduntur, minuuntur: unde si quis velit codicillo hæredem instituere, aut institutum revocare, nihil conficiet, nisi miles foret, cui hoc competit ex privilegio; ubi tamen non constaret an testator hæredem instituendo, voluerit codicillum, an testamentum condere, præsumendum est esse testamentum, ut valeat. Possunt autem fieri duo, aut plures codicilli, qui omnes erunt validi, si sibi non contradixerint, ubi autem reperiretur contradictio, standum esset posteriori.

CONCL. III. Legatum (quod aliquando sumitur pro re legata) est quædam donatio, quam testator post obitum suum præstandam relinquit ab hærede de eo, quod foret hæredis. Aliud est purum, quod relinquitur absolute, nullo determinato tempore, onere, aut conditione: aliud conditionatum, quod ab onere, aut conditione pendet.

Circa legata pura, hæc ex jure communi observanda sunt. 1. Si legatarius ante testatorem moriatur, aut instituat legatarius aliquis defunctus, qui putabatur vivus, nullum est legatum, nec transit ad hæredes legatarii, cum hic nullum jus ad illud adquisierit: & idem est si legatarius moriatur ante acceptance[m] legati. 2. Si legetur alicui domus vetusta, & hanc ante obitum reedificet testa-

tor, tota ut est, obvenit legatario; immo si ipsi legavit fundum, & in eo ædificet, ut plantet, totum incrementum est legatarii, sicut è contra ipsius est decrementum, si in eo aliquid tollat, destruat, &c. 3. Fructus percepti ex legata re ante obitum testatoris, sunt hæredis, non legatarii; si autem adhuc pendeat, moriente testatore, fiunt legatarii, saltem post acceptationem legati. 4. Si aliquid legatum sit sub disjunctione, v. g. pallium, aut vestis, vel aliquid determinatum in specie, sed non in individuo, puta unus ex equis, satisfaciat hæres etiam minimum tribuendo; quia censetur testator ipsi libertatem reliquisse. 5. Si legatum aliquod relictum sit loco pio jam destructo, aut pauperi defuncto, alteri dandum est, si testator opus pium principaliter intendeat, & tantum secundario locum, aut personam, secus, si præcise in favorem loci, aut pauperis. Denique nulla sunt legata, (si excipiantur facta ad pias causas) ubi hæres non vult hæreditatem acceptare: unde L. *Si nemo*, ff. *De testamentaria tutela* dicitur: *si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex iis, quæ in testamento scripta sunt.*

Circa *conditionata legata*, etiam sunt quædam notatu digna.

1. Transeunt in absoluta, seu pura, habentque eandem vim, ac efficaciam, quando onus, tempus, aut conditio sunt impleta. 2. Conditiones impossibiles, aut turpes appositæ legatis, sicut & testamentis, habentur pro non appositis, & ideo legata illa fiunt absoluta. 3. Etiam legato frui debet illa, cui relictum est, ut honestas nuptias contraheret, si malit religionem ingredi; immo id ipsum asserunt auctores, etsi legatum respiciat personas indeterminatas, v. g. tot virgines, tot viduas; quia cum prævaleat matrimonium spirituale carnali, præsumi debet talem fuisse testatoris voluntatem, nisi ex circumstantiis, aut aliunde contrarium appareat. Colligitur ex Authent. *de sanctissimis Episcopis cap. 37. §. Sed & hoc præsentem.*

CONCL. VI. Fidei-commissum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator, sui hæredis fidei aliquid committit tradendum alteri, ut si Petrus hæredem suum constituat Paulum, obligans ipsum ad dandum ex hæreditate Joanni 1000. aureos.

Petes, quid dicendum de fidei-commisso, quando uxor hæredem constituit amicum, ut reddat marito hæreditatem, quam secundum leges non poterat ei relinquere? Idem est, quando pater hæredem declarat tertiam personam, ut hæreditatem cedat filio spurio.

R. 1. Tam instituentem hæredem cum pacto explicito, aut implicito de reddenda hæreditate, quam illam accipientem cum tali promissione peccare mortaliter; quia fraudant in re gravi leges sanctissime & justissime institutas.

Resp. neg. Probabilius esse fidei-commissarium non fieri verum hæredem, adeoque nec posse hæreditatem retinere, nec alteri tradere, sed restituendam esse hæredibus ab intestato. Ratio est; quia fraus & dolus nemini patrocinantur: atqui si tunc valeret institu-

tio hæredis, fraus patrocinaetur testatori leges eludere volenti: ergo. Deinde tali casu instituitur hæres æquivalenter maritus, aut filius spurius; quandoquidem dare hæreditatem filio, vel alium obligare, ad dandum illam filio, æquivalent à parte rei: unde dici potest, quod tunc spurius, aut maritus instituatur hæres mediate; quod tamen invalidatur per leges. Præterea per talem hæredis institutionem spurius acquirit jus ad hæreditatem: ergo instituitur hæres. Prob. ant. per illam fidei-commissarius contrahit obligationem dandi hæreditatem spurio, ut supponitur: ergo spurius per eandem acquirit jus ad illam, cum ex eodem fonte adquiratur obligatio justitiæ in uno, & jus in altero.

Dices, fidei-commissarius constituitur hæres: ergo non maritus, aut spurius.

Resp. dist. ant. Constituitur hæres apparenter, C.; realiter, N.; cum enim implicet duos simul habere jus ad totam hæreditatem, nec possit fidei commissarius in nostro casu jus habere, nisi habeat & spurius, sequitur neutri competere.

ARTICULUS II.

Qui possint testari & qui hæredes institui?

CONCL. I. Omnes & soli testari possunt, qui lege naturali aut positiva non sunt impediti: res in terminis clara est. Hinc

Resol. Non posse testamentum condere infantes ante septennium, sicut nec furiosos, & perpetuo amentes, idque defectu usus rationis. Dico: *perpetuo amentes*; quia si quandoque lucida habeant intervalla, subsistit testamentum illo tempore factum, sicut subsistit si sint tantum amentes in una aut altera materia, ut contingere solet hypocondriacis. In dubio autem, an in amentia aut deliratione testati sint, standum est testibus; alias ex circumstantiis judicandum est, attendendo v. g. an immediate antequam testarentur essent sui compotes, an testamentum sit prudenter ordinatum, quibus personis legaverint, &c.

Resol. 2. Testari posse nihil habentes actu, si aliquid habeant in spe. Ratio est, quia ad valorem testamenti sufficit, si testator aliquid habeat tempore mortis, cum tunc, & non ante, donatio testamentaria sortiatur suum effectum.

Resol. 3. Incapaces esse ad testandum impuberes etiam ad pias causas; quia præsumitur ordinarie in illis iudicium non esse ita perfectum & maturum. Colligitur ex cap. *Licet 4. de sepulturis* in 6. Possunt tamen testari puberes facti, etiamsi curatorem habeant cum nulla lex id ipsis prohibeat.

Resol. 4. Filio-familias jam puberi liberum esse testari de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, non de adventitiis L. *Nemo 11. Cod. Qui testamenta.* Excipe tamen nisi testamentum esset ad

pias causas aut nisi adventitia obvenissent filio jam clerico, quia tunc reputantur quasi castrensia.

Resol. 5. Nullum esse testamentum prodigi, cui bonorum administratio est interdicta, licet valeat factum ante prohibitionem: utrumque patet ex Instit. *Quibus non est permittum facere testamentum* §. *Item prodigus*. Sed numquid testari potest ad causas pias? Negant aliqui, quibus non assentior, cum potestas sæcularis non se extendat ad ea, quæ salutem animæ concernunt.

Resol. 6. Nec posse testari ad causas profanas surdum, & mutum à nativitate, L. *Discretio* 10. Cod. *Qui testamenta*. Dico 1. *Ad causas profanas*: eo quod jus civile non possit pietatis opera impedire. 2. *Surdus & mutus*, quia surdus tantum & non mutus, si dare possit valide, potest & testari. 3. *A nativitate*; quia surdus & mutus ex accidenti, si scribere potest, potest & testari, L. citata.

Resol. 7. Nec testamento condendo idoneos esse beneficiatos quoad partem fructuum suæ sustentationi superfluum; quandoquidem non sint illius domini, ut diximus.

Resol. 8. Etiam testandi incapaces esse religiosos professos, licet forent priores aut abbates, idque defectus domini, possent tamen ad causas pias ex dispensatione pontificia, quæ ordinarie non conceditur nisi habentibus beneficium regulare, aut sæculare extra monasterium. Dixi: *Religiosos professos*; quia nulla lex, nequidem Tridentina, aufert à novitio testandi potestatem, si bene inspicatur.

Resol. 9. Ex variis juribus interdictam esse testandi facultatem certis criminosis: ac 1. Usurario publico, nisi usuras solverit, aut pro illis cautionem præstiterit. 2. Cardinalem hostiliter insequentibus. 3. Damnatis ob libellum famosum. 4. Hæreticis, aut illorum fautoribus, receptoribus, defensoribus, &c. 5. Damnatis ad mortem, qui tamen certis in locis testari possunt, si eorum bona non sint publicata. 6. Condamnatis ad mortem civilem, idest, ejec-tis in exilium perpetuum, aut damnatis ad triremes, vel carceres perpetuos: videndum tamen, an per locorum leges, aut consuetudines particulares nihil sit circa jus cæsareum immutatum.

CONCL. II. Quilibet institui potest hæres, aut legatarius, nisi ob votum, aut delictum proprium, vel alienum impediatur.

Ratio est; quia omnis ille capax est hæreditatis, aut legati, qui capax est domini acquirendi; atqui talis est omnis in conclusione assignatus: ergo. Hinc

Resol. 1. Posse institui hæredes, aut legatarios non tantum usum rationis & sensum adeptos, sed etiam infantes, furiosos, amentes, surdos, mutos, &c. non tantum personas privatas, sed etiam civitates, seminarium, Ecclesiam, aut aliam communitatem, nisi esset hostium, Judæorum, aut Mahumetanorum; quia hi, & non alii, jure prohibentur.

Resol. 2. Etiam institui posse monasterium (nisi sint fratres minores de observantia, capucini, aut domus professa societatis Jesu) quia licet singuli religiosi ratione voti non possint hæreditatem, aut legatum suscipere, communitas tamen, quæ est capax possessionis, capax est & hæreditatis.

Dixi: *Nisi sint FF. minores de observantia, aut capucini*; quia per Clem. *Exivi: De verb. signific.* declarantur vi suæ professionis successionis hæreditariæ incapaces; huic tamen Bullæ non repugnat (ut. notat glossa, & censuit Sacra Cardinalium congregatio die 1. martii anno 1590.) si alicui tertio relinquuntur aliqua etiam immobilia, cum onere vendendi, pretiumque in necessitate fratrum expendendi: sicut nec repugnat eorum professioni, declarante eadem glossa, si relinquuntur ipsis aliqua legata, aut eleemosynæ pro necessitatibus ordinariis, modo non sint res stabiles, aut redditus, immo nec videntur condemnandi redditus, si relinquuntur præcise pro Ecclesiæ fabrica, oleo, vino, cera, & ornamentis, cum hoc non assignetur fratribus, sed Ecclesiæ ad Summum Pontificem pertinenti. Aliud esset de redditibus pro exonerandis certis obitibus, officiis, &c. quia cum cederent in commoditatem fratrum: etiam eorum paupertati nocerent. Immo priores redditus non possunt FF. minoribus relinqui, sed solum eorum Syndico, tamquam Sedis Apostolicæ procuratori. Addidi: *Aut domus professa societatis Jesu*; quia pro domibus professis renunciavit societas anno 1563. privilegio Tridentini possessionem bonorum in communi permittenti.

Resol. 3. Non posse hæredes institui illos, qui propter delictum prohibentur testari, jure sic disponente.

Resol. 4. Nec posse à clerico institui hæredem hæreticum, aut infidelem, licet affinem, aut consanguineum: Cap. *si quis Episcopus*, 5. *de hæreticis*.

Resol. 5. Non posse hæreditatem adire occisorem hæredis, L. *ultima*, §. *ult. ff. De bonis damnatorum*: unde tunc legatum reddit ad hæredes defuncti, & hæreditas applicatur fisco.

Resol. 6. Etsi filio spurio debeantur alimenta proportionata, ut diximus in quartum decalogi præceptum, non posse tamen patri succedere, sive ex testamento, sive ab intestato, sive proles legitimas habeat pater, sive non, colligitur ex Authent. *Licet*, Cod. *De naturalibus liberis*; & idem est probabilis respectu matris.

Resol. 7. Filium naturalem posse institui hæredem universalem à patre & matre, si desint legitimi, nec supersint ascendentes; patet ex Authent. citata.

Dixi: *Si desint legitimi*; quia si dentur, potest tantum ipsi relinqui duodecima pars bonorum. Addidi: *Nec supersint ascendentes*; quia debetur ipsis tertia pars bonorum, saltem jure cæsareo, ubi autem sine testamento moritur pater aut mater, succedit filius naturalis matri in omnibus, si non habeat legitimos; si autem habeat, succedit ex æquo cum illis: respectu vero patris

succedit in sexta parte bonorum, si nempe desint ascendentes, & proles legitima.

Ut autem præfata melius intelligantur, advertendum est, quadruplicis generis esse filios, legitimos, legitimatos, naturales, & spurios, *legitimi* sunt, qui nascuntur ex matrimonio in facie Ecclesiæ bona fide, saltem ex parte unius conjugis, celebrato. *Legitimati*, qui etiamsi ante matrimonium nati sint; per illud tamen subsequens legitimantur, habentur tamquam legitimi. *Naturales* dicuntur, qui geniti sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis nullum erat impedimentum, quominus, possent valide matrimonium contrahere: *Spurii* vero, qui nascuntur ex parentibus, inter quos erat tale impedimentum.

ARTICULUS III.

Qui sint hæredes ab intestato, quinam necessarii, & an parentes possint quandoque filios exhæredare?

Triplicis generis sunt hæredes: ab intestato, necessarii, & extranei. Hæredes ab intestato dicuntur, qui succedunt in bonis defuncti, etiamsi nullum factum sit testamentum: censetur autem aliquis mori ab intestato, quando testamentum non condidit, vel nullum est ex aliquo defectu, v. g. quia revocatum. Hæredes necessarii sunt, qui nonnisi ex causis legitimis possunt exhæredari, & ideo si in testamento non nominentur, declaratur testamentum à jure nullum. Extranei vocantur, qui nec necessarii sunt, nec succedere debent ab intestato, sed libere à testatore instituuntur.

CONCL. I. Hæredes sunt ab intestato descendentes, ascendentes, & consanguinei collaterales ipsius defuncti usque ad decimum gradum inclusive, idque secundum ordinem, & posteriores in defectu priorum. Est certum ex variis juribus.

1. Succedunt descendentes legitimi (nam de illegitimis diximus articulo præcedenti) ita tamen ut succedant. 1. loco Filii. 2. Nepotes defectu filiorum. 3. Pronepotes defectu nepotum: & sic deinceps, exclusis ascendentes & collateralibus, id est patre, avo, proavo, ac fratribus & sororibus, &c. defuncti: ubi tamen nepotes repræsentant personam patris sui defuncti, succedunt avo cum patris, non tamen per capita sicut patris, sed sic, ut omnes filii unius patris constituent unum caput. Sed succeditne etiam patri filius posthumus? Succedit, si non sit abortivus, sed paullulum vixerit. L. 1. Cod. *De liberis & posthumis*.

2. Succedunt defectu descendentium ascendentes, id est, pater & mater defuncti æqualiter, ita ut, deficiente patre, in totum succedat mater, & è contra exclusis avis & proavis, deficiente autem utroque parente, succedunt æqualiter avus paternus, & maternus, ex quacumque parte bona proveniant; quandoquidem absque

ulla distinctione jura loquantur, si tamen defunctus habeat fratres, vel sorores, utrimque conjunctos, id est, tam ex parte patris, quam matris, succedunt in æquali portione cum ascendentes. Authent. *De hæreditate ab intestato* §. *Si igitur defunctus*.

3. Succedunt in defectu descendentium, & ascendentium, collaterales usque ad decimum gradum inclusive, excepto, quod in feudis successio tantum fiat usque ad quintum gradum, & in majoratibus ad quemlibet sine fine. Non tamen eo modo jus civile numerat gradus in ordine ad testamentum, ac jus canonicum in ordine ad matrimonium: nam duo fratres, qui tantum distant inter se uno gradu in ordine ad matrimonium, distant duobus in ordine ad testamentum, & duo filii fratrum, qui tantum duobus gradibus distant in primo casu, distant 4. gradibus in secundo; quia jus civile utriusque personæ gradus computat. Plura circa hanc materiam videri possunt apud juristas, & locorum consuetudinarios.

CONCL. II. Hæredes necessarii sunt, 1. respectu parentum filii, & his deficientibus, nepotes, deinde pronepotes, & alii descendentes, ita tamen ut propinquiore præferantur remotioribus, non sunt tamen hæredes necessarii quoad omnia bona defuncti, sed tantum pro legitima: unde solum tenetur pater, si habuerit quatuor filios, aut pauciores, tertiam partem bonorum suorum in ipsos dividere, si plures, mediam partem, relicta ipsis de reliquis disponendi, ut voluerit, libertate. 2. Hæredes necessarii sunt, respectu filiorum, pater & mater, his deficientibus, avus, deinde proavus, &c. modo deficient descendentes, aut sit justa causa ipsos exhæredandi. Quota autem sit ascendentium legitima non legitur determinatum à jure communi, & ideo consulendæ sunt locorum consuetudines. Fratres vero & sorores non sunt hæredes necessarii, etiamsi deficient ascendentes, & descendentes, & ideo non peccat contra justitiam testator, si, ipsis relictis, extraneos hæredes instituat, peccat tamen contra charitatem, si sint pauperes.

CONCL. III. Non possunt parentes sine justa causa filios exhæredare, secus ubi adest ratio gravis.

Prob. 1. pars; quia jure naturæ debetur filiis hæreditas paterna: nam *si filius & hæres*; & ideo si quæ leges aliter disponerent, non obligarent, utpote injustæ; aliud esset; si, filii liberrime & sine metu reverentiali consentirent, quia scienti & volenti nulla fit injuria. Ubi tamen filii proles haberent, quibus hæreditas necessaria foret, illa renuntiatio esset prodiga, & charitati contraria, non tamen justitiæ; quia nepotes, vivente patre, nullum jus habent in bona sui avi.

Prob. 2. pars; quia poena exhæredationis in filios rebelles, aut graviter delinquentes valde utilis est, inamo & necessaria bono communi, ut sic coerceantur filii, eorumque petulantia refrænetur: & consequenter illam adhibere possunt parentes, ubi gravis est filiorum deordinatio.

Causæ autem præcipuæ, ob quas exhæredari possunt filii, sunt sequentes: 1. Gravis contumelia in patrem attentam filii & parentis qualitate. 2. Si filius in judicio fuit accusator, denunciator, testis, aut procurator contra patrem, præsertim in criminalibus, nisi pater reus esset hæresis, prodicionis, aut læsæ Majestatis. 3. Si manus iniecit in patrem, aut matrem. 4. Si ipsos conatus est veneno, aut aliter interficere, etsi nihil factum sit. Si parentes factos amentes neglexerit, & ipsi postea sensibus restituatur. 6. Si noluit parentes captivos redimere, aut pro incarcerationis fidejubere. 7. Si uxorem patris carnaliter cognovit. 8. Si à Christi fide apostatavit. 9. Si patrem, ne testamentum conderet, aut conditum revocaret, impedivit. 10. Si filia respiciens dotem sufficientem sibi oportuno tempore oblatam, facta sit meretrix. Causas alias rarius evenientes vide apud auctores.

ARTICULUS IV.

An valeat testamentum solemnitatibus destitutum?

Suppono 1. Testamentum posse fieri ad causas pias, & ad profanas: fit 1. Modo, dum causa pia, puta Ecclesia ad officium divinum, suffragia pro defunctis, vel hospitale, pauperes, aut monasterium instituitur hæres: fit 2. Modo, dum quælibet alia persona, aut communitas instituitur.

Suppono 2. Testamentum ad causas profanas non valere in foro externo, ubi desunt solemnitates requisitæ, quandoquidem jura variis in locis illa expresse irritent & annullent.

Suppono 3. Testamentum ad causas pias subsistere etiam in foro externo, si adsint duo testes, licet deficient alia à jure civili requisita; patet ex c. *Relatum*, 11. de testamentis, ubi Alexander III. præcipit, ut in testamentis, aliisque ultimis voluntatibus in favorem Ecclesiæ factis, non secundum canones judicetur, tribus vel duobus testibus legitimis requisitis. Sed respiciunt hæc forum contentiosum, hic de foro conscientie inquiritur.

CONCL. I. Testamentum ad causas profanas, ubi destituitur solemnitatibus à jure communi, aut particulari requisitis, probabilis est non valere in foro conscientie.

Prob. 1. Quia L. *Si quæremus* 4. ff. De testam. & qui testamenta facere possunt, & alibi, declaratur testamentum solemnitatibus destitutum esse imperfectum, infectum, nullum, irritum; atqui ubi jus positivum declarat certos actus esse nullos & irritos, non obligant in conscientia, ut patet in donationibus pupillorum & similibus: ergo, &c.

Prob. 2. Ubi solemnitas introducta est ad valorem actus, ipsa deficiente, deficit & actus, ut patet in matrimonio clandestino, atqui testamenti solemnitas introducta est ad ipsius valorem, & non

tantum ad probationem, ut evidenter colligitur ex art. 11. & 12. edicti perpetui anno 1611. ergo, &c.

Prob. 3. Potuit respublica testamentum illud absolute reddere nullum ad evitandas fraudes, jurgia & lites inter familias, ut conveniunt adversarii; sed id fecisse, patet ex allegatis, item ex L. *Hac consultissima* 21. Cod. De testamentis & L. *Si unus* 12. eod. tit. ubi legitur: *Si unus de 7. testibus defuerit, &c. jure deficit testamentum.* Similiter Institut. *Quibus modis testamenta infirmentur* §. 7. dicitur; *imperfectum testamentum sine dubio nullum est:* ergo, &c.

Obj. 1. L. finali Cod. De fidei-commissis cogitur hæres constitutus ex testamento solemnitatibus destituito ad præstandum legatum vel jurare non fuisse, talem defuncti voluntatem. Et L. *Etsi inutilitate* eodem tit. non potest hæres ex testamento non solemniter recipere fidei-commissum quod solverat sciens fuisse testatoris voluntatem: ergo supponitur illa valere in conscientia.

Resp. Ibi fieri mentionem de legato, & fidei-commisso extra testamentum agnatis, quorum solutionem promisserat hæres ante mortem testatoris: quod nihil facit ad rem nostram; quandoquidem tenetur hæres illa solvere, non vi testamenti, quod nullum est, sed vi suæ promissionis. Præterea alia est ratio legati, & fidei-commissi, quam testamenti, quandoquidem illa non requirant testium solemnitatem, sed sufficiat, si hæres cognoscat circa hæc testatoris voluntatem, ut colligitur ex Institut. *De fidei-commissariis hæreditatibus* §. ult.

Obj. 2. Alex. III. Cap. *Cum esset* 10. de testam. sic loquitur: *testamenta quæ parochiani coram presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere;* atqui non servatur ibi solemnitas juris communis, quæ 7. aut 5. testes requirit: ergo, &c.

Resp. Pontificem hoc statuisse, vel causis piis, vel, si in profanis, tantum pro territorio sibi temporaliter subjecto; qualis erat diocesis Ostensis, pro cujus testamentis consulebatur; unde non volumus, semper observandam esse in testamentis solemnitatem juris communis, cum sufficiat si servetur illa, quam consuetudo, vel leges particulares introduxerunt, ut patet in Belgio; ubi sufficient duo testes cum notario, ac subscriptione testatoris & testium, aut saltem subscriptione, si non noverint scribere.

Obj. 3. Jura volunt custodiendas esse morientium voluntates.

Resp. Hoc verum esse, ubi non adest aliunde impedimentum, alias non; quandoquidem testamentum impuberum ad causas profanas non sit observandum.

Obj. 4. Lex civilis tantum requirit solemnitatem ex præsumptione fraudis; atqui ubi constat de voluntate testatoris, nulla subest fraus: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Ex præsumptione fraudis, quæ subest, N.; quæ

subesse potest, C.; unde leges solemnitate[m] requirunt non tantum ut fraudibus, sed etiam ut fraudum periculo obvietur.

Obj. 5. Nihil potest lex positiva contra legem naturæ; sed hæc tantum requirit, quod constet de mente testatoris, ergo, &c.

R. Dist. ant. Nihil potest contra legem naturæ præceptivam, aut prohibitivam, C.; permissivam, N.; lex autem naturæ nec præcipit, nec prohibet testamentorum solemnitates, sed permittit adhiberi; vel non adhiberi, prout bonum commune requisierit.

CONCL. II. Subsistit in foro conscientiæ testamentum ad pias causas, etsi non subsistant solemnitates à jure civili requisitæ, imo etiamsi nullus adsit testis, modo adsint illa, quæ jus naturæ exigit.

Dico: *In foro conscientiæ*; quia in foro externo ecclesiastico, etsi non requirantur omnes juris civilis solemnitates, requiruntur tamen duo aut tres testes, ut patet ex Alex. III. supra.

Prob. autem conclusio; quia potestas civilis non se extendit eoque, ut possit opera ad animarum salutem spectantia impedire; impediret autem quandoque, ut per se patet, si testamentum ad pias causas solemnitates præfatas requireret.

Dices 1. Saltem nullum est tale testamentum, quando partim est ad causas profanas, partim ad pias. Prob. assumpt. quia jus civile totum irritat.

R. neg. assumpt. Ad prob. dico, jus civile id irritare præcise ad quod ejus potestas se extendit, & consequenter annullare testamentum illud, in quantum causas profanas respicit, non in quantum pias.

Dices 2. Alex. III. supra, requirit in foro ecclesiastico duos aut tres testes; atqui ibi judicatur secundum forum conscientiæ: ergo falsum est in hoc foro nullum testem requiri.

Resp. Pontificem duos, aut tres testes requirere, non ut testamentum sit validum simpliciter, ut patet legenti caput *Relatum*, sed ut probari possit in foro externo, quantum necesse est, ut iudex possit sententiam ferre. Ex dictis

Resol. 1. Posse Papam ex jure civili ea tollere, & abrogare, quæ impediunt studium, & cursum operum ad salutem pertinentium; cui enim incumbit procurare finem, qui est animarum salus, incumbit & procurare, ut omnino libera sint media ad illum conducentia, quæ sunt opera meritoria.

Resol. 2. Testamentum, in quo ordinantur eleemosynæ aut legata pia, quoad punctum illud subsistere, obligarique in conscientia hæredes ad eorum executionem: quidquid contrarium in foro externo judicatum sit.

Resol. 3. Testamentum prius solemnne invalidari per posterius non solemnne, quantum attinet ad causas pias, modo tamen non solemnne valeat naturaliter.

Resol. 4. Si testator moriturus declaret suo hæredi, aut alteri fidedigno, & nullatenus suspecto, voluntatem suam circa quædam

pia executioni mandanda, teneri hæredem illa exequi, etiamsi nihil simile in testamento reperitur: quod à fortiori verum est, si reperitur scriptura ab ipso facta, aut ejus manu subsignata; quæ sit testamento posterior.

ARTICULUS V.

An testamentum sit revocabile, aut mutabile?

CONCL. I. Non potest religiosus professus testamentum, quod ante professionem condidit, revocare, aut mutare, nisi accedat dispensatio papalis.

Ratio est; quia ille solus potest testamentum suum revocare aut mutare, qui potest novum condere; atqui professus, utpote omni bonorum dominio destitutus, non potest novum condere: ergo nec prius revocare; accedit, quod soli viventes possint testamentum revocare; ille autem sit mortuus civiliter. Deinde non plus juris habet circa bona per professionem relicta, quam circa bona aliena; & consequenter cum de his nullatenus possit disponere, ita nec de illis.

Dixi: *Nisi accedat dispensatio papalis*: si enim permetteret Pontifex, ut professus ad sæculum rediret, aut statum clericalem amplecteretur; putem ipsum (nisi Papa alter statueret) posse bona in professione relicta recuperare adeoque posse testamentum revocare: & certe, si Lazarus resuscitatus bona sua recuperavit, quidni civiliter resuscitatus bona per mortem civilem relicta recuperaret?

CONCL. II. Potest sæcularis testamentum suum revocare, mutare, augere, minuere, &c. quamdiu vivit. Est certa ex communi omnium nationum praxi.

Ratio est; tum quia, ut docet Apostolus ad Hæbr. 9. testamentum solum in morte firmatur; tum quia testatoris voluntas semper est, ut ajunt, ad ultimam vitæ periodum ambulatoria; tum etiam, quia per testamentum non perdit rerum suarum dominium, aut administrationem, & consequenter potest adhuc de illis disponere. Sed quid si juravit testator se non revocaturum?

Adhuc potest valide revocare, non licite: valide quidem; quia vinculum religionis, quod contrahit jurando, non transfert à testatore rei testatæ dominium, nec mutat naturam testamenti ex se revocabilis; & ideo revocando non violat justitiam: non licite tamen, quidquid dicant aliqui; quandoquidem teneamur semper implere juramentum, ubi sine peccato potest impleri: dicitur quidem juramentum illud contra bonos mores civiles; sed quid tum? cum non sit contra bonos mores. Deinde esto foret contra bonos mores illud facere, non est tamen contra bonos mores illud semel factum adimplere.

Observandum hic, quando quis juravit, inquit Bonacina, se non revocaturum testamentum; & juramentum fuit acceptatum ab eo,

in cujus favorem factum fuit, hæredem postea institutum (etsi validus sit) teneri reddere hæreditatem illi, qui prius fuerat institutus hæres: nam qui prius fuerat institutus, per acceptationem juramentum acquisivit jus ad bona testatoris, & testator contraxit obligationem realem; cum autem obligatio realis transmittatur ad hæredes, sequitur hæredem teneri solvere & adimplere promissionem factam à testatore, & acceptatam à promissario. Hæc ille. Fatendum tamen promissionem illam non dare actionem in foro civili, ut deducitur ex L. 61. ff. *De verborum obligationibus*. Imo volunt aliqui, videri in tali foro irritam, adeoque non esse certam ipsius obligationem in conscientia.

CONCL. III. Mutari potest testamentum ab Episcopo, aut Sanctæ Sedis Legato, si sit ad causas pias, vel à magistratu, si sit ad profanas, ubi non potest impleri secundum mentem testatoris defuncti.

Ratio est; quia cum tunc legatum non redeat ad hæredem, nec sit justum ut remaneat inutile, superest ut de eo modo convenientiori per superiores disponatur. Sed quid si eleemosyna ad certum opus pium, v. g. altare marmoreum sit relicta, possitque taliter executioni mandari, potestne Episcopus aut Sanctæ Sedis Legatus eleemosynam illam in opus Ecclesiæ utilius, v. g. pro reparationibus necessariis impendere? Probabilius est, quod non, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, colligitur ex glossa ad Clementinam *Quia contigit*; hancque sententiam videtur praxis communis auctorizare.

ARTICULUS VI.

Qui possint esse testamentorum executores, & quod sit illorum munus?

Suppono, executores alios vocari legitimos, alios testamentarios: legitimi sunt, qui instituuntur à jure, & tales sunt Episcopi respectu causarum piarum, & magistratus respectu profanarum; ipsis enim incumbit curare, ut defunctorum voluntates adimpleant: unde testamentariis recusantibus, aut morientibus, ipsorum est proportionate ad materiam testamentariam de aliis providere. Testamentarii sunt, qui instituuntur ab homine, id est, testatore & hujusmodi alii sunt universales, alii particulares; universales sunt, qui in testamento, in quo nullus nominatur hæres, eliguntur ad debitorum solutionem, & honorum distributionem juxta mentem testatoris; & hi in jure quasi hæredes reputantur: particulares sunt quibus testator non satis fidens hæredi, quem instituit, mandat executionem rerum in testamento depositarum. Hoc supposito

CONCL. I. Institui possunt testamentorum, & legatorum executores, omnes illi, qui jure non impediuntur, si aliunde sint executionis capaces.

Ratio clara est, si enim alia negotia valeant expedire, quidni possent hæc? Hinc

Resol. 1. Posse fæminam esse executricem testamenti, etiam mariti defuncti; quod minus etiam durat postquam ad secundas nuptias transvolavit, quandoquidem nullum jus hanc potestatem ipsi adimat.

Resol. 2. Hujus officii etiam capaces esse minores, modo 17. ætatis annum compleverint; quia nec jure, nec ætate prohibentur ad debitam testamenti executionem nominari.

Resol. 3. Similiter institui posset testamentarios sacerdotes, & alios clericos sæculares, hoc enim munus olim ipsis interdictum jam concedit recepta ubique praxis.

Resol. 4. Religiosos testamenta exequi non posse sine superioris licentia, sive sint ad causas pias, sive ad profanas. Patet ex cap. *De testamentis* in 6. imo nec possunt cum superioris licentia Fratres Minores de observantia. Ex Clem. *Exivi* §. *proinde de verb. sign.* hoc tamen non obstat, quominus testator obligare possit executores, ut in omnibus sequantur consilium alicujus Fratris Minoris, ad quod tenebuntur executores.

CONCL. II. Officium executorum est ultimas defunctorum voluntates adamussim, & statim moraliter adimplere, præsertim si sint ad causas pias.

Ratio est; quia non minor requiritur exactitudo, & diligentia in peragendo hoc negotio, quam in quolibet alio gravis momenti, cum sepæ agatur de liberanda ab igne piaculari anima. Hinc

Resol. 1. Graviter peccare executores, sicut & hæredes, si diu debitorum solutionem protrahant; falsa tamen est opinio vulgi fingentis animas defunctorum tamdiu in purgatorio detineri, quamdiu debita non solvuntur; quia *negligentia unius*, nempe executoris *non imputatur alteri*, scilicet defuncto, *ad pœnam*, inquit D. Thom. Quodlibet 6. art. 13.

Resol. 2. Indulgentiam anni integri concessam à jure pro solvendis debitis & legalis non habere locum in foro conscientiæ, ubi prius executio fieri potest; quod magis verum est, ubi agitur de Missis exonerandis pro refrigerio animæ defuncti; unde abusus est intolerabilis, quod nonnunquam animæ gravissimis torquentur in purgatorio suppliciis propter executorum incuriam, aut hæredum avaritiam.

Resol. 3. Nec suo muneri satisfacere testamentarios, aut hæredes, si Missas injungant exonerandas dilata solutione stipendi, cum vix aut raro celebrentur Missæ ante solutum stipendium, idque ob varias fraudes, quæ in hujusmodi solutionibus irreperunt.

Resol. 4. Nec excusari sacerdotes, qui sub prætextu dilati stipendii etiam Missas differunt postquam fidem dederunt de illis celebrandis credito stipendio: vel enim non debent onus illud suscipere, vel, si susceperint, tenentur quamprimum moraliter Missas

exsolvere, non minus ac si stipendium recepissent: unde si de solutione timeant, debent se ab illis recipiendis honeste excusare, vel certe se periculo exponere; si secus fecerint, peccant graviter contra fidelitatem, contra justitiam, imo & contra charitatem animabus in purgatorio debitam. Quam vera est hæc resolutio, sed quam male practicata! Nec excusationem ingerant, quod alias non essent Missas recepturi: frivola est hæc excusatio, nec locum reperit apud DEUM, cum non liceat sibi consulere mentiendo, & animas in suppliciis & cruciatibus relinquendo.

DISPUTATIO VII.

De contractibus onerosis.

Ubi egit Doctor subtilis 4. dist. 15. q. 2. art. 2. de contractibus gratuitis agit de onerosis: qui sunt vere & proprie contractus. Horum autem aliqui transferunt rei dominium, ut permutatio, emptio, venditio: alii, retento dominio, solum usumfructum, ut conductio, locatio, emphyteusis. De primis hic tractandum, de aliis postea.

Q U Æ S T I O I.

Quid permutatio, emptio, & venditio: & quas condiciones requirant?

Advertit Scotus loco citato, littera K. tripliciter transferri reum dominium per contractus onerosos: 1. Dando rem pro re, v. g. vinum pro oleo, granum pro panno; & tunc contractus dicitur permutatio. 2. Dando rem pro pecunia, & est emptio & venditio. 3. Tradendo pecuniam pro pecunia, & vocatur cambium, aut mutuum, de quo postea.

CONCL. I. Permutatio specifica est datio rei secundum se utilis pro alia similiter utili: hoc contractu utebantur homines, antequam adinventæ esset pecunia, quæ in ratione pecuniæ seu mone-tæ non est secundum se utilis, sed tantum per respectum ad ea quæ sunt per ipsam comparabilia.

Dixi: *Permutatio specifica*, quia generice sumpta comprehendit omnem contractum, in quo unum datur pro alio, quodcumque illud sit.

CONCL. II. *Emptio* est pactio pretii determinati pro merce determinata; & est contra *venditio* pactio mercis determinatæ pro pretio determinato.

Dicitur 1. *Pretii*, id est, pecuniæ, seu numismatis, aut mone-tæ. 2. *Determinati*; quia si res vendatur pro pretio indeterminato, id est, pro eo, quod voluerit dare emptor, non stat contrac-

tus L. *Quod sæpe* 35. ff. *De contrahenda emptione*. 3. *Pro merce*, cujus nomine venit omnis res pecunia compensabilis, sive sit mobilis, sive immobilis, sive sit actio, sive jus, sive officium, &c. 4. *Determinata*; quia sicut pretium debet esse determinatum; ita & res vendita, saltem quoad speciem: quod addo; quia valet emptio ovis, v. g. ex toto grege eligibilis pro libitu emptoris.

CONCL. III. Ultra condiciones ad quemlibet contractum requisitas, tres alias requirit Scotus in permutatione emptione & venditione. 1. est, ut fiant sine fraude & dolo. 2. Ut servetur æqualitas vel rei ad rem, vel rei ad pretium. 3. Quod exerceantur secundum rectam rationem; hæcque per se patet: duas alias examinabimus.

1. *Conditio* est, quod debeant fieri sine fraude, & dolo tam ex parte venditoris, quam ex parte emptoris; ita ut excludatur omnis circumventio, non solum in substantia; sed etiam in modo, quantitate, & qualitate. Quando autem gravis dolus, aut error reddat hos contractus irritos, & quando non, sed tantum imponant obligationem defectum supplendi, attentata fraudis, aut erroris proportionem facile colligi potest ex dictis in disput. de contractibus in genere. Hic solum de peccatis circumvenientium agimus. Unde

Resol. 1. Peccare cum onere restitutionis ob fraudem in substantia commissam, qui vendunt deauratum pro auro, aquam mellitam pro vino hispanico, ferrum pro chalybe, vitrum pro gemma; item qui vinum aut alios liquores aqua temperatos distrahunt tamquam puros: aliud esset, si habentes vinum generosum, ac ideo carius ac difficulter vendibile, illud reducerent per mixturem alicujus liquoris ad qualitatem, & bonitatem vini mediocri, & simul proportionate minuerent pretium; quia tunc nulla videtur fieri injuria. Unde S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 27. §. 24. *Cum aliqui sophisticant ea, quæ vendunt, ut se servant indemnes, & cum aliquo lucro congruo; quia si venderent res puras, emptores non vellent dare justum pretium; quia alii vendunt talia sic sophisticata & mixta minori pretio, videntur posse excusari, dummodo non fiant tales mixturæ quæ noceant humanis corporibus, quod accidere potest in his, quæ venduntur in cibum & potum humanum, & præcipue in medicinalibus.* Cavendum tamen, ne mentiatur iniquitas sibi; quia fraus & dolus nemini patrocinantur.

Resol. 2. Similiter reos esse ob fraudem in modo, qui decipiunt mendaciis, perjuriis & monopolis, de quibus postea.

Resol. 3. Eidem peccato, & oneri obnoxios esse ob fraudem in quantitate, qui fallunt in pondere, aut mensura, qui pannum, aut aliud mensurando nimis trahunt, qui lanam, filum, granum, &c. detinent in locis humidis, aut aspergunt aqua, ut magis ponderent: contra quos est illud Prov. 20. *pondus, & pondus mensura & mensura, utrumque abominabile est apud DEUM.*

Resol. 4. Etiam delinquere cum obligatione restituendi ob fraudem in qualitate, qui vendit animal infirmum pro sano, pharmaca

antiquata pro recentibus, pannum fragile pro durabili: unde tenentur vitia occulta: quæ minuunt rei valorem, aut eam inutilem, vel damnosam reddunt, emptori manifestare, juxta illud Ambrosii 3. Officiorum cap. 10. *in contractibus... vitia eorum, quæ veneunt prodi jubentur.*

Dixi: *Vitia occulta*; quia si vitium sit patens, v. g. equus claudus, aut monoculus, & aliunde pluris non vendatur, quam valeat, nulla est injuria: attamen si constaret venditori non posse emptorem quia simplex est, aut stupidus, vitium illud detegere, esset ipsi manifestandum.

Resol. 5. Eum, qui vendit rem vitiosam, ex qua damnum accidit emptori, v. g. ovem morbidam, ex qua aliæ inficiuntur, teneri ad omne interesse, si vitium non aperuit, cum sit vere causa totius damni. Aliud esset, si venditor vitium ignorasset, tunc enim sufficit ipsi partem pretii vitio proportionatam.

Resol. 6. Non minus culpabiles esse emptores, qui scienter emunt à rusticis, aut simplicibus res pretiosas pro vilibus, v. g. argentum pro stamno; ipsi enim tenentur non minus ac venditores in omnibus sincere & candide justitiam commutativam servare, & ideo quod diximus de venditoribus, debet ipsis cum proportione applicari.

2. Conditio est, quod inter rem & rem, vel inter rem & pretium servetur æqualitas: est autem duplex pretium, unum legitimum, & est illud quod est à lege, vel superiore, omnibus prudenter & attente consideratis, taxatum: aliud est naturale, seu vulgare, quod non à lege, vel superiore, sed ex communi hominum æstimatione constitutum est. Quia tamen diversa est hominum opinio, ideo patitur hoc pretium latitudinem pretii infimi, summi, & medii. *Infimum* est, infra quod non potest juste res emi. *Summum*, seu rigorosum, supra quod non potest juste res vendi: *medium*, supra quod juste potest res vendi usque ad summum, & infra quod potest juste emi usque ad infimum. Quantam autem patiatur latitudinem pretium vulgare, vix determinari potest: hoc tamen videtur certum, nempe res pretiosiores majorem pati latitudinem, viliores minorem: unde si pretium rei medium sit 10. supremum erit 11. infimum 9. eritque latitudo duorum graduum. Si autem medium sit 100. supremum erit 105. infimum 99. & erit latitudo 10. graduum.

Porro ut constituatur pretium vulgare, varia spectanda sunt, quorum aliqua concurrunt ad illud augendum, ut mercium raritas & necessitas, mercatorum copia, pecuniæ abundantia, labor, industria, vectigal, expensæ & pericula in obtinendis, vehendis, & conservandis mercibus: aliqua vero ad illud minuendum, ut mercium copia, mercatorum inopia, pecuniæ caritas, facilitas in obtinendis mercibus sine labore, periculo, tributo, &c. Ex dictis

Resol. 1. Peccare contra æqualitatem in his contractibus debi-

tam, qui frumenta, aut alia distrahunt ultra pretium à lege taxatum; quandoquidem non liceat pretium legitimum, utpote in indivisibili consistens, vel minimum excedere. Item & peccare illos contra justitiam, qui vel emunt infra pretium vulgare infimum, vel vendunt supra summum, non tamen eos, qui ementes pretio infimo, postea vendunt summo; quia non excedunt hi latitudinem justii pretii, sicut illi: possent tamen quandoque violare charitatem.

Resol. 2. Ementes infra pretium legitimum, seu legale, non tamen infra vulgare, non lædere justitiam; quia non censetur magistratus id emptoribus inhibuisse, cum fiat ordinarie pretii taxatio in favorem ementis, non vendentis: aliud esset, si facta foret in favorem utriusque.

QUÆSTIO II.

Quid negotiatio, an sit licita, & quibus?

CONCL. I. Negotiatio est emptio rei cum animo vendendi cum lucro; unde addit negotiatio supra emptionem & venditionem animum lucrandi: & hujus occasione quæritur, an sit licita: nam emptionem & venditionem simplices esse licitas, clamat totius orbis praxis & necessitas, quandoquidem, humano genere multiplicato, sit moraliter impossibile omnia necessaria per nudas rerum permutationes obtinere.

CONCL. II. Licita est per se negotiatio. Est communis & certa.

Ratio est; quia est res de se indifferens, potestque ad finem honestum ordinari; ut, si fiat ob utilitatem publicam, ob familiæ sustentationem, &c. unde *si malus fuero*, inquit Aug. in psal. 70. v. 16. *non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea*, quia vitia negotiationis non sunt artis, sed hominis.

Obj. 1. Illud Apost. 1. ad Tim. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*: atqui id intendunt mercatores: ergo, &c.

Resp. dist. min. Id intendunt mercatores qui, volunt lucrum tamquam finem, C.; & ideo peccant saltem venialiter. Qui volunt lucrum tamquam stipendium laboris, & industriæ; N.

Obj. 2. Chrysost. hom. 38. operis imperfecti in cap. 21. Matth. sic loquitur: *Homo mercator vix, aut numquam potest Deo placere, & ideo nullus christianus debet esse mercator.*

R. Ad hunc locum & similia Patrum, & canonum, tamquam reprehendi mercatores, qui finem ultimum in lucro constituunt, aut qui perjuriis, fraudibus, aut monopolis quæstum faciunt. Præterea homilia illæ non sunt D. Chrysostomi.

Obj. 3. *Negotiatio secundum se considerata quamdam turpitudinem habet.* D. Th. 2. 2. q. 77. art. 4. in corpore: ergo est illicita.

Resp. dist. ant. Habet turpitudinem positivam, N. ; negativam, seu secundum se caret honestate, quam ideo suæ negotiationi præfigere debet mercator, intendendo prolium sustentationem, pauperum subventionem, &c. C. ; hanc autem esse Doctoris mentem, patet ex iis, quæ subdit: *lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium.*

CONCL. III. Interdicta est religiosis & clericis negotiatio proprie dicta, seu illa, qua aliquid emitur, ut idem immutatum, carius vendatur, vel quæ sit ipsi affinis. Patet ex variis canonibus, & præsertim ex cap. *Secundum 6. Ne clerici vel monachi*, ubi legitur: *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur, & alibi suspenduntur.* Quas, & alias pœnas innovavit Trid. sess. 22. cap. 1. De reformat. Quamvis autem excommunicatio & suspensio ibidem assignatæ non sint latæ, sed ferendæ sententiæ; denotant tamen obligationem illam esse gravem, nisi excusentur propter materiæ levitatem, idest, propter unum aut alterum actum sine scandalo exercitum, eo quod jura non videantur singulos actus, sed potius artem negotiandi prohibere.

Ratio conclusionis est, quod videatur indecorum, Dei servitiæ specialiter mancipatis lucris temporalibus inhiare & animum à cælestibus ad negotia terrena deprimeret: unde Apost. 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Dixi in concl. *Negotiatio proprie dicta*, seu rigorosa; & ideo si quid emant, ut postea, re mutata, carius vendatur, non peccant: sicut nec quando emunt aliquid vili pretio, ut postea amicis, aut pauperibus sine lucro distribuatur, cum primo casu sit negotiatio large sumpta, quæ in odiosis non venit nomine negotiationis, secundo autem sit animus bene faciendi, non lucrandi. Ex dictis

Resol. 1. Peccare clericos, & monachos, qui dant pecuniam ad societatem, ut inde lucrum cum aliis sociis reportent, quandoquidem omnes ad contractum societatis concurrentes dicantur negotiari, sive pecuniam ministrent, sive operam, sive industriam, sive aliud.

Resol. 2. Similiter reos esse conducentes prata, agros, vineas, ut fructus vendant, sicque quæstum faciant; quia licet non sit negotiatio rigorosa, est tamen ipsi affinis. Aliud esset, si haberent agros proprios, etiam ut fructus venderent, cum hoc nullatenus reputetur negotiatio.

Resol. 3. Non esse illis interdictum ferrum, argentum, aurum, colores, aut alias materias sibi comparare, ut inde fabricent artefacta, v. g. horologia, sigilla, cruces, picturas & alia hujusmodi postea vendenda, modo tamen illa non fiant publice, aut aperta officina.

Ratio est, quia in illis non intervenit negotiatio proprie dicta: unde Apostolus jam creatus Episcopus artem scenofactoriam exercebat, veteresque monachi sportas conficiebant, ut se suosque alerent.

Resol. 4. Quod possint animalia macilentia emere, ut in suis prædiis saginata, vendantur, sicut & greges nutrire, ut ex lacte, lana; & fetibus lucrum reportetur, cum nihil sit aliud quam agrorum suorum fructus vendere.

Resol. 5. Posse etiam illa, quæ ad usus proprios emerant, vendere cum lucro, quandoquidem emere, & carius vendere præcise, non sit negotiatio prohibita, sed vilius emere animo carius vendendi.

Resol. 6. Præfatos negotiantes non violare justitiam, adeoque nec teneri ad restitutionem, cum negotiatio sit tantum ipsis illicita, non invalida.

Q U Æ S T I O I I I .

Quid dicendum de negotiatorum monopolis?

Monopolium, quod est nomen græcum, idem sonat quod *solus vendere*, ideo monopolæ ratione conventionis, aut conspirationis habent se tamquam unus venditor, aut unus emptor, eo quod inter se decreverint non nisi uno pretio vendere, aut emere: unde definiiri potest monopolium, *venditio facta ab uno, vel à pluribus per modum unius.* Sub quo comprehendere & emptionem similiter factam.

Porro quadrupliciter fieri potest monopolium: 1. Obtinendo à Principe, aut magistratu, ut unus solus vel pauci certum genus mercium possint vendere. 2. Dum aliqui efficiunt certo stratagemate, ut aliæ merces in urbem non introducantur, sicque suas carius distrahant. 3. Dum plures mercatores inter se conveniunt de non vendendis, aut emendis mercibus, nisi tali pretio. 4. Dum unus aut pauci coemunt omnes merces, v. g. omnia frumenta, ut, aliis ab ipsis dependentibus, illa vendant eo pretio, quo voluerint.

CONCL. I. Monopolium 1. modo non videtur illicitum, si concedatur à Principe ex justa causa, v. g. ad remunerandos labores ob bonum reipublicæ susceptos, vel quia expedit bono communi, ut unus, & non plures tale genus mercium distrahant. Illo tamen casu taxandum foret pretium, præsertim in rebus vitæ necessariis, ut pane, vino, carne, cerevisia, oleo, panno, &c. ne immoderata vendentis aviditas populum excoriaret.

CONCL. II. Monopolium 2. modo injustitiam continet, imponitque monopolis onus indemnizandi tum ementes, tum alios mercatores, merces suas in urbem invehere prohibitos.

Ratio est, quia sunt vere causa omnium damnorum, quæ illi

inde patiuntur, cum jus habeant cives, ne per vim, aut fraudem impediatur ipsis mercium abundantia, sicut & negotiatores, ne mercaturam suam exercere prohibeantur. Aliud esset, si interdiceretur ingressus extraneis, ut cives, aut vicini merces suas commodius venderent, quia possunt senatores subditos suos extraneis præferre, præsertim cum hi deberent pecuniam ex provincia asportare.

CONCL. III. Etiam illicitum est monopolium 3. generis. Patet ex L. unica. Cod. *De monopolis*; ubi inhibetur sub pena prescriptionis omnium bonorum, & exilii perpetui, ne mercatores inter se conveniant de non vendendis aut emendis mercibus, nisi constituto ab ipsis pretio.

Ratio est, quia per hoc læditur emptorum, aut venditorum libertas. Sed difficultas est, an monopolium illud sit contra justitiam, quando monopolæ nec vendunt supra summum pretium, nec emunt infra infimum: negant plurimi; eo quod tunc vendant, aut emant justo pretio; affirmant tamen aliqui quorum sententia videtur nobis probabilior. Ratio est, quia jus habent cives ne cogantur emere summo pretio, aut vendere infimo, sed per tale monopolium ita coguntur: ergo. Unde intervenit ibi quædam vis moralis, qua cives, qui potuissent emere, aut vendere pretio medio obligantur emere summo, & vendere infimo; per vim autem aliquem deturbare à suo jure, injustitia est, ut suo loco diximus.

Obj. 1. Independentè à monopolio potuissent vendere summo pretio, & emere infimo: ergo & illo stante.

R. Totum esse verum, non enim dicimus peccare contra justitiam, quia vendunt summo, aut emunt infimo: sed quia alios cogunt summo emere, & vendere infimo: quæ sunt valde disparata.

Obj. 2. Non est injustum convenire de eo quod licitum est facere, sed possunt mercatores vendere summo & emere infimo, ergo possunt de eo inter se convenire sine injustitia.

R. dist. maj. non est injustum convenire de eo, &c. quando per hoc non imponitur aliis necessitas injuriosa, C.; quando imponitur, N.

Obj. 3. Qui violant justitiam, tenentur ad restitutionem, sed tales monopolæ non tenentur restituere; quandoquidem vendiderint aut emerint justo pretio: ergo, &c.

R. Teneri restituere, non propter excessum, aut defectum in pretio, sed propter injuste ablatam à civibus libertatem emendi infra summum, aut vendendi supra infimum, quæ restitutio facienda est juxta spem majorem aut minorem, quam habent cives emendi viliori pretio, aut vendendi cariori.

Obj. 4. Si Petrus daret consilium Paulo vendendi summo pretio, non læderet justitiam: ergo nec lædunt monopolæ id invicem facientes.

R. Concesso ant. dist. conseq. Ergo nec monopolæ, si tantum sibi consiliunt dent, C.; si de eo faciendo, contractu, aut juramen-

to se obligent, N. Ratio disparitatis est, quod per consilium nulla vis inferatur emptoribus, cum per hoc nulla sit mercatoribus obligatio: secus per contractum, aut juramentum; quandoquidem obligatis monopolis, obligentur, adeoque moraliter cogantur emptores. Ex dictis

Resol. 1. Hujus monopolii reos esse artifices, qui inter se conveniunt de non consummando opere ab aliquo ipsorum inchoato, ut sic cogatur dominus ab eo, qui opus inchoavit, dependere. Et idem est, si id faciant de operarum suarum locatione.

Resol. 2. Non minus esse culpabiles illos, qui mutua conventionem spargunt rumore, aut litteras fingunt, quibus persuadere conantur, naves mercium esse ab hostibus captas, aut à mari absorptas, ut sic sua carius distrahent.

Resol. 3. Hoc peccato esse infectos vendentes subhasta, si apponant certas personas, quæ plus offerant, ut aliis ulterius ascendentibus, carius vendant.

CONCL. IV. Monopolium 4. generis lædit justitiam, imponitque restitutionis obligationem.

Ratio est, quia quando sic coemunt monopolæ omnia frumenta v. gr. in urbem invecta, sicque privant alios emendi facultate, ut ipsimet carius illa distribuunt, violentiam, adeoque injuriam faciunt communitati. Accedit quod vendant pretio excessivo; quandoquidem non pluris valeat frumentum congregatum apud monopolas; quam valeat divisum apud plures mercatores; quia si paucitas mercium inducat caritatem, non tamen paucitas venditorum, ubi æqualis est mercium copia.

QUESTIO IV.

An liceat rem pluris vendere ob dilatam solutionem, aut minoris emere ob eandem anticipatam?

CONCL. I. Non est licitum, secluso titulo, rem pluris vendere ob dilatam solutionem, si excedatur pretium summum.

Prob. 1. Quia talis venditio continet usuram palliatam, quandoquidem vendere 100. credita pecunia id, quod tantum valet 90. idem sit ac dare 90. cum obligatione reddendi postea 100.: unde D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. *Quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi, id est, solutionis, expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.*

Prob. 2. Vel recipitur excessus pretii pro merce, vel pro absentia pecuniæ; neutrum fieri potest: ergo, &c. Non pro merce; quia ultra summum pretium vendere, injustitia est, ut antea diximus: non pro absentia pecuniæ, cum non sit pretio æstimabilis, eo quod tanti valeat pecunia credita, quanti numerata.

Dixi in conclusione: *secluso titulo*; si enim ex dilata solutione

lucrum cesset; aut damnum emergat venditori, potest tuta conscientia aliquid titulo proportionatum recipere, modo tamen emptori id manifestaverit: hinc ubi credit aut suspicatur mercator, quod nollet emptor incommodum lucri cessantis, aut damni emergentis emere, si illud cognosceret, tenetur id ipsi manifestare, vel certe non potest ideo carius vendere.

Addidi: *Si excedatur pretium summum*; quia si mercator ob solutionis dilationem carius quidem vendat, quam venderet numerata pecunia, sed tamen intra latitudinem justii pretii, non peccat contra justitiam, cum eo pretio vendat, quo potest numerata pecunia vendere.

CONCL. II. Non licet etiam, sine titulo, ob anticipatam solutionem infra pretium infimum emere.

Ratio est, quia non minus intervenit hic usura palliata, quam in casu primæ conclusionis: unde D. Th. loco cit. *Si quis emptor velit emere rem vilius, quam sit justum pretium, quod pecuniam ante solvit quam possit res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Sed potestne anticipata solvens vilius emere, si timeatur, ne merces tempore traditionis minoris valituræ sint? Potest, non ratione anticipatæ solutionis, sed periculi, cui se exponit; cum hoc sit pretio æstimabile. Sicut potest ille, qui merces suas erat in aliud tempus servaturus, vel in alium loquum transportaturus, in quo carius venderentur, tunc pluris eas vendere, non ratione anticipatæ traditionis, sed ratione spei postea, aut alibi carius vendendi.

Petes, an liceat debitum, actionem, vel obligationem minoris emere?

Resp. Cum distinctione: vel enim præfata ita sunt liquida, fundata, & à talibus personis dependentia, ut sine difficultate, periculo, & expensis valeant discuti, aut recipi, vel non: si primum, usuraria est emptio, cum nihil sit aliud, quam dare nunc 40. v. g. ut recipiantur intra annum aut duos 50. & in hoc vitium impingunt divites illi, qui à pauperibus jus suum prosequi, aut solutionis tempus expectare non valentibus, debitum aut obligationem emunt pretio minuto: si secundum, licita est emptio, modo pretii minutio æquivaleret difficultatibus, periculo aut expensis sustinendis; quia talis actio, aut debitum non censetur nunc, attento prudentum judicio, pluris valere. Sed quid si debiti emptor prævideret se ratione amicitiae, societatis, aut aliunde nullas difficultates passurum? Equidem posset illud minoris emere, si solutio secundum se sit difficilis & periculosa, nec reputetur communiter pluris valere. Ratio est; quia debitum illud tanti emit, quanti valet secundum prudentem hominum existimationem: unde non recipitur hic lucrum ratione mutui, sed ratione emptionis secundum se quidem periculosa, sed emptori favorabilis; ac ideo quod nullas difficultates sit pas-

surus pro obtinenda solutione, ejus bonæ fortunæ imputandum est.

Dices: solutio illa à parte rei non est periculosa: ergo non licet debitum minoris emere.

Resp. dist. antec. Non est periculosa, attentata ementis industria, C.; secundum se, N., & hoc sufficit, ut emptio illa sit licita: hocque patet in nauta, qui potest navigationem secundum se periculosam majori pretio suscipere, licet ipse ob industriam non timeat periculum.

Q U Æ S T I O V.

An vendens aut emens nomine alterius possit aliquid sibi retinere?

Per vendentem alterius nomine hic intelligo proxenetam, seu illum, cui commissa est venditio determinato pretio: ita ut prohibeatur minoris vendere, possit tamen pluris, modo servet pretium justum. Quod fieri potest tripliciter, 1. Si mercator dicat proxenetæ, *vel merces referas, vel 100 florenos.* 2. Si injungat simpliciter, ut vendat 100. 3. Si pluris vendenti relinquat augmentum terminis expressis. Posse 1. & 3. casu augmentum retinere proxenetam, docetur satis communiter, quamvis in 1. videatur aliquod dubium ex modo loquendi, aut ex aliis circumstantiis determinandum. De secundo casu inquirimus.

CONCL. I. Non potest vendens alterius nomine augmentum retinere. Est communis & certa.

Ratio est; quia nullo titulo debetur illi augmentum illud: non quidem ratione rei venditæ, cum non sit sua; non etiam ratione industriæ, aut laboris; quia si conventio præcessit, debetur ipsi ideo stipendium, si non præcessit saltem implicite, nihil debetur ipsi ex justitia, sed tantum ex congruo.

Dices 1. Si dominus voluisset habere totum pretium, nihil determinasset; ergo ubi pretium determinat, censetur augmentum relinquere proxenetæ.

Resp. Dominum pretium determinare, ut non minoris vendatur, non autem ut auctarium cedat vendenti, si juste possit pluris vendere. Dico *si juste*, quia si pretium justum excedat vendendo, excessus restitui debet, non domino, sed emptori.

Dices 2. Ubi dominus nihil promittit proxenetæ, præsumitur augmentum ipsi relinquere.

Resp. Id male præsumi, sed è contra præsumendum est dominum, utpote rationabilem, daturum postea mercedem laboris, quod si fallat, deinceps vel est antea conveniendum, vel non serviendum.

Sed quid si proxeneta emat ipsemet merces pretio à mercatore determinato, & postea revendat tamquam suas pretio altiori? Potest lucrum retinere, cum possit eodem pretio emere, quo potest alteri vendere; non posset tamen retinere, si dixisset dominus, ut non

venderet quidem pretio minori, conaretur tamen vendere altiori; nisi certe emisset sibi in circumstantiis, in quibus non poterat ab aliis plus obtinere.

CONCL. II. Eodem modo loquendum est de emente alterius nomine, ac de vendente, & consequenter si prætextu laboris, aut industriæ aliquid retineat, injustitiam committit obnoxiam restitutioni, cum sit par ratio in uno, ac in altero: & hinc

Resol. 1. Sartores, quibus injungitur emptio accessorium ad vestem, non posse quidquam ideo retinere. Ratio est 1. quia vix aut ne vix damnum patiuntur ob insumptionem temporis, cum sit modica, & aliunde censeatur compensata in salario, quod pro vestis confectione recipitur. 2. Quia non est mens illius qui utitur opera sartoris, ut ideo aliquid retineat, immo ita hac de re persuassus est ipsemet sartor, ut nollet committentem scire quidquam de retentione. 3. Quia si committens conscius esset retentionis, non sartori, sed alteri, qui gratis id exequeretur, committeret.

Resol. 2. Non esse tamen condemnandos sartores, si ex eo, quod pro emendis vestium accessoriis frequenter accedant ad aliquam officinam, recipiant quandoque certa munuscula, modo (quod serio notandum est) non emant ideo cariori pretio, aut merces viliores. Ratio est; quia cum dona illa supponantur omnino gratuita, nullatenus nocent iis, à quibus committuntur.

Q U Æ S T I O V I.

Quid dicendum de variis emptionem aut venditionem concernentibus?

Petes 1. An liceat venditio subhasta? per venditionem subhasta intelligimus illam, quæ fit publicis auctionibus in platea, aut foro; ita ut unus offerat 10. alter 15. tertius 20 & sic paulatim ascendendo, donec plus offerenti relinquatur res venditioni exposita.

Resp. Licentiam esse seclusa fraude ex parte ementis & vendentis, licet res quandoque pluris quandoque minoris, quam valeat, vendatur. Ratio est; quod ex tacita quasi conventionem partium censeatur fieri mutua condonatio, casu quo interveniat inæqualitas inter merces & pretium; unde non est solitum contra similes venditiones reclamare quantumcumque fuerit læsus emptor, aut venditor, cum uterque exponatur periculo: & ideo dici potest hoc casu rem tanti valere, quam vendi potest.

Dixi, *seclusa fraude*: si enim venditor interponat secretos certos auctores, ut obligentur ementes ulterius ascendere; vel etiam conveniant inter se emptores de certa auctione, ultra quam non ascendatur, justitia læditur, estque onus proportionate ad fraudem restituendi.

Petes 2. An sciens minuendum esse mercis prætium possit il-

lam vendere pretio currenti; & idem est è contra, si sciatur minuendam esse monetam?

Resp. affirmative: quia quamdiu mercis pretium non est minutum, res tanti valet: unde solum dici potest quod res minoris valebit, non quod jam minoris valeat, cum pretium necdum sit minutum, & ideo si quis adfuisset in domo civica, immo intervenisset, cum decreta est pretii diminutio, posset merces suas ante decreti publicationem pretio currenti distrahere, modo tamen ex fraude, vel dolo non fuisset auctor decrementi. Potest tamen quandoque lædi charitas, præsertim si moneta, aut merces distraherentur egenis.

Petes 3. An liceat tempore messis frumentum, aut tempore vindemiæ vinum vili pretio accumulare, ut vendatur pretio cariori?

Resp. Licere si fiat intentione honestæ negotiationis; secus si ex animo penuriæ inducendæ; quia tunc intervenit non tantum animus avaritiæ, sed etiam cujusdam crudelitatis in proximum, & communitatem, quam volunt à se quod necessaria dependere, & quidem eo pretio, quo ipsi placuerit.

Petes 4. An læsus vendendo, aut emendo possit contractum rescindere?

Resp. Posse in foro externo, si læsus sit ultra dimidium justipretii, non autem ubi minor est læsio. Patet ex cap. *Cum delicti*, 3. *de emptione & venditione*; in foro autem conscientiæ, ubi quis vendendo excessit, vel emendo defecit in pretio justo; licet non excesserit, vel defecerit ultra dimidium, debet vel contractum rescindere, vel æqualitatem inter rem & pretium ponere, etiamsi læsus non conqueratur: quia, ut docet D. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. *Carius vendere vel emere rem, quam valeat, est secundum se injustum & illicitum.*

Petes 5. An liceat venditio cum pacto retrovendendi? id est, an possim vendere obligando emptorem, ut mihi revendat intra certum tempus, vel emere obligando venditorem, ut à me vicissim emat, quando mihi libuerit?

Resp. affirm. quoad utrumque: modo inter venditum & emptum servetur æqualitas. Primum patet tum ex Levitici 25. ubi præcepit Dominus ut omnes terræ populi Israel sub conditione redemptionis venderentur; tum ex censibus, qui venduntur cum pacto implicito redemptionis; ubi autem adest facultas in venditore redimendi, adest obligatio in emptore revendendi cum sit reciproca. Illo tamen casu res debet minoris vendi, eo quod imponatur onus emptori revendendi, quod est pretio æstimabile.

Secundum etiam patet, quia si possum obligare emptorem ad revendendum, quidni possem venditorem ad redimendum, cum sit par ratio? tunc tamen potest venditor rem suam carius vendere ob gravamen redemptionis.

Petes 6. An valeat contractus *mohatra vel baratra*.

Rem pono in exemplo: aliquis indiget pecunia, quam non potest

habere mutuo; convenit mercatorem, à quo emit credito merces pretio summo, v. gr. 100. & 10. cum pacto revendendi pretio infimo numerata pecunia, v. g. 100. quæritur an hoc sit licitum?

Resp. neg. Sed est usura palliata: cum nihil sit aliud, quam mutuare 100. cum obligatione restituendi postea 100. & 10. unde damnavit hanc propositionem Innoc. XI. *Contractus molatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Etsi autem in hoc contractu numquam excusari possit venditor, utpote usurarius, potest tamen quandoque emptor, si id faciat gravi pecuniæ necessitate compulsus, ut dicemus in disp. de usura.

Petes 7. An res illæ, quæ non habent pretium legitimum, aut vulgare determinatum, ut sunt aves indicæ, flores, picturæ antiquæ, gemmæ extraordinarie, &c. tanti valeant, quanti vendi possunt? Affirmant aliqui, sed rectius negant alii, volentes illarum pretium petendum esse à communi æstimatione peritorum in similibus, attentis omnibus circumstantiis industriæ, raritatis, preciositatis, pulchritudinis, periculi, laboris, &c. alias posset venditor rem, quam credebat valere 10. vendere 100. si animadverteret aliquem velle ipsam habere quocumque pretio.

Petes 8. An aurifabri teneantur emendo quædam artefacta aurea, vel argentea computare artificium, si adhuc sint vendibilia, adhibito modico labore.

Resp. ordinarie neg. quia non tenentur illa emere, nisi secundum id, quod communiter æstimari solent; illud autem est pondus, non labor aut artificium.

Dixi: *Ordinarie*; quia si tantum esset artificium, ut pluris æstimeretur, quam ipsa materia, habenda esset aliqua ratio artificii.

Petes 9. An ea, quæ emuntur pecunia Petri, v. g. sint Petri, vel emptoris?

Resp. Regulariter esse emptoris, si emat proprio nomine. L. Si ex ea 6. Cod. De rei vindicatione.

Dixi: *Regulariter*; quia empta pecuniis Ecclesiæ, militis, pupilli, aut minoris, fiunt ipsorum.

Petes 10. An venditio rei alienæ sit valida?

Resp. Validam esse quoad translationem pretii, non quoad translationem rei. Ratio prioris est, quod leges decernant talem venditionem esse validam; sed non est valida quoad translationem rei, ut jam dicemus: ergo quoad translationem pretii. Ratio posterioris est, quod non possit quis in alium transferre, quod non habet, adeoque rei dare dominium, qui rei non est dominus.

Petes 11. An si mercator affirmet mendaciis, aut perjuriis rem sibi tanti constitisse, aut tanti aliis vendidisse, & ideo sit in causa, cur emptores emant quidem pretio justo, sed summo, teneatur ad restitutionem?

Resp. Si emptores, seclusis illis mendaciis aut perjuriis, non erant

tanto pretio empturi, aut ivissent ad aliam officinam, in qua emissent pretio inferiori, teneri mercatorem tantum refundere, quantum per hoc attullit ipsis detrimenti, cum sit totius damni causa moralis.

Petes denique, quid dicendum de mercatoribus illis, qui vendendo, duplo plus exigunt quam valeant merces sub pretextu, quod emptores longe minus sint oblaturi?

Resp. Si sint ita dispositi, ut, quidquid emptor oblaturus est, sint recepturi, licet ultra pretium summum, esse in continuo statu peccati, cum sint semper parati, ubi poterunt, justitiam lædere.

Q U Æ S T I O V I I.

Cui res post venditionem pereat, deterioretur, aut melioretur?

CONCL. I. Res vendita perit, deterioratur, aut melioratur emptori, si sit tradita.

Ratio est; quia regulariter res perit, deterioratur, &c. domino; atqui emptor per traditionem fit rei dominus: ergo. Ut autem censeatur sic facta traditio, ut res transeat in dominium emptoris, debet non solum venditor rem tradidisse, sed etiam emptor pretium solvisse, aut quasi solvisse, idest, sic ut venditor habeat pretium pro soluto, v. g. quia fudit emptori, pignus accepit, aut ei fidejussor datus est: unde si post venditionem res sit tradita, sed pretium non solutum, aut pretium solutum, sed res non tradita, dominium rei manet penes venditorem, qui potest illam, ubicumque invenerit vindicare; ipsique tamquam domino imputantur omnia rei commoda, vel incommoda, modo tamen non interveniat culpa ex parte emptoris. Hujus ratio est, quod secundum jura contractus non censeatur omnimode completus, nisi facta utrimque traditione, nimirum pretii ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris. Plura circa hoc vide in tractatu de restitutione.

CONCL. II. Seclusa conventionione in contrarium, nec non culpa & mora venditoris, res in individuo vendita, & determinata, ut hic ager, hæc ovis, &c. perit, deterioratur, & melioratur emptori, etiam ante traditionem. Patet ex Institut. De emptione & venditione, §. Cum autem.

Ratio est; quia etsi venditio sine traditione non transferat rei dominium, jura tamen statuere justis de causis, v. g. ne emptor negligeret procurare sibi rem emptam, ut rei emptæ commoda & incommoda cederent emptori.

Dixi 1. *Seclusa conventionione in contrarium* si enim aliter conventum est, conventioni standum est.

Dixi 2. *Nec non culpa*; quia si ob culpam venditoris res perierit, fuerit deteriorata, aut confiscata, cedit omne damnum venditori, qui tenetur circa rei venditæ custodiam ita se gerere, sicut commodatarius circa rem commodatam.

Dixi 3. *Et mora venditoris*; quia post moram culpabilem in tradendo, subit omne periculum venditor, nisi certe fuisset similiter apud emptorem peritura.

CONCL. III. Ubi venditur res determinata quoad speciem, sed indeterminata quoad individuum, v. g. bos ex armento, perit quoad substantiam venditori, quamdiu non est tradita.

Ratio est: quia juxta L. *Quod sæpe*. 35. ff. *De contrahenda emptione & venditione*: res indeterminata non censetur vendi absolute, sed sub hac conditione, *si tradatur*: sicut ex eadem lege, res quæ venditur ad mensuram, numerum, aut pondus, non venditur, nisi conditionate, *si mensuretur, si numeretur, si ponderetur*.

Dixi; *Perit quoad substantiam*, nam deterioratio & melioratio intrinseca, aut extrinseca afficiunt emptorem; quia venditor tantum se obligavit ad exhibendam rem talem, qualis erit tempore traditionis, & consequenter si res deterior facta est vel in se vel ob pretii decrementum ante traditionem, mensurationem, &c. mala est fortuna emptoris, si è contra meliorata est vel in se vel in pretio, bona est ejus fortuna. Ex dictis

Resol. 1. Ubi venditus est acervus tritici, dolium vini, aut grex ovium ad corpus, id est sine mensuratione, aut numeratione, totum, antequam mensuretur, aut numeretur, perire emptori; quia tunc venditur res determinata: si autem venditum sit triticum, aut vinum ad mensuram, v. g. singulo modio ad tres florenos æstimato, aut singulo poculo ad 20. asses, totum perit venditori, quia tunc non censetur res determinata, nisi per mensurationem.

Resol. 2. Si vinum venditum, ante traditionem aut mensurationem acescat, si frumentum corrodatum vermibus, si boves, aut equi fiant macilenti, si eorum pretium decrescat, idque sine culpa, aut mora venditoris, incommodum illud obvenire emptori, sicut obvenit illi commodum, si vinum fiat generosus aut carius, &c.

Petes 1. An si mercator vendidisset 10. aut 12. oves indeterminatas, & grex, ex quo intendebat illas sumere, pereat, teneatur ex aliis gregibus illas providere?

R. affirm. quia cum illa intentio non fuerit emptori manifesta, censetur se obligasse ad illas sumendas ex quolibet grege. Aliud esset, si unicuique gregem haberet, aut ex hoc grege sumendas determinasset: tunc enim satisfaceret pretium reddendo.

Petes 2. An si ex grege determinato vendita esset unica ovis indeterminata grege pereunte; periret ovis illa emptori? Affirmat Sittvester volens, translatum esse vage illius dominium in emptorem; sed probabilius est quod non, quia tam unica, quam plures indeterminate venditæ, non ceasentur plane traditæ, nisi numerentur.

DISPUTATIO VIII.

De mutuo & usura.

Materiam usuræ subjunxit Scotus contractibus permutationis, emptionis & venditionis, agens enim de mutuo ostendit illius injustitiam, quæ est ipsa usura, ad cujus cognitionem quasi unice tendit tractatus de mutuo. Nos illi, etiam quoad ordinem, adhaerentes, materiam illam (quam varii tractant, practicant plurimi, vix confitentur ulli) hic pro modulo nostro exponemus.

QUÆSTIO I.

Quid sit mutuum, & an semper obliget ad restitutionem?

CONCL. I. Mutuum (quasi ex meo tuum) est contractus in quo traditur quoad dominium & usum res consumptibilis constans numero, pondere, aut mensura cum obligatione restituendi postmodum similem in specie & qualitate.

Dicitur 1. *Contractus*, quod est genus, per quod convenit cum omnibus aliis contractibus.

Dicitur 2. *In quo traditur*; per hoc disconvenit à promissione, & aliis contractibus, qui non requirunt actualem rei traditionem.

Dicitur 3. *Quoad dominium & usum*; quia per mutuum res tradita, quæ mea erat, ita fit tua, ut possis de illa disporre in omnem usum, non minus ac si à 100. annis & plus illam possideres: unde potes illam vendere, donare, destruere, &c. et si pereat, crescat, aut decrescat, tibi perit, crescit, & decrescit.

Dicitur 4. *Res consumptibilis*, ut vinum, oleum, frumentum, sicut et pecunia, quæ dicitur consumi respectu utentis, non quidem physice, sed moraliter, in quantum desinit esse ipsius eodem modo, ac si desineret esse in rerum natura. Alii loco *consumptibilis*, ponunt *fungibilis*, eo quod ratione mutui res una substituatur pro altera, seu una fungatur vice alterius.

Dicitur 5. *Constans numero, pondere, aut mensura*: unde non omnis res consumptibilis, aut fungibilis est materia mutui, sed tantum illa, quæ secundum communem usum & consuetudinem datur vel ad pondus, ut carnes, vel ad mensuram, ut triticum, vel ad numerum, ut pecunia: unde quia liber, equus, arbor & similia, non solent ordinarie tradi ad pondus, numerum, aut mensuram, non reputantur materia hujus contractus.

Dicitur 6. *Cum obligatione*, & ideo differt mutuum à donatione, cum hæc nullam obligationem justitiæ imponat donatario; illud imponat mutuatario.

Dicitur 7. *Restituendi postmodum* id est tempore præfixo, aut, si nullum præfixum est, quando rationabiliter mutuarius à seipso, vel à mutuante interpellabitur, attentata rei mutuatae natura; cum aliqua plus, aliqua minus temporis concedat mutuatio: quod si ulterius differat sine præsumpta rationabiliter mutantis voluntate, tenetur tamquam debitor morosus ad omne interesse inde proveniens.

Dicitur 8. *Similem in specie*, & non in individuo, quia licet possit mutuarius eandem rem numero restituere, si non sit consumpta: ad id tamen non tenetur ex vi mutui, quod per hoc differt à commodato, precario & locato, quæ necessario restituenda sunt eadem numero. Dicitur etiam *similem in specie*, ut excludatur permutatio, in qua res diversæ speciei commutantur, v. g. vinum pro tritico, oleum pro panno, &c.

Dicitur denique: & *qualitate*, unde non satisfacit, qui reddit vinum novum pro veteri, album pro rubro, &c. nisi certe consenserit mutuans.

CONCL. II. Mutuum obligat semper, & generaliter omnem mutuarium ad restitutionem, nisi juris privilegio excipiatur.

Ratio est; quia seclusa illa obligatione, destruitur mutuum, induitque potius rationem donationis.

Excipiuntur autem 1. Ecclesiæ (quarum nomine veniunt monasteria & alia loca pia) illæ enim, nisi probaverit mutuans conversam esse pecuniam mutuata in Ecclesiæ utilitatem, non tenentur restituere, si propterea Ecclesiæ immobilia, aut pretiosa debeant alienare, quamvis acceptum fuisset mutuum auctoritate Prælati & Capituli, quia Prælato & Capitulo, & utriusque simul ablata est facultas similia alienandi: aliud esset, si mutuum posset ex mobilibus non pretiosis refundi: tunc enim urgeret restitutionis obligatio; etiamsi mutuans non probaret illud fuisse in Ecclesiæ utilitatem concessum. Colligitur ex cap. 1. *De solutionibus*. Ratio est; quia horum honorum plenam administrationem habet Prælati cum Capitulo.

Excipitur 2. Civitas cum iisdem limitationibus; volunt tamen aliqui Concilium civitatis (non aliquem ejus nomine) posse mutuum solvere etiam ex bonis immobilibus, eo quod non sit prohibita civitas hujusmodi bona alienare.

Excipiuntur 3. Minores, qui non tenentur ea restituere, quæ ipsorum nomine curatores, aut tutores acceperunt, nisi probet mutuans conversa esse in minorum utilitatem; imo si ipsimet minores sine tutoris licentia mutuum acceperint, non tenentur restituere, nisi in quantum ditiores facti sunt.

Excipiuntur 4. Filii & filia families per legem 1. & 2. ff. *Ad Senatus consultum Macedon.* qui etiam, postquam facti sunt sui juris, non tenentur restituere, saltem in foro externo. Quod tamen intelligendum est cum his limitationibus. 1. Nisi habeant bona castrensia, aut quasi castrensia, aut etiam adventitia, accedente pa-

tris consensu. 2. Nisi sint ipsi bona quædam data, aut relicta eo fine, ut mutuum solvant. 3. Nisi deceptus fuisset mutua nō credens bona fide mutuarium esse sui juris, eo quod talis haberetur à pluribus. 4. Nisi ex tali mutuo filius emisset libros, vestes, & alia suo statui proportionata, quæ erant à patre subministranda. 5. Nisi mutuum accepisset ex jussu & consensu patris, aut ipso sciente & non contradicente. Item si solebat pater filii debita solvere; quia tunc præsumitur illius consensus, sicut & quando mutuum convertitur in utilitatem patris. 6. Nisi mutuum factum esset in rebus à pecunia distinctis, puta, vino, tritico, &c. quandoquidem lex, quæ odiosa est, adeoque restringenda, tantum loquatur de pecunia mutuata; modo tamen secludatur fraus, quæ adesset, si ex tritico mutuo colligeretur pecunia. 7. Nisi filii sint milites, mutuumque acceperint tempore belli. 8. Nisi pater cœperit solvere mutuum à filio acceptum, aut etiam ipse filius sui juris factus. Denique tenetur restituere, si mutuum adhuc exstet, aut ex eo factus sit ditior; quia nemo debet ex alieno ditescere.

Dixi: *saltem in foro externo*; quia probabilius est teneri in foro conscientia; quandoquidem leges præfatæ negent quidem actionem mutuanti in filium familias mutuarium, sed contractum non irritent: quod signum est in sua virtute naturali remanere. Præterea cum lex illa sit odiosa, utpote obligationi naturali contraria, non est extendenda; sed potius restringenda. Nec dicas leges præbere per hoc filiis familias causam ruinæ spiritualis, quia eo ipso quo præcise negant actionem, & contractum, quem facile irritare poterunt non irritant; satis declarant se obligationem naturalem relinquere.

Q U Æ S T I O I I.

Quid sit usura, & quotuplex?

CONCL. I. Usura dupliciter sumitur, 1. Pro contractu. 2. Pro lucro ex tali contractu immediate proveniente: quo sensu dicitur usuram esse restituendam.

Usura primo modo est contractus, quo ex vi mutui exigitur aliquid ultra sortem tamquam debitum.

Dicitur 1. *Ex vi mutui*; si enim ex alio titulo justo aliquid exigatur, aut accipiatur, puta propter lucrum cessans, aut damnum emergens, non est usura.

Dicitur 2. *Ultra sortem*, seu capitale, id quod dedisti: unde si dedisti 100. & recipias 100. & 5. 100. sunt capitale, & 5. usura, seu fenus.

Dicitur 3. *Aliquid*, quodcumque illud sit, sive temporale, sive spirituale, sive pretio æstimabile, sive non, modo sit onus mutuatio; & ideo imponere alicui legem ad amandum, intellige amore speciali, usurarium esse docet Cælestinus: quod confirmare videtur Aug. Concione 3. in Ps. 36. v. 26. *Si feneraveris homini, idest*

mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plusquam dedisti, exspectes accipere, non pecuniam solam; sed aliud plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive quolibet aliud, si plusquam dedisti exspectes accipere, fenerator es. Unde quando D. Th. usuram in aliquo pretio æstimabili constituit, tantum vul sic ordinarie fieri, non quod non possit quandoque in alio consistere, v. g. in aliquo beneficio spirituali: & certe si usura est pretium aliquid ultra sortem exigere, à fortiori id exigere quod est supra omne pretium, quale est spirituale.

Dicitur 4. *Tamquam debitum*; quia si aliquid accipiatur ex mera mutuatarii liberalitate, non est usurarium: si enim possim ab alio, quidni ab eo, cui beneficium præstiti, aliquid liberaliter accipere?

Non addidi: *Tamquam debitum ex justitia*, quia etiam usura est, si aliquid exigatur tamquam debitum ex alio motivo, v. gr. ex gratitudine. Patet tum ex hac propositione ab Innoc. VI. proscripta: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum*: tum etiam quia alias soli stupidi usuram committerent, cum nihil sit facilius, quam dicere: *dabis mihi 5. ultra sortem, non quidem ex justitia, sed tamquam ex gratitudine debitum*: unde condolendum esset sæculis anterioribus, quibus tam favorabile quorundam casuistarum inventum fuit absconditum, per quod omnis usuræ ratio tollitur: illud sane non noverat August. supra, cum abstrahendo à justitia & gratitudine, dixit *si plusquam dedisti, exspectes accipere. . . . fenerator es*; nec noverat Ambrosius dicens libro de Tobia cap. 14. *Quodcumque sorti accedit, usura est.* Nec noverat Concil. Agathense Decr. 2. sic loquens: *Usura est, ubi amplius requiritur quam datur.* Ex hac definitione

Resol. 1. Usurarium esse ideo mutantem, ut alter desinat à lite justa, & cedat certo juri, ne ædificium altius attollat, ut fenestram aliquam obturet, ut beneficium, vel officium Ecclesiasticum conferat, si ista aliunde indebita in pactum deducantur; quia mutuataro onus imponitur sine titulo. Aliud esset, si mutuaret, ut desineret mutuatarus à lite injusta, ut solveret debita, &c. quia onus illud non oritur ex mutuo, sed aliunde.

Resol. 2. Te usuram committere, si ratione mutui obliges mutuatarium, ut frequentet tuam officinam, furnum, molendinum, &c. merces tuas emat, etiam eodem pretio, quod deberes illas alibi vendere. Item è contra, si ipsum obliges, ut vendat tibi merces suas pretio currenti, &c. Ratio est, quia etsi forte nullum damnum inde patiat mutuatarus, tollitur, tamen ejus libertas, quod est verum onus & gravamen.

Resol. 3. Idem esse, propter eandem rationem, si mutuando obliges alterum ad remutuandum postea, vel nunc in alia materia.

Dices 1. Mutuans, ut alter remutuat, servat æqualitatem: ergo non est usurarius.

R. neg. ant. Sicut enim ille mutuatur sine obligatione justitiæ, ita (ut servet æqualitatem) non debet alteri remutuandi obligationem justitiæ imponere; alias plus exigit quam dedit.

Dices 2. D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. sic loquitur: *Licet simul mutuanti unum aliquod aliud mutuuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuuum in posterum faciendum*; ergo saltem licet mutuatarium obligare, ut remutuat nunc in alia materia.

R. neg. conseq. Quia S. Doctor non vult ibi posse mutantem alterum obligare ad nunc remutuandum in alia materia, se posse recipere à mutuataro aliud mutuuum, nempe ex gratitudine; alias sibi contradiceret: si enim possit obligari mutuatarus ad nunc remutuandum, quidni & obligari ad remutuandum postea? Cum sit par ratio.

Dices 3. Possum dicere petenti mutuuum: *non mutuo tibi pecuniam, nisi mihi mutues frumentum*: ergo possum illum obligare.

Resp. neg. conseq. quia ibi nulla reperitur obligatio, sed manifestatio quod nolis alterum gratificare, nisi ab eo vicisim gratificeris.

CONCL. II. Usura dividitur in formalem seu apertam, & in virtualem seu palliatam. Prima est, quando intervenit mutuuum formale & expressum, ex quo lucrum recipitur, ut si dem 100. ut recipiam 100. & 5. Secunda est, quæ in aliis contractibus imbibitur, & ab ipsis, quasi pallio contegitur, ut dum præcise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de justo pretio detrahatur, aut supra justum pretium exigitur.

Dividitur etiam usura in realem & mentalem: realis est dum exterius contrahitur explicite vel implicite de lucro ultra sortem vi mutui recipiendo. Mentalis, est, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum. Aliter sumitur usura mentalis (de qua hic non est sermo) pro intentione mutuandi cum usura, sicut intentio fornicandi dicitur fornicatio mentalis.

Juris-periti dividunt usuram in lucratoriam, compensatoriam, punitoriam. 1. Est de qua sola agunt theologi, qua percipitur lucrum ex mutuo. 2. Qua exigitur aliquid ultra sortem ratione justis interesse, quod patitur mutuans. 3. Qua imponitur pœna mutuataro in solvenda sorte moroso.

Q U Æ S T I O I I I.

Quo jure prohibeatur usura?

CONCL. I. Usura est jure humano tam civili, quam canonico prohibita: civili quidem, quia etsi antiquum videatur usuras moderatas respectu certarum personarum admittere; illas tamen damnat & prohibet jus novum tam commune, quam particulare: canonico autem, ut patet ex decreto d. 47. c. 2. & Decretalium. L. 5.

tit. 19. *De usuris* L. 6. decretalium; eodem titulo, & præsertim ex Clem. unica. *De usuris*. §. ultimo, ubi legitur: *si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esset peccatum, decernimus velut hereticum puniendum.*

Confirmatur utriusque juris prohibitio ex pœnis, quas in usurarios publicos statuerunt. 1. Excommunicantur laici, suspenduntur clerici cap. *Præterea* 7. *De usuris* & licet excommunicatio in usurarios publicos ex jure communi sit tantum ferendæ sententiæ; statutis tamen synodalibus diœcesis Camerac. anno 1686. tit. 23. c. 1. & Tornacensis anno 1600. tit. 23. cap. 1. declaratur latæ sententiæ. 2. Privantur communione, & ecclesiastica sepultura, decreta in clericos contra facientes suspensionis pœna. 3. Prohibentur testamentum condere, nisi usuras restituerint, aut de earum restitutione cautionem dederint. 4. Declarantur ipso jure infames, saltem ubi excesserint modum usurarum jure antiquo civili permissum.

CONCL. II. Etiam prohibetur usura jure divino tam veteri, quam novo: veteri siquidem vocatur *justus*, Ezechielis 18. *qui ad usuram non commodaverit*, & Psal. 14. Dicitur habiturus in monte Domini *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*: ergo è contra qui pecuniam dat ad usuram est injustus, cœloque privandus; immo Ezechiel cap. 22. exponens peccata, quæ Dei iram concitantur contra Israel: *usuram*, inquit, & *superabundantiam accipienti*. Idem patet ex Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram*: & Exod. 22. *Nec usuris opprimes populum meum*. In novo autem testamento præter ea generalia præcepta, quibus rapina, furtum, proximi oppressio, injuria, &c. prohibentur, expresse dicitur Lucæ 6. *mutuum date nihil inde sperantes*: unde Concil. Lateranense sub Alex. III. *usuras*, inquit, *utriusque testamenti pagina detestatur*.

Dices 1. Deuteron. 23. Dicitur: *non fœnerabis fratri tuo ad usuram . . . sed alieno*, & cap. 21. *fœnerabis gentibus*: ergo saltem in lege veteri erat licita.

Resp. DEUM hoc quandoque permisisse judæis, non vi mutui, sed vi donationis, transferendo scilicet tamquam supremus omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in judæos; sicut donavit ipsis ægyptiorum spolia, quæ commodato acceperant.

Dices 2. CHRISTUS Lucæ 19. exponit parabolam domini corripientis servum, quod minam suam non dederit ad usuram: ergo usuram approbat.

Resp. neg. consequ. Tantum enim intendit ibi CHRISTUS (factum Domini narrando, non approbando) ostendere discipulis suis, quod sicut homines terrestres cum tanta sollicitudine utuntur bonis temporalibus ad lucrum transitorium, ita & illi cum majori sollicitudine debeant uti temporalibus & spiritualibus ad lucrum æternum.

Dices 3. Illud Lucæ 6. *mutuum date nihil inde sperantes*, esse consilii, non præcepti.

Resp. Esse quidem tantum consilii mutuum dare, saltem extra gravem necessitatem, esse tamen præcepti nihil inde sperare, ut patet ex conc. Lateranensi sub Leone X. ubi habetur: *Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obtrinxit, ne ex dato mutuo quidquam extra sortem sperare debeamus*. Idem docet aliud conc. Lateranense sub Alex III. Can. *usuris*, unde D. Th. 1. 2. q. 87. art. 1. ad 4. *Dare mutuum non semper tenetur homo: & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia sed quod homo lucrum de mutuo non quærat hoc cadit sub ratione præcepti*.

CONCL. III. Insuper jure naturali prohibita est usura. Est communis & certa. 1. Quia idem bis venditur, nempe centum pro centum, & iterum idem centum pro auctario, v. g. pro 6. aut 10. 2. Quia non servatur æqualitas, cum plus accipiatur quam detur. 3. Quia mutuans vendit quod suum non est, nempe rei mutuatæ usum juris, qui in pecunia & aliis usu consumptibilibus, idest, vino, tritico, &c. non distinguitur à dominio in mutuatarium vi mutui translato: præterea usus pecuniæ, sicut vini, frumenti, &c. non habet æstimabilitatem moralem supra valorem pecuniæ, vini, &c. secundum se. 4. Quia exceditur pretium justum, cum non pluris valeat pecunia præsens, quam absens, ut dicitur postea. Hæc autem omnia repugnant naturæ rationali: unde Covarruvias refert testimonium philosophorum gentilium, ut Aristotelis, Plauti, Cætonis, Ciceronis, Aristophanis usuram tamquam naturæ contrariam damnantium. Permiserunt quidem veteres juris-consulti certas usuras, sed vel id fecerunt ad vitiationem majoris mali; vel in hoc erraverunt, sicut fecerunt quidam theologi in mendacio.

Dices 1. Mutuans confert utilitatem mutuatario: ergo ratione illius potest aliquid requirere.

Resp. dist. ant. Confert utilitatem indistinctam à pecunia, C.; distinctam, N., unde si cum pecunia lucretur mutuatarium, provenit ex ejus industria, non ex utilitate à pecunia distincta; sicque præter pecuniam nihil recipitur pretio æstimabile.

Dices 2. Prævalet pecunia præsens absenti, cum per primam possim negotiari, non per secundam.

Resp. Prævalere non ratione sui, sed ratione lucri ex ea sperati; & ideo si fundate expectet mutuans ex sua pecunia lucrum faciendum, potest ratione illius lucri cessantis, non ratione pecuniæ, aliquid recipere.

Dices 3. Potest aliquid recipi pro usu domus: ergo & pro usu pecuniæ.

R. Disp. esse, quod usus domus, utpote ab ejus dominio separabilis, sit pretio æstimabilis, non sic usus pecuniæ à pecunia indistinctus.

Q U Æ S T I O I V.

Ex quibus titulis possit exigi aliquid ultra sortem?

Varios pro palliandis usuris adinvenit titulos insatiabilis hominum cupiditas qui si omnes sufficerent, soli stupido & ignaro possibilis esset usura. Numerantur ergo 1. Labor in pecunia numeranda. 2. Onus mutuandi. 3. Difficultas in recuperando capitali. 4. Carentia pecuniæ. 5. Obligatio non repetendi sortem, nisi post certum tempus. 6. Utilitas pecuniæ præsentis supra absentem. 7. Periculum amittendæ sortis. 8. Lucrum cessans. 9. Damnum emergens. De quibus sequentibus articulis.

A R T I C U L U S I.

Rejiciuntur sex primi tituli.

CONCL. I. *Labor in numeranda pecunia non est sufficiens titulus, ut aliquid recipiatur ultra sortem. Est certa.*

Ratio est, quia labor ille est intrinsecus mutuo, cum nunquam detur mutuum pecuniarium, nisi numerata pecunia: unde mirum esset quod leges omnes tam stricte usuram prohiberent, si titulus ille sufficeret, quandoquidem generaliter concurrat in omni mutuo pecuniario.

CONCL. II. *Nec titulus est sufficiens onus mutuandi.*

Ratio est. 1. Quia onus illud, si quod sit, est actus benevolentiae, qui non reputatur pretio æstimabilis. 2. Si actus ille sit onus mutuandi, est etiam onus mutuataro obligatio sortem restituendi, sed hic non potest pro illo onere sortem minuere, ergo nec ille pro onere mutuandi aliquid ultra sortem petere. 3. Ille qui se obligavit ad vendendum justo pretio, non potest ratione istius obligationis aliquid exigere: ergo nec à fortiori qui mutat sine tali obligatione.

Dices. 1. Obligatio remutuandi est onus pretio æstimabile, quandoquidem mutuator obligans mutuarium ad remutuandum dicitur à S. Thoma & aliis usurarius, ergo & obligatio mutuandi.

R. neg. suppositum, nempe mutuantem obligari ex justitia, sicut supponitur obligari remutuantem; & sic non datur hic paritas, cum primus tantum mutuet ex honestate & charitate, secundus vero remutuet ex obligatione justitiæ.

Dices 2. Ministri montium pietatis aliquid recipiunt pro onere mutuandi: ergo.

R. neg. ant. Quod enim recipiunt, oritur ratione expensarum, quas facere debent, ut semper paratas habeant pecunias, vel aliunde, ut fusius postea.

CONCL. III. *Nec difficultas in recuperanda sorte: nec ca-*

rentia pecuniæ sufficiunt ad recipiendum aliquid ultra capitale.

Ratio prioris est, quia plus exigi posset à paupere, quam à divite, cum ordinarie loquendo difficilior sit recuperatio sortis à primo, quam à secundo; hoc autem est contra finem mutui ad levamen indigentium ordinati. Præterea vel difficultas illa causa tibi aliquid damnium, vel non, si non, unde auctarium exigit? Si sic, aliquid exigere potes, non ratione difficultatis, sed damni emergentis.

Ratio posterioris est, quod carentia illa sit mutuo essentialis, cum sit impossibile pecuniam mutuare, & eadem retinere.

Dices cum Caramuel: mutuans privat se recreatione vendendi aurum suum, sed recreatio illa est pretio æstimabilis: ergo.

Prob. min. Pro recreatione audiendi comœdiam videndi bestiam, legendi fabulam datur præmium, quidni & daretur pro habendis, videndis & possidendis pretiosis auri partibus? Verba sane speciosa, sed ita infundata ut ea retulisse, sit refutasse; nihilominus

Resp. neg. min. ad prob. dico pretium non exigi pro recreatione secundum se, alias vitiorum vendere posset non tantum substantiam vini, sed etiam recreationem & lætitiâ, quam confert potanti, sed pro expensis, labore, aut industria conferentium ad recreationem causandam, immo si staret objectio, quo quis esse magis circa pecuniam suam affectus, eo plus ultra sortem posset exigere, quod est avaritiam fovere, & charitatem, justitiamque destruere.

CONCL. IV. *Similiter usurarius est quintus titulus, id est obligatio non repetendi sortem, nisi post certum tempus, si pro eo aliquid exigatur. Est communior & verior.*

Ratio est; quia obligatio illa est intrinseca & essentialis mutuo, differtque per hoc à precario, cum hoc sit ad nutum dantis revocabile; mutuum autem non nisi post aliquod tempus majus aut minus, juxta rei mutuatæ naturam. Præterea, seclusis aliis titulis, nihil potest exigi pro mutuo dato ad septimanam, aut mensem, ut concedunt adversarii: ergo nec pro dato ad tres annos.

Prob. conseq. Tum quia venderetur tempus, & non pecunia; tum etiam quia prolongatio illa nihil est aliud quam continuatio mutui, adeoque sicut dans mutuum ad mensem, & mense transacto, pretioque soluto, iterum dat ad mensem, & sic semper per duos, aut tres annos, nihil potest ratione temporis exigere, ita nec dans ad tres annos simul, cum sit par ratio, unde damnata est hæc propositio ab Alex. VII. *Licitum est mutuantem aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Dices 1. Nihil exigitur pro carentia pecuniæ tanto vel tanto tempore; sed pro obligatione carendi, quæ est pretio æstimabilis.

R. Hanc obligationem nullam habere æstimabilitatem, nisi ratione rei ad quam quis se obligat, & consequenter si res illa non sit æstimabilis ita nec obligatio illam respiciens.

Dices 2. Mutuans ad tres annos facit id, ad quod non tenetur, cum ultro se privet jure & libertate sortem repetendi ante illud tempus.

R. Jus & libertatem illam nullius esse valoris, prout seorsim à mutuo consideratur, quandoquidem sive habeam pecuniam in arca, sive inter manus mutuatarii, sit omnino idem, si secludatur omne damnum, et interesse, ut hic supponimus.

CONCL. V. Nec etiam utilitas pecuniæ præsentis supra absentem fundamentum est sufficiens ut aliquid exigatur ultra sortem.

Ratio est; quia falso supponitur utiliolem aut prætiosiorelem esse pecuniam præsentem, quam absentem; numeratam, quam numerandam, si supponatur, nullum ex mutuata pecunia emergere damnum, nec cessare lucrum mutuanti; unde proscriptis hanc propositionem Innoc. XI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuataro exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Præterea si sit præsens & numerata pecunia mutuantis, etiam erit præsens & numerata pecunia mutuatarii, cum fiet restitutio, sicque servabitur æqualitas.

Dices 1. Potest quis lucrari cum pecunia præsentem, & numerata, qui non potest cum absente & numeranda.

Resp. Dist. assumpt. Potest ratione suæ industriæ, C.; ratione pecuniæ præcisæ; N., illa enim secundum se nec utilis est, nec fructifera.

Inst. Si industrius pecuniam non habeat, nihil lucrabitur, si habeat, lucrabitur: ergo ratione pecuniæ.

Resp. dist. conseq. Ratione pecuniæ ad lucrum ordinatæ: C.; non ordinatæ, N.; ita ut non pecunia, sed spes lucri ex ea sperati faciat pecuniam numeratam utiliolem: cum autem spes illa lucri non sit in mutuante (utpote qui pecuniam suam ad lucrum non destinavit, ut supponitur) sed in mutuataro, sequitur mutuantem nihil propterea posse exigere.

Dices 2. Qui dat alteri pecuniam ad ostentationem, potest aliquid exigere: ergo à fortiori qui dat ad lucrum.

R. Dissimulato antecedente, neg. conseq. disparitas est, quod in 1. pecunia sit tantum commodata, adeoque non transferatur illius dominium; in 2. autem sit mutuata, adeoque & dominium translatum,

Dices 3. Multi mallent pecuniam mutuare ad annum, quam pro altero fide-jubere ad tale tempus; sed pro tali fidejussione licet aliquid exigere, ergo & pro tali mutuazione.

R. min. esse veram, ubi adsunt tituli extrinseci, alias non, in mutuo autem illo nullus reperitur.

ARTICULUS II.

An propter periculum amittendæ sortis possit aliquid exigi aut recipi?

Suppono 1. Ut colligi potest ex innumeris scripturæ textibus, mutuum fuisse à Deo ordinatum ad sublevamen pauperum, quibus ideo toties ad minimum tenemur mutuare, quoties eis per eleemosynam tenemur succurrere.

Suppono 2. Duplex distingui periculum in mutuo; intrinsecum unum sive generale, extrinsecum alterum sive particulare. Primum est quod ordinarie comitatur mutuum, saltem spectatum secundum finem, secundum quem fuit à Deo ordinatum, ut quod mutuatarus sit pauper, vel, si sit dives, quod ejus bona exponantur periculo incendii, ruinæ, devastationis. Secundum est quod separabile est à mutuo, v. g. quod pecunia detur litigioso, prodigo, naviganti in mari periculoso, deferenti merces per hostium castra, aut illas gbellariis non denuncianti.

Suppono 3. Mutuantem posse vel suscipere in se periculum jacturæ sortis, ita ut illa pereunte nihil possit repetere; vel illud mutuataro relinquere, ita ut illa pereunte debeat aliunde restitutio fieri mutuanti. His suppositis

CONCL. I. Non licet quidquam exigere ultra sortem ratione periculi intrinseci amittendæ sortis.

Ratio est: 1. Quia periculum illud est physice, aut moraliter mutuo inseparabile. 2. Quia plus liceret exigere à pauperibus, quam à divitibus, immo plus ab extreme indigentibus, quam à pauperibus communibus; hoc autem evidenter repugnat Scripturæ sacræ. Exodi 22. Ubi dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi . . . non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes: & Deut. 23, Fratri tuo absque usura id quo indiget, commodabis;* Idem habetur Levitici 24. & Ezechielis 22: 3. Quia si hoc esset, nulla fieri posset usura; vel enim mutuatarus est pauper, & est periculum ratione inopiæ, vel est nobilis, & est periculum, ne ejus bona propter crimen forte patrandum fisco tradantur, vel mercator, & potest omnia in naufragio perdere; vel est vidua, aut domicella, & fieri potest impotens ex incendio, aut alio infortunio.

Dices 1. Periculum ratione inopiæ mutuatarii non est mutuo intrinsecum, cum possit esse dives.

R. dist. ant. Non est intrinsecum mutuo secundum se spectato; transeat: prout à Deo in pauperum sublevamen ordinato; N.

Dices 2. Potest auferri periculum in mutuo per fidejussorem, aut pignus; ergo.

R. Ordinarie eos, qui coguntur ob inopiam mutuuum accipere, non posse fidejussorem, aut pignus præbere, qui autem possunt,

in illis communiter periculum est remotum, & tenue, & consequenter etiamsi non præbeant, nihil potest propter periculum, utpote moraliter nullum, ultra sortem exigi.

CONCL. II. Quamvis ratione periculi extrinseci, seu particularis amittendæ sortis, forte possit, speculative loquendo aliquid ultra sortem exigi, aut recipi; ubi periculum apparet verum, morale, & fundatum: nunquam tamen aut raro in praxi aliquid exigitur aut recipitur ultra sortem ratione periculi extrinseci, quin committatur usura.

Ratio est, quia vix unquam servantur conditiones auctarium purificantis. 1. enim requiritur; ut absit intentio lucrandi ex mutuo, quia alias, etiam secluso pacto, erit usura mentalis. 2. Debet periculum esse verum, morale, & nullatenus fictum. 3. Debet mutuarius fidejussorem, aut pignus non dedisse, vel non obtulisse. 4. Debet haberi ratio periculi, ita ut plus aut minus requiratur, prout majus vel minus fuerit periculum. 5. Non debet mutuans ratione periculi plus exigere, quam pro tali periculo vellet alteri dare; atqui fere nunquam reperiuntur illa in mutantibus: ergo.

Prob. min. 1. Enim ita sunt mutantibus ad lucrum avidi, ut nisi lucrum sperarent, mutuum non darent. 2. Quia ubi verum periculum apprehendunt, nolunt mutuare. 3. Quandoque fidejussorem, aut pignus recusant, ut sic obligetur mutuarius aliquid pro periculo solvere, quod est onus ipsi imponere, adeoque usurarium. 4. Non distinguunt inter qualitatem periculi; sed tantum volunt habere ab uno, quantum ab altero. Denique non vellent ipsi alteri dare pro tali periculo quod ab aliis postulant, potiusque auctarium exigunt quia mutant, quam quia periculum subeunt. Ex his facile colligere est, quam sit rarum & extraordinarium sine usura aliquid ratione periculi exigere, aut recipere, quandoquidem sufficiat ad usuram desit vel unica ex conditionibus allegatis, & sæpe deficient omnes. Hoc tamen videtur ab omni usura purgatum, quando mutuarius ipsemet nolens periculum in se suscipere, rogat mutantem, ut totum, vel partem in se suscipiat, ac postea juxta periculi quantitatem inter se paciscuntur.

Dices: quotidie exigitur sine scrupulo pro assecuratione, ratione periculi, quidni & pro mutatione ratione ejusdem?

Resp. disparitatem esse, quod assecutores in se suscipiant periculum rei alienæ, quod onus cum sit pretio æstimabile, merito ratione illius pretium exigunt, mutantibus vero onus illud non suscipiant; quandoquidem, etiam re destructa, retineant actionem in mutuarium. Fere idem obijci posset de fidejussione; sed solutio patebit inferius: ubi de eadem ex professo tractabitur.

ARTICULUS III.

An sit licitum aliquid ultra sortem accipere ratione lucri cessantis?

CONCL. UNICA. Licet ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem exigere & recipere, si adsint modificationes postea recensendæ.

Ratio est, 1. quia illud licet ratione damni emergentis, ut dicemus infra, sed ubi reperitur lucrum cessans, reperitur & damnum emergens: ergo. Prob. min. quia non solus ille damnum patitur qui perdit ea, quæ actu possidet; sed etiam qui perdit ea, quæ erat verosimiliter possessurus per lucrum, vel aliunde; & certe parum refert; an perdas 100. nummos, vel ab eorum consecutione impediaris. 2. Lucrum fundate speratum est pretio æstimabile, adeoque vendibile. 3. Quia non est justum, quod alteri præstans beneficium, lucro honesto & licito privetur.

Dixi: *Si adsint modificationes*, &c. 1. enim lucrum illud debet esse verosimiliter eventurum & prudenter spectatum, ita ut occasio lucrandi sit moraliter præsens: unde non sufficit lucrum tantum possibile. 2. Debet pecunia esse lucro proxime destinata, v. g. negotiationi, censui annuo emendo, domui, villæ, agro, &c. sibi prima occasione comparandis. 3. Requiritur ut mutuans non habeat aliam pecuniam mutuo dandam, præter eam quæ lucro destinata est: nam si aliam habeat, non cessabit ipsi ex mutuo lucrum, cum possit ex aliis pecuniis idem lucrum facere: excipe tamen nisi aliam pecuniam ex justa causa reservaret, v. g. ut proles jam nuptiis maturas honesto matrimonio collocaret. 4. In venditione lucri sperati deducendæ sunt expensæ, pericula, &c. cum minoris valeat lucrum speratum, quam de facto acquisitum. 5. Debet mutuarius spontanee consentire in compensationem lucri cessantis, & quidem ab initio: unde si in mutatione nulla facta sit mentio lucri cessantis, nihil pro eo potest exigi; quia censetur mutuans illud condonasse. 6. Non debet recipi auctarium ante sortem, alias non mutares 100. v. g. sed 90. si ab initio reciperes 10. ratione lucri cessantis; & sic non servare æqualitatem, cum minus lucrum speres ex 90. quam ex 100. Denique (quod serio advertendum est, & mutantibus inculcandum) fieri debet mutatio ex animo charitatis, benevolentiae, aut honestatis, non autem ex animo avaritiæ, & ut lucrum sit majus, aut commodius, alias convincitur mutuans exigere auctarium magis ratione mutui, quam lucri cessantis, unde sic debet esse dispositus mutuans, ut mallet pecuniam suam commertio, emptioni, &c., applicare, quam mutuo tradere, nisi mutuuario vellet benefacere, ita ut motivum mutuandi non sit lucrum, sed proximo succurrere, benefacere, &c. Et ideo D. Thomas opuscul. 73. de usuris cap. 6. *In mutuis vitium usuræ annexum est, ex eo quod fiant spe lucri.*

Dices 1. D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum postquam do-

cuit licere aliquid exigere ratione damni emergentis, subdit: *Re-compensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id quod nondum habet.*

Resp. S. Doctorem nihil aliud velle, quam quod lucrum speratum non possit in pactum deduci eodem pretio, quasi esset jam obtentum, cum hoc magis valeat, quam illud; & consequenter quod sint deducendæ expensæ; non autem quod nullatenus possit in pactum deduci, alias sibi contradiceret; quandoquidem ibid. q. 62. art. 4. in O. dicat: *si quis damnificet aliquem impediendo, ut adipiscatur quod erat in via habendi. . . tenetur aliquam compensationem facere secundum conditionem, personarum, & negotiorum.*

Dices 2. Si admittatur titulus ille, nulla erit usura; quandoquidem hoc tempore semper sit lucrum cessans respectu habentis pecuniam, cum possit lucrari emendo censum.

Resp. neg. assumpt. & dico, non sufficere ad lucrum cessans, quod quis habeat pecuniam, sed debere esse ad lucrum expresse destinatum, ut antea diximus.

Instabis: Rogatus ut tradat mutuum, poterit intra semetipsum dicere: volo cum hac pecunia emere censum, & postea mutuando aliquid exigere, ratione lucri cessantis.

Resp. Fraudem & dolum nemini patrocinari; & consequenter si antea non cogitaverit de lucro ex pecunia faciendo, censetur voluntas illa subitanea esse fictitia & falsa, & quam non haberet, nisi hoc stratagemate lucrum speraret. Ex dictis

Resol. 1. Mutuantem alteri triticum ad seminationem destinatum, posse aliquid exigere proportionate ad spem fructuum, deductis expensis, laboribus, &c. Idem dic de opifice mutuante instrumentum suæ artis, si aliud non habeat, quo laboret.

Resol. 2. Nihil posse exigere pro lucro per contractum illicitum obtinendo v. g. ex cambiis siccis & fictis; cum illud non sit verum lucrum, sed furtum.

Resol. 3. Viduas, ancillas, &c. habentes pecunias in arca dormientes, non posse sub prætextu cujusdam lucri fictitii aliquid exigere ultra capitale, si hero, aut aliis mutuaverint.

ARTICULUS IV.

An damnum emergens sit titulus sufficiens, ut actuarium exigatur?

Dicitur *damnum emergens*, detrimentum illud, quod patitur mutuans ratione mutui, v. g. quod debeat postea vitæ & familiæ necessaria carius emere, quod debeat ædificii reparationem negligere, unde oritur illius ruina, &c.

CONGL. I. Potest mutuans exigere aliquid ultra sortem ra-

tione damni emergentis, ubi hoc in pactum deducitur, sive interim expectetur donec damnum emerit, sive ante conveniatur de pretio pro omni damno, quod poterit advenire: modo tamen modificationes pro lucro cessante assignatæ hic quoque cum proportione applicentur.

Ratio est, quia non venditur mutuum, sed mutui jactura, quam non tenetur pati mutuans alteri beneficiendo. Præterea si ut alteri mutuarem, deberem expensas facere, deberet mutuarius illas solvere, ut certum: est ergo & damnum quod patior ratione mutui. Cavendum tamen, ne auctarium recipiatur ex animo lucrandi, sed animo se indemnem reddendi; quia tollitur injustitia usuræ, quando non spe lucri accipitur, sed pro compensatione damni, inquit D. Thomas Opusc. 73. de usuris cap. 7.

Dices: huic sententiæ contrarium esse Scotum, quandoquidem 4. d. 15. q. 2. n. 26. expresse dicat: *Si non vult damnificari, intellige mutuans, pecuniam sibi necessariam reservet; quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo: sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam.*

Resp. Hanc esse doctoris mentem, quod nihil possit mutuans exigere ratione damni mutuo intrinseci, vel potius ratione damni tantum apparentis, quod mutuator, pecuniarum avidus, timet, ne vel ex pecuniarum carentia, vel ex periculo mutuo ordinariis sibi imminet, non autem ratione damni extrinseci, alias sibi contradiceret, cum n. 18. dicat: *Debitor, cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse.* Ex quo sequitur, si teneatur debitor morosus, quia damnum intulit, quod etiam possit obligari mutuarius, qui esset damnum illaturus ratione mutui à se recepti.

CONCL. II. Ubi mutuans ratione damni emergentis nihil exigit, in mutatione, nihil potest postea exigere, etiamsi damnum de facto evenerit, si tempore præfixo mutuum restituatur: aliud esset si mutuarius esset in nota culpabili.

Ratio prioris est, quod censeatur mutuator nullam de compensatione damni mentionem faciens, juri suo cedere, adeoque nec mutuarium obligare, qui ideo non ex justitia, sed ad summum ex congrua debet illud resarcire. Accedit, quod si de damno emergente, aut ejusdem periculo mentionem fecisset mutuator, forte nolisset mutuarius cum tanto opere mutuum accipere.

Ratio posterioris est, quod, ut inquit Mastrius, quando in contractibus terminus ad solvendum præfigitur, tacite censeatur pactum initum, ut qui non solverit intra illum terminum, teneatur ad interesse ex defectu solutionis proveniens; unde Scotus supra loquens de eo, qui solutionem distulit, sic ait: *Licet ille creditor non posset habere contra eum actionem in foro exteriori, utpote quia non sunt pacta, vel juramenta, tamen in foro conscientie debitor*

tenetur ultra sortem ad interesse. Debet tamen damnum illud præcise ratione mutui emersisse, seu quia mutuator caruit sua pecunia, cum qua damno illato obviasset, & ideo si per aliam pecuniam, aut aliunde potuit damnum impedire, non censetur vi mutui non restituti evenisse.

ARTICULUS V.

An pœna appositæ mutuatario suo tempore non restituenti licite possit exigi ultra sortem?

Sensus quæstionis est, an quando Petrus v. gr. mutat Paulo cum obligatione reddendi sortem intra annum, imponitque onus reddendi 5. aut 6. supra capitale, si ulterius differat solutionem, possit Petrus tuta conscientia pœnam illam conventionalem exigere, si Paulus fiat redditor morosus?

CONCL. UNICA. Licitum est pœnam præfatam exigere, ubi adsunt certæ conditiones. Ita Scotus supra, littera O. Div. Antoninus, Soto, Malderus, Genettus, & alii, contra Van-Roy, & quosdam alios.

Prob. 1. Ex Innoc. IV. in cap. *Suam*, de pœnis: *Notandum*, inquit, *pœnam impositam ex conventionione partium, licere exigere, dummodo intentio sit recta, scilicet ut pareatur placitis, & non ad usuras, vel lucrum: sed secus esset, si pœna esset appositæ in fraudem usurarum.*

Prob. 2. Quia jus tam naturale, quam civile permittit, ut possint homines privati sese invicem pœnis conventionalibus obligare, ut sic tum à contractu adimplendo, tum à solutione faciendâ tollatur omnis pigritia & morositas culpabilis, L. *Si pacto*, Cod. de pactis.

Dixi: *Ubi adsunt certæ conditiones.* 1. Est, ut pœna sit omnino libera & acceptata ex parte mutuatarii; quia possunt quidem superiores imponere pœnam subdito invito, privati tamen non possunt, nisi consentienti & volenti. 2. Ut pœna non apponatur in fraudem usurarum, quod censetur fieri, quando quis videns non posse ob mutuum lucrum exigere, utitur pœnæ prætextu ad palliandum lucrum. ut autem scias quando pœna conventionalis apponatur in fraudem usuræ, vel non, hanc regulam tibi tradit Scotus sup. his verbis: *Signum quando pœna non est in fraudem usurarum, est illud: quando mercator magis vellet pecuniam sibi solvi die præfixo, quam in crastino cum pœna adjecta sibi: & per oppositum, est in fraudem, quando vult diem transiri potius, quam pecuniam ipso die solvi: tunc enim signum esset pœnam illam in fraudem usuræ appositam esse ac proinde usuram esse palliatam.* 3. Ut pœna sit moderata; quia excessivam reprobatur caput *Significante 7. de pignoribus.* 4. Ut mora sit culpabilis & notabi-

lis: *culpabilis* quidem; quia nisi ob culpam, non imponitur pœna; & ideo si quis factus sit ad solvendum impotens sine sua culpa, v. gr. ex naufragio, incendio, &c. non debet pœnam solvere. *Notabilis vero*; quia cum dilatio unius aut alterius diei sit modica, & quasi nulla reputetur, non esset pœna culpæ proportionata, si ob dilationem illam pœna gravis imponeretur. 5. Ut qui deficit tantum in media parte solutionis, tantum subeat medietatem pœnæ.

Dices 1. Contra conclusionem, culpas punire judicium est, non privatorum; ergo.

Resp. Hoc esse verum, secluso mutuo privatorum consensu: non autem illo supposito, quandoquidem nullibi auferatur à privatis facultas pœnas moderatas sibi mutuo apponendi.

Dices 2. Mutuatarius non nisi coacte in pœnam illam consentit; quia nempe non potest aliunde mutuum habere, sicque necessitati suæ providere.

Resp. Quod, etsi non raro id accidere possit; contrarium tamen potest evenire, ut supponit non tantum glossa & Innoc. IV. in cap. *Suam* citatum, sed etiam jus civile, & ecclesiasticum variis locis pro similibus materiis, unde mutuatarii consensus & spontaneitas colligi debet ex circumstantiis.

QUÆSTIO V.

Seu potius varicæ quæstiunculæ materiam usuræ concernentes.

Petes 1. An dum mutuatarius dedit mutuanti in pignus rem fructiferam, fructus cedant mutuatario?

Resp. affirm. Quia res fructificant domino, atqui mutuatarius retinet dominium sui pignoris: ergo ipsi, & non mutuanti, cedunt fructus: debent tamen deduci expensæ necessariæ & utiles, quas mutuans utiliter adhibuit pro rei conservatione aut reparatione.

Petes 2. An usurarius mentalis sit obnoxius restitutioni? Per usurarium mentalem intelligimus illum, qui secluso omni pacto externo, etiam implicito, intendit ex mutuo lucrum tamquam sibi debitum: quod addo; quia si speret ex mera liberalitate mutuatarii aliquid accipere tamquam omnino gratuitum, non est dicendus usurarius: hoc insinuare videtur D. Th. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 3. Ad quæstionem

Resp. 1. Quoties mutuatarius dedit auctarium ut debitum, ad restitutionem teneri mutantem, sive interim illud acceperit ut donum, sive ut debitum. Ratio est, quia talis donatio fuit involuntaria, illiberalis, & coacta, adeoque insufficientis ad transferendum dominium. In dubio autem, an augmentum datum sit ut debitum, an ut gratuitum, resolvendum est datum esse gratuito, si mutuatarius sit liberalis & benefaciens, & aliunde mutuans nec explicitè nec implicite aliquid petierit; si tamen omnibus attentis adhuc restet dubium, tutius est eligendum.

R. 2. Ubi mutuans auctarium recipit tamquam debitum, & postea rescit datum esse tamquam gratuitum, usurarius quidem est, sed non est restitutioni obnoxius. Ratio est; quia licet sit ipsi animus rem alienam habenti, de facto tamen non habet alienam, sed suam, cum per donationem gratuitam & liberalem facta sit sua; præterea si furto abstulisses rem alienam, & dominus eodem instanti quo accipiebas, illam tibi donasset, non teneris eam reddere, ubi rescires tibi esse donatam: ergo similiter in nostro casu.

Nec dicas, defuisse acceptationem ex parte mutantis, eo quod illam receperit ut debitam, non ut gratuitam, quia saltem adfuit, cum rescivit sibi esse datam: quod sufficere videtur. Vel certe dicendum est, omne lucrum generali quadam intentione solere acceptari.

Petes 3. An usurarius fiat dominus usurarum?

Resp. neg. Etsi enim contrarius videatur Scotus, id tamen proprie nec affirmat, nec negat, sed transire permittit, ut respondeat ad consequens, quasi diceret, etsi mutuarius crederet se dominium transferre usurarum, adhuc ad restitutionem teneretur mutuans. Ratio est autem est, quia etsi mutuarius auctarium tradat mutanti, non intendit tamen plus juris ipsi concedere in illud, quam de facto habeat; & ideo cum à parte rei nullum habeat, etiam nullum ipsi conceditur: unde non aliter dat augmentum usurario, quam daret bursam latroni mortem minanti, & ideo cum hic non adquirat dominium bursæ, ita nec ille usuræ. Accedit, quod contractus usurarius sit secundum omnem legem irritus, adeo que insufficiens ad translationem dominii. Præterea, nuda traditione non transfertur dominium, nisi præcedat venditio, aut aliæ justæ causæ L. *Numquam* 31. ff. *De acquirendo rerum dominio*: hic autem neutra reperitur.

Petes 4. An usurarius teneatur id restituere, quod sibi per usuras comparavit? Teneri restituere auctarium usurarium, concedunt omnes, sed an etiam debeat lucrum inde acquisitum? Controvertitur. Nihilominus

Resp. Non teneri; si auctarium erat sterile; secus si fructiferum. Ratio prioris est, quod tale lucrum sit fructus meræ industriæ unde sicut non tenetur fur lucrum per pecuniam furtivam acquisitum reddere, eo quod lucrum non pecuniæ, utpote de se sterili, sed furis industriæ attribuitur; ita nec usurarius lucrum per pecuniam usurariam comparatum.

Ratio posterioris est; quod tunc lucrum sit fructus rei, res autem fructificat domino, qui est mutuarius, & non usurarius; & ideo inquit D. Th. 2. 2. q. 78. art. 3. O: *Si quis domum alterius, vel agrum per usuras extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos.*

Petes 5. An cooperantes ad usuram teneantur restituere in defectu mutantis?

Resp. affirm. quia cum usurarius sit vere injustus damnificator, exorians populum, & sugens pauperum sanguinem, non minus ac

fur, debent cooperantes, ipso deficiente, eodem modo, eodemque ordine restituere, quo tenentur cooperantes, de quibus in tractatu de Restitutione; & ideo hoc onere sunt gravati iudices, advocati, domini temporales, qui favent usurariis. Item tabelliones contractus usurarios conficientes, sicut & famuli scienter deferentes pecunias ad usuram, ad solutionem cogentes, usuras recipientes, &c.

Petes 6. An peccet deponens pecunias suas apud illum, quem novit ad usuras illis abusurum?

Resp. Ex D. Th. supra: si quis pecuniam suam usurario non habenti alias, unde usuras exerceat, hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccandi; unde & ipse esset particeps culpæ. Si quis autem alicui usurario alias habenti, unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius servetur non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum. Hæc ille.

Petes 7. An si mutuator, remittat, me pro summa pecuniæ, quam mihi debet, ad mutuarium, possim à mutuatio illam exigere, si sciam, tantum ex contractu usurario esse falso debitam?

Resp. neg. quia non est mihi titulus alius ad exigendum, quam sit mutuatio, sed hic nullum habet, ergo, &c. et ideo si quid vi talis assignationis recepi, teneor primo loco restituere: si res adhuc existat; si autem sit consumpta, teneor deficiente mutuatore.

Petes 8. An liceat accipere mutuum sub usuris?

Resp. 1. Numquam licere sub usuris illud exigere, v. g. dicendo: da mihi 100. in mutuum, dabo 5. tibi pro usuris. Ratio est, quia numquam licet ab alio exigere: quod numquam licet ab eo fieri, cum sit ipsum inducere ad malum.

Resp. 2. Licere mutuum sub usuris recipere, si mutuans nolit aliter mutuare, & aliunde ad id me urgeat gravis necessitas, v. gr. sustentatio familiæ, honesta prolium educatio, collocatio, &c. Ratio est; quia non induco ipsum ad peccatum, cum præcise petam mutuum, quod in se bonum est, potestque à mutuantem bene fieri: unde quod illo casu sit vitiatum, non oritur ex me, qui vellem illud habere sine usuris; sed ex prava mutantis voluntate, quam non teneor cum gravi meo incommodo impedire: certe si possum ab eo, quem scio per falsos deos juraturum, juramentum gravi de causa exigere, ut docet Aug. quidni possem ex simili causa mutuum petere ab eo, quem scio non mutuaturum sine usuris.

Dixi: *Et aliunde ad id me urgeat gravis necessitas*, quia seclusa illa, urget me charitas ad impediendum proximi peccatum. Sicut autem ex causa justa possum petere mutuum ab usurario, ita & eidem usuras solvere, nisi possum sine gravi incommodo solutionem denegare.

Petes 9. Quid gere debeat confessarius cum eo, quem novit sine titulo sufficienti auctarium recepisse?

R. Debere ipsum, sicut & ejus hæredes, ad restitutionem cogere.

re: vel certe ipsi insinuare, ut à mutuariis remissionem exigat, quam si sponte dederint, potest securus manere, dummodo ita esset in animo dispositus, ut si creditor nollet libenter condonare, esset usuras restitutus.

Q U Æ S T I O V I.

An montes pietatis & lombardi sint usurarii?

Mons pietatis (qui nihil est aliud, saltem in his locis, quam cumulus pecuniarum, ad subventionem indigentium mediante mutuo destinatus) aliud est ex puris eleemosynis, alius ex pecuniis ad censum levatis, alius ex utrisque. Mons pietatis primi generis coepit Perusii in Italia anno 1450. sub his conditionibus, ut soli istius loci pauperes mutuum inde reciperent, & quidem in summa determinata, & ad tempus determinatum, dato prius pignore, modicoque pretio pro ministrorum sustentatione assignato. Montes pietatis secundi generis erecti sunt in Belgio anno 1619. tempore Alberti Austriaci & Isabellæ sub iisdem fere conditionibus, quibus supra, nisi quod posset quilibet indigens sive dives, sive pauper inde mutuum accipere, modo tamen non solum pro ministris, sed etiam pro censuum solutione, domusque erectione, & reparatione aliquid tribueretur. Montibus pietatis ob civium penuriam non sufficientibus, adjecti sunt Principum auctoritate mutuatores publici, vulgo Lombardi, eo quod modus ille mutuandi à Lombardis initium habuerit. Hi autem vix differunt à montibus pietatis secundi generis, nisi quod aliquid ultra assignetur mutuatoribus ratione lucri cessantis.

CONCL. I. Montes-pietatis primi & secundi generis non sunt usurarii.

Prob. de primis; quia modicum, quod in illis recipitur ultra sortem, non datur vi mutui, sed pro ministrorum sustentatione, qui non tenentur gratis laborare, pignora recipiendo, registrando, custodiendo, reddendo, &c. unde montes illos à Paulo II., Sixto IV., Innoc. VIII. & Alexand. VI. approbatos, confirmavit Leo X. in Conc. Lateran. tamquam pietatis, & misericordiæ exercitia, propositis indulgentiis fidelibus, qui ad eorum erectionem suis eleemosynis concurrerent, & è contra lata excommunicationis sententia in eos, qui contra prædicare, seu disputare verbo, vel scriptis ausi fuerint. Accedit quod Trid. sess. 22. c. 8., 9. & 10. enumerans loca pia ab Episcopis visitanda comprehendat montes pietatis: ergo supponit esse justos & licitos.

Prob. de secundis, quia neque in illis aliquid exigitur ultra sortem ratione mutui; sed & justo titulo, nempe ad montium conservationem, administrationem, exonerationem. Præterea licitum est, & ab usura immune, in montibus primi generis, aliquid exigere pro ministrorum laboribus & sustentatione, quidni & quando exigitur in

montibus secundi generis aliquid pro censuum solutione, montium reparatione, &c. Quandoquidem hæc omnia æque fiant in mutuatariorum utilitatem & commoditatem, quam ministrorum labor & vigilantia. Accedit, quod hi montes fuerint erecti ex consensu & consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, multorumque Belgii theologorum, qui omnes, re attente examinata & in statera Domini librata judicarunt non esse usurarios, sed è contra usurarum destructivos quandoquidem ante illorum erectionem, ob usuras hominum improbitate extortas, nonnullorum substantia brevissimo tempore devoraretur.

Multa in nostram sententiam obtrudunt adversarii, volentes montes illos non esse pietatis, sed usurariæ impietatis; sed cum jam ex omnium timoratorum consensu, praxi & opinione cessaverit circa hoc in nostro Belgio omnis scrupulus, inutile credimus quoad praxim, objectionibus illis respondere, si qui tamen majorem requirant satisfactionem, consulere possunt Wiggers Tract. 5. de Contractibus, dub. 3. ubi objectiones illas fuse refert, prosequitur, & solvit.

CONCL. II. Etiam ab usura videntur immunes Lombardi, modo servant adamussim Principum, aut magistratuuum edicta, non excedant pretium taxatum, nec plus recipiant, quam si detrimentum, quod patiuntur ratione lucri vere & realiter cessantis.

Ratio est, quia lucrum cessans (ratione cujus præcise, aliquid recipiunt ultra montes-pietatis) est titulus sufficiens, ut antea diximus, ad purificandum ab usura auctarium.

DISPUTATIO IX.

De cambio, contractu societatis & censibus.

Q U Æ S T I O I.

Quid cambium, quotuplex & an liceat ars campsoria?

Cambium idem est quod permutatio: unde cambire nihil est aliud quam unum cum alio permutare, quodcumque illud sit: hic tamen strictius sumitur, nempe pro permutatione pecuniæ cum pecunia, & ars contractum illum exercendi dicitur *campsoria*, dans pecuniam *campsor* & recipiens *campsorius*.

CONCL. I. Cambium est contractus commutationis pecuniæ pro pecunia cum lucro campsoris.

Differt 1. Ab emptione & venditione, quod in illis fiat permutatio non pecuniæ cum pecunia, sed pecuniæ pro merce. Differt, 2. à deposito, quod in hoc non transferatur rei dominium, sicut in cambio, debeatque in deposito restitui eadem res numero, in camb-

bio autem reddatur alia; vel si eadem, alio loco. Differt, 3. à mutuo, quod non potest fieri ex intentione lucri, nec fit in solis pecuniis sicut cambium: unde cambium refert ad contractum innominatum, *do ut des*.

CONCL. II. Dividitur cambium in fictum & reale. Fictum (quod & siccum dicitur, eo quod careat humore, seu vero titulo ad fructum recipiendum) est quod apparentem cambii imaginem præfert, in se tamen nihil est aliud, quam mutuum palliatum, cum nec dentur pecuniæ præsentibus, nec præsentibus pro distantibus, sed detur pecunia præsens recipienda postea cum lucro sine ullo titulo: quod cambium tamquam usurarium damnavit S. Pius V. in Bulla 118. quæ incipit: *In eam pro nostro*; quod & fecit S. Carolus in I. concil. Mediol. *ne fiant cambia, cum litteræ ad destinatum locum vere non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed & uno eodem loco pecunia datur, & recipitur.*

Cambium reale seu verum est illud, in quo revera pecunia præsens cum præsentibus, vel præsens cum distantibus permutatur.

Subdividitur hoc cambium in minutum, locale, & temporale. Minutum (aliter manuale, eo quod fiat de manu in manum) est contractus, quo in eodem loco majoris valoris pecunia mutatur cum alia minoris valoris, aut è contra; v. g. nummi aurei pro pataconibus, patacones pro schelingis, &c.

Locale (quod & dicitur cambium per litteras) est mutatio pecuniæ præsentis cum distantibus; quod fieri potest dupliciter, 1. quando campsor dat pecuniam insulis v. g. ut eam à campsario, vel ejus procuratores Lugduni recipiat. 2. quando campsarius numerat insulis pecuniam, ut eam per se vel per alium recipiat à campsores Lugduni.

Cambium temporale, idest ad certum diem seu terminum constitutum, est illud, quo datur pecunia hodie, v. g. 100. aurei, ut recipiantur 100. & duo, aut tres intra 4. aut 5. menses: quod practitari dicitur Parisiis & Lugduni à mercatoribus. Hoc cambium dicitur ab aliquibus Francofurtense, eo quod Francofurti sint nundinæ bis in anno, & in primis nundinis, quæ fiunt in Paschate, detur quandoque pecunia ut recipiatur cum lucro in secundis nundinis, quæ fiunt in mense septembris.

CONCL. III. Licita est ars campsores. Patet ex generali mercatorum præxi ubique recepta, idque confirmat D. Th. Opusc. 73. *De usuris*. cap. 13. *Dicendum*, inquit, *quod ars campsores de se est justa. . . & est ratio; quia illud plus quod accipitur à campsores in tali permutatione monetæ, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se est invendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, ut subveniatur salariis pensionum, domorum ministrorumque, & laboribus & expensis in arte necessaria & licita, ne frustra ponant operam & sudorem suum in re licita, ad utilitatem aliorum.* Hæc ille.

Accedit quod utile sit, imo & necessarium reipublicæ ut sint campsores; quandoquidem vix aliter possit satisfieri necessitatibus eorum, qui ad provincias remotas proficisci coguntur.

Dices: Christus ejecit nummularios, seu campsores de templo: ergo est illicita ars illa.

Resp. neg. conseq. Illos enim ejecit, non quia illicita faciebant, sed quia licita in loco illicito, nempe in templo, quod non commerciis sæcularibus, sed Officiis Divinis celebrandis destinatum est.

Q U Æ S T I O I I.

An in cambio minuto, locali & temporali liceat aliquid lucrari?

CONCL. I. Potest licite campsor, sive talis ex officio, sive non, aliquid lucrari in cambio minuto, modo absit fraus, intercedat verum cambium.

Prob. De campsores ex officio, quia non potest quis sine expensis, labore, industria comparare sibi omnis generis monetas, ut satisfaciat quibuslibet indigentibus, quorum aliqui requirunt leviores ad transportandum, alii minutiores ad necessaria emendum, alii species particulares proportionate ad loca, in quæ tendunt, &c. Potest autem tale lucrum exigere, quale justum reputatur inter campsores timoratos, vel quod à viris prudentibus, vel à republica (quod minus periculosum est) fuit taxatum.

Prob. De campsores particulari, seu de eo, qui non est talis ex officio; quia potest habere justum titulum, v. g. lucrum cessans, aut damnum emergens, ut si statuerat aureos suos alio transferre, ubi sunt majoris valoris, sed tunc deducenda sunt, pericula & expensæ. Hic etiam spectari potest valor monetæ intrinsicus; ut, si aurum sit purius. Item major ipsius commoditas in transportando, numerando, conservando, &c. sicut & quod cura in uno regno, & non alio, &c. quæ omnia simul sumpta videntur aliquo prætio æstimabilia.

Dices 1. Non plures valent 100. floreni in moneta aurea, quam in moneta ænea: ergo si commutentur, non licet ideo aliquid accipere.

* Resp. dist. ant. Non plures valent in emptionibus & venditionibus, C.; quia in illis attenditur præcise valor legalis, seu prout à lege taxatus est. In commutationibus pecuniæ cum pecunia, N., quia tunc etiam attenditur ipsius valor naturalis, qui desumitur ex majori monetæ puritate, utilitate, commoditate, in aliquibus locis acceptatione, & aliquando ex antiquitate.

Dices 2. Non obstantibus illis commoditatibus & utilitatibus pecuniæ naturalibus, taxavit Princeps monetam ad tantum valorem: ergo servari debet in omni contractu.

Resp. dist. ant. Non obstantibus, &c. taxavit monetam ad tan-

tum valorem, quatenus est pretium rerum venalium, C.; quatenus est res quaedam pretiosa ad negotiandum commodior, ad transportandum facilior, &c. N., unde in taxatione pecuniæ attendit præcise ad usum ipsius principalem, seu ad eum, quem habet ut est pecunia, qui est, ut sit mensura rerum venalium; non autem ad alium usum, qui ipsi competit, ut est res ex tali materia & forma.

Dices 3. Si suam utilitatem habeat pecunia aurea, eo quod sit commodior ad transportationem, &c. etiam suam habet cuprea ad usus quotidianos, seu ad emptionem minutiorum: ergo in cambio nihil debet recipi, cum utilitas unius compenset utilitatem alterius.

Resp. In certis circumstantiis monetam minutiorē non tantum æquivalere, sed etiam prævalere monetæ nobiliori, quod non repugnat resolutioni nostræ, cum non dicamus semper præferendam esse nobiliorem ignobiliori, sed aliquando illam huic, aliquando hanc illi, secundum diversas occurrentias, ad quas campsor prudens & timoratus debet attendere.

Dices 4. Res non est carior, quia utilior emptori: ergo.

R. dist. ant. Quia utilior utilitate proveniente ex parte emptoris, C.; illa enim utilitas seu commoditas nullatenus pertinet ad venditorem. Quia utilior utilitate proveniente ex re empta, N.; hæc enim sicut res ipsa, est venditoris, unde quando D. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. O. dicit, *si aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accipit, venditor non debet eam supervendere*, loquitur de 1. utilitate, non de 2. ut patet ex sequentibus.

Dices 5. Sicut 15. libræ Flandricæ in auro æquivalent dolio vini, ita 15. libræ in argento: ergo etiam æquivalent inter se; quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

R. neg. conseq. Quia sunt tantum eadem respectu vini secundum valorem legalem, eo quod in re vendibili solus valor attendatur: ut autem inter se considerantur, etiam attenditur valor naturalis, qui cum aliquando sit major in uno, quam in altero, hinc sit quod unum plus valeat, quam aliud.

CONCL. II. Potest etiam campsor ex cambio locali lucrum facere, sive interim hic numeret pecuniam alibi recipiendam, sive è contra recipiat alibi numerandam.

Prob. 1. Ex Bulla Pii V. citata, ubi, rejectis cambiis siccis, approbat realia tamquam reipublicæ utilia & necessaria.

Prob. 2. Ex omnium mercatorum praxi & consensu; qui unanimiter modum illum cambiendi cum lucro, recipiunt & practicant, nullo reclamante.

Prob. 3. Quia beneficium transportandi formaliter, aut virtualiter pecuniam de loco in locum, v. g. hinc Parisios, aut Parisiis huc in gratiam campsarii, est pretio æstimabile, cum per hoc eximatur campsarius à periculis, expensis & laboribus, quæ deberet pro transportatione subire. Censetur autem transportatio esse formalis, cum de facto pecunia hic numerata debet portari Parisios,

ut ibidem campsario, aut ejus correspondenti numeretur, virtualis vero cum campsor habet Parisiis correspondentem, qui pecuniam hic numeratam ibidem refundat, sed minus debet recipi, quam in transportatione reali, eo quod minus subsit molestiæ & periculi.

Dices 1. Ubi transportatio solum est virtualis, præcise datur mutuum in uno loco, reddendum in alio.

Resp. neg. assumpt. Quia ulterius eximitur campsarius per artem, industriam; litteras, & correspondentes campsoris ab oneribus & periculis in transferenda pecunia subeundis: quod est prætio æstimabile.

Dices 2. Quando campsor dat prior pecuniam campsario eam alibi recepturus, nulla fit transportatio pecuniæ campsarii, cum eam necdum receperit campsor.

Resp. Fidei æquivalenter: acceptat enim campsor pecuniam campsarii alibi existentem, & postea huc quasi transmissam eandem hic numerat campsario.

Dices 3. Saltem nihil potest recipi quando cambium cedit in utilitatem campsoris, v. g. quando est ipsi utilius, aut æquè utile habere pecuniam hic quam Romæ, aut Romæ, quam hic.

Resp. neg. assumpt. Hoc enim bonæ ejus fortunæ, arti, & industriæ imputandum est: & certe, si possit nuntius tuta conscientia exigere pretium, quod erat recepturus, ut hinc Dunkerkam pecuniam transferret, etiamsi reperiat hic aliquem, qui in se suscipiat onus illam numerandi Dunkerkæ, quidni & campsor pretium transportationis exigere, licet sit ipsi commoda? Cum commoditas non oriatur ex conditione pecuniæ absentis, sed ex industria campsoris.

CONCL. III. Ob pecuniam hodie traditam, sed recipiendam intra 4. menses, nihil potest campsor exigere, nisi inde cesset ipsi lucrum, aut damnum emergat.

Ratio est; quia nihil aliud intervenit, quam mutuatio, & quod exigitur, pro carentia pecuniæ ad certum tempus exigitur: quem titulum non esse sufficientem superius ostendimus.

Dices: In cambio plus valet pecunia præsens, quam absens: ergo.

Resp. 1. Nullum ibi intervenire cambium, sed purum mutuum.

Resp. 2. dist. ant. Plus valet pecunia præsens, quam absens quoad locum, transeat: quam absens quoad tempus, N. Ratio disparitatis est, quod absens quoad locum sit ex natura rei exposita periculis & expensis, ratione quarum potest ejus pretium minui, non sic absens quoad tempus.

Dixi in concl. *Nisi inde cesset ipsi lucrum, aut damnum emergat*, quia si præcise propter interesse, quod patiuntur, auctarium exigant mercatores, illi qui hoc modo cambiendi, aut potius mutuandi utuntur, excusari poterunt ab usura, alias non: ad quod serio reflectere debent illi, qui non dant pecuniam sibi certo tempo-

re solvendam, nisi quando ipsis inutilis est ob defectum opportunitatis negotiationis, sicque auctarium recipiunt, non pro lucro cessante, non pro damno secuto, sed præcise pro mutuo.

Q U Æ S T I O I I I.

Seu potius quæstiones variæ ad materiam præsentem spectantes.

Petes 1. An ut cambium locale sit justum, debeat fieri de regno in regnum, & non de civitate in civitatem ejusdem regni? Affirmat Sotus, sed

Resp. Probabilis neg. modo tamen, quo minus est intervallum, minus accipiatur pretium. Ratio est; quia illa omnia quæ concurrunt ad trajectionem pecuniæ de regno in regnum, concurrunt etiam ad trajectionem de civitate in civitatem: ergo si pro illis possit aliquid exigi in 1. casu, etiam poterit in 2.

Petes 2. An liceat cambium cum recambio?

Resp. 1. Usurarium esse, si campsor cambiando obliget campsarium ad recambiendum. Rem pono in exemplo. Indigeo hic pecunia, quam mercator aliquis nolens mihi dare mutuo, fingit se eam velle mihi dare Antuerpiæ ratione cambii ea lege ut per novum cambium, eam hic sim accepturus. Ratio est, quia nihil est aliud, quam mutuum palliatum cum vera usura, aut verius cum usura duplici.

Resp. 2. Etiam illicitum esse recambium, cum litteræ meæ Parisios missæ, ut ibi solvatur pecunia, quam hic recepi à campso, remittantur ad campsoem ab ejus agente cum novo cambio, sub prætextu, quod non fuerint Parisiis admixtæ. Ratio est; quia non potest fieri novum illud cambium sine meo consensu. Si tamen ex mea culpa solutio fuit Parisiis denegata, teneor ad omne interesse, quod inde passus est campsor.

Petes 3. An liceat cambire pecuniam præsentem cum futura, secundum valorem quem habebit intra sex menses, id est, an possint hic dare 100. aureos recepturus totidem intra sex menses Parisiis, sive aurei tunc pluris, sive minoris sint valituri?

Resp. affirm. Si sit dubium utrimque de aureorum incremento aut decremento quoad pretium. Ratio est; quod tunc servetur æqualitas, cum periculum sit utrimque æquale.

Petes 4. An possit campsor exigere pignus, seu fidejussorem?

Resp. Posse, si pretium minuatur; & aliunde sint tituli sufficientes ad exigentiam auctarii. Ratio est; quia licitum est assecurationem exigere in aliis contractibus, qui fiunt credito, quidni & liceat in cambio? & certe non videtur justum, ut campsarius, in cuius gratiam fit pecuniæ translatio, sit in tuto, & campsor, qui pecuniam suam confert, sit in periculo.

Dixi; Si pretium minuatur; quia pretium cambii ordinarium ta-

xatur habito respectu, saltem partiali, ad periculum, quod per assecurationem tollitur.

Dixi etiam, & aliunde sint tituli sufficientes; quia si daretur casus, ubi assecratio esset tota ratio auctarium exigendi, nihil posset tali casu recipi.

Petes 5. An campso, aut ejus famulo debeantur aliquæ provisiones propter munus scribendi, pecuniam numerandi, litteras mittendi, &c.

Resp. Nihil deberi ultra pretium cambii ordinarium & justum, quia munia illa censentur per pretium justum sufficienter compensari, famulis quidem campsoem debentur salaria, sed à campsoibus, non à campsoariis.

Petes 6. Quid dicendum de cambio Bizantino, vel Placentino?

Bizantium & Placentia urbes sunt mercatoribus & mercibus destitutæ; & ideo per tale cambium intelligitur omne illud, quod dirigitur ad locum, ubi campsoarius nec pecuniam, nec merces, nec correspondentem, nec fidem habet; ita ut fieri debeat recambium ab illo loco, ad eum, in quo campsor pecuniam numeravit. Ad quæstionem

Resp. 1. Si campsor numerans pecuniam petat illius solutionem in loco, ubi novit campsoario esse impossibilem, defectu pecuniæ ibidem, aut occasionis ut sic teneatur campsoarius ab illo loco ad hunc locum recambire, esse usuram palliatam, cum non intendatur cambium; sed mutuum cum duplici usura. Vide petitionem secundam.

Resp. 2. Si campsor bona fide procedat assignans solutionem Bizantii, vel alibi; & postea peracto ibidem bona fide primo cambio petat campsoarius, ut fiat cambium, poterit campsor ab usura excusari; cum sit verum cambium & recambium; sed caveatur fraus.

Petes 7. An liceat hic cambire 100. nummos cum nummis ejusdem omnino ponderis in Italia recipiendis, si nummi hic valeant duobus florenis, & in Italia tribus?

Resp. neg. quia non servatur æqualitas, cum minus detur & accipiatur plus: servatur quidem æqualitas quoad materiam & pondus, non tamen quoad valorem legalem, à quo pretium habet moneta. Si tamen pretium nummorum vulgare esset in Italia tantum duorum florenorum, id est, si non plus mercium obtineretur cum illo nummo; ac obtineretur in hac patria cum nummo florenorum, videtur justum esse cambium præfatum, cum nummi in ordine ad usus quotidianos æquivalent; & sic, propter illam rationem, practicatur, dum fit cambium pecuniæ Tornacensis v. g. ubi schelingus valet 6. assibus, cum pecunia Leodiensi; ubi valor legalis schelingi est 10. assium.

Petes 8. An famulus (idem est de alio) qui recepit pecuniam auream à domino, ut solveret ipsius debita; aut ipsi emeret merces, possit pecuniam domini cambire cum lucro suo, dummodo solvat

debita, aut emat merces eo modo, quo intendebat dominus.

Resp. affirm. quia est fructus meræ industriæ, & aliunde nec domino, nec ipsius creditori fit injuria; cum unus & alter intentum obtineat. Nec obstat, quod famulus, cui injunctum est aliquid vendere 20. non possit retinere augmentum, si vendat 24. quia famulus in venditione agit nomine domini sui: in hoc autem cambio nomine proprio. Aliud esset, si dominus intendisset cum pecunia aurea gratificari debitori.

Petes 9. Quandoam pretium cambiorum sit justum?

Resp. Vel taxatur pretium auctoritate Principis, vel communi usu fori, & mercatorum: si 1. debet, ut sit justum, servari taxa Principis: si 2. quod magis ordinarium est, standum est iudicio, non unius tantum, aut alterius mercatoris, sed plurium in domo bursaria congregatorum, qui attentam diligenter vera & reali abundantia, vel penuria pecuniæ, tam in loco ubi cambium recipitur quam in illo ubi solvitur, judicant secundum DEUM & justitiam esse legitimum. Ratio est; quia non possunt convenientium rerum pretia taxari, quam à peritis, & aliunde timoratis.

Petes 10. An pataconem hic 54. assibus valentem, liceat cambire pro 55. assibus, eo quod valeat 56. in Hispania?

Resp. 1. Licere, si campsor decreverat ea pecunia uti in Hispania; quia tunc pretium damni recipit.

Resp. 2. Etiam liceret, etsi decrevisset ea uti in Gallia; quia et si pataco ille tantum valeat 54. assibus, ut est pretium rerum venalium; tamen in ratione mercis, sub qua ratione consideratur ordinarie in cambio, pluris valet vulgariter. Accedit, quod Principes videantur in id consentire, cum id scientes non contradicant.

QUÆSTIO IV.

Quid sit contractus societatis? Quas condiciones requirat: & quomodo, finita societate facienda sit divisio?

Multiplicem assignant aliqui societatem, nempe animalium, vectigalium, honorum, negotiationis; sed quia tres primæ tum ex dictis, tum ex dicendis de quarta facile possunt colligi, & ad praxim reduci, ideo de sola societate negotiationis hic agimus.

CONCL. I. Contractus societatis est conventio duorum vel plurium suam partem ad negotiationem conferentium in ordine ad commune lucrum.

Dicitur 1. *Conventio*; qui enim sine conventionem mercatorem adjuvat pecunia, aut industria, non debet ex justitia lucro participare.

Dicitur 2. *Partem conferentium*, sive interim conferant pecuniam, sive laborem, sive industriam, sive navem, sive aliud pretio æstimabile.

Dicitur 3. *In ordine ad commune lucrum*; quia ubi totum lucrum uni obvenit, & aliis cooperantibus tantum merces, aut stipendium, non est contractus societatis, sed locationis & conductionis.

CONCL. II. Requiritur ad justitiam hujus contractus 1. Ut singuli vere aliquid conferant collatumque statim fiat singulis commune, ita ut omnium collatorum periculum respiciat omnes socios: nam est *usura tacita*, inquit D. Bonav. tom. 2. Opusc. animæ cap. 2. *cum aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum vel damnum non sit commune*. 2. Ut nullus sociorum sit securus de sorte principali, aut de lucro certo. 3. Ut servetur æqualitas, id est, ut expensæ & lucra sint communia attentam portione majori, aut minori, quam quisque contulit. 4. Ut societas sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitate labe, aut suspitione ineatur, seu contrahatur, ut ait Sixtus V. in Bulla 45. anno 1586.

CONCL. III. Quando socii æqualiter in societatem contulerunt, v. g. singuli cum æquali pecunia, æqualem operam navaverunt; vel quando unus totam pecuniam, alter totam operam pecuniæ æquivalentem contulit, debent, finita societate, omnia æqualiter dividere; id est, tam lucrum, quam summam capitalem; ubi autem pecunia excedit medietate valorem operarum, aut instrumentorum, ut sunt currus, naves, equi, &c., debet qui pecuniam contulit, ultra summam datam, ex tribus partibus lucri, duas reportare; qui vero operam & instrumenta, habet tertiam partem lucri, & insuper summam pecuniæ æquivalentem labori & instrumentis: unde, si Petrus v. g. dedit bis mille aureos ad societatem, & Paulus operas & instrumenta æquivalentia 1000. aureis, & finita societate, rependantur in bursa communi tria millia aureorum cum trecentis, cedunt Petro 2200. & Paulo 1100. & sic proportionate in aliis casibus, augendo vel minuendo, sive sortem, sive lucrum, sive damnum prout magis vel minus collatum fuerit.

Ratio horum est, quod non possit assignari modus justitiæ commutativæ servandæ convenientior.

Dices. D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. docet committentem alicubi pecuniam per modum societatis, non transferre illius dominium: ergo capitale numquam est dividendum, sed semper illi, qui tradidit, restituendum.

Resp. Div. Thomam nihil aliud velle, quam quod non transferat dominium integre & totaliter, quasi res tradita esset amplius sua, licet transferat partialiter, seu faciat ut id, quod erat ipsi singulare, fiat omnibus sociis commune. Ex his

Resol. 1. Si, finita societate, nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, dividendum esse inter ipsum & alium, qui operas pecuniæ æquivalentes contulit; alias si totum capitale rediret ad eum, qui illud contulit, unus penderet totum, scilicet operas, alter nihil.

Resol. 2. Si capitale periret antequam alter operas & instrumenta capitali æquivalentia exhibuisset, teneri hunc medium capitalis refundere illi, qui pecuniam contulit; si autem postquam mediam partem operarum adhibuit, periret, tantum quarta pars sortis esset reddenda

Q U Æ S T I O V.

An liceat contractus triplex cum eadem persona?

Per contractum triplicem intelligimus hic contractum societatis, assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti pro certo. Totum ponimus in exemplo: Joannes dat 100. aureos Petro, ut simul cum eo, partem suam similiter conferente, negotietur, sed timens ne sui 100. aurei ex naufragio, aut aliunde pereant; offert 100. aureos Petro, ut sortem assecuret; & postea volens esse certus de lucro, vendit eidem Petro lucrum ex negotiatione speratum pro 15. aureis; sicque fit, ut Joannes post annum, recipiat totum quod dedit, & insuper 5. aureos sine labore, sine periculo, sine lucro cessante, aut damno emergente. Quæritur, an hic triplex contractus, quam à 209. circiter annis adinvenit, aut potius suscitavit hominum avaritia & cupiditas in Germaniæ partibus, possit ad praxim reduci?

CONCL. UNICA. Probabilior est sententia asserens contractum illum esse illicitum & usurarium.

Prob. 1. Quia eo ipso, quo contractui societatis adjungitur contractus assecurationis illius quod in societatem collatum est, degenerat in mutuum, si sit eadem persona sortem recipiens, & assecurans; atqui usurarium est ex mutuo lucrum reportare: ergo. Minor certa est.

Prob. maj. Quia pecunia sic tradita, & assecurata transit totaliter in dominium assecurantis; cum possit de illa pro libitu disponere, & ipsi pereat, si perierit, quod signum est translati dominii, adeoque mutui, & non societatis, in qua tradens pecuniam, retinet illius dominium sensu antea explicato.

Dices 1. Quando Joannes tradit pecuniam Petro ad societatem, si Paulus assecuret sortem, Paulus non fit illius dominus: ergo nec Petrus si illam assecuret.

Resp. neg. consequ. disp. est, quod Paulus tunc nec pecuniam recipiat, nec de ea pro libitu disponat: quod tamen facit Petrus.

Dices 2. Tenetur Petrus pecuniam receptam & assecuratam negotiationi applicare: ergo non potest de ea pro libitu disponere.

Resp. Antecedenti repugnare praxim, & sensum communem omnium, qui taliter pecuniam tradidere, cum ne unus quidem intenderit unquam obligare recipientem ad negotiandum; sed præcise curaverint omnes sortem & lucrum reportare, sive alter cum pecunia negotiaretur, sive ædificaret, sive villam emeret, sive quid-

piam aliud faceret: unde numquam auditum est, vel unum contra taliter facientes reclamasse; quia nempe credebant omnes datæ pecuniæ dominium, non penes se, sed penes recipientem residere.

Prob. 2. Quia una ex conditionibus ad societatem requisitis, est ut lucrum & damnum ex societate proveniens, sit sociis commune; sed hic unus est certus de lucro, & tutus ab omni periculo: ergo. Nec dicas condiciones illas tantum respicere societatem puram, non autem illam, cui annexi sunt alii contractus; quia reprobant leges civiles societatem illam (in qua lucrum & damnum non est commune) tamquam leoninam, non distinguentes, an contractus societatis sit purus, an mixtus; ubi autem jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus.

Prob. 3. Ex duobus celeberrimis Sacrorum Canonum interpretibus Zonara, & Theodoro Balsamonis Patriarcha Antiocheno; quorum primus in Canonem 17. Concilii Nicæni sic loquitur: *Fœnerarii enim nominis infamiam aliqui (clerici) declinantes pecuniam ita dant mutuam, ut sibi lucri partem ex ea paciscantur, ne se fœneratores, sed socios dicunt, ac emolumentum tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum subeunt: hæc omnia hujusmodi Canon vetat.* Secundus in eundem Canonem sic disserit: *Quidam sacerdotes. . . dant nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem se capturos paciscuntur; periculum autem agnituros, qui eam recipiant, & cum sint revera fœneratores, verbo tamen societatem prætexunt: hoc ergo Canon aversatur, & eos, qui hujusmodi quid faciunt, deponit.* Quis autem non videat præfatam societatem contrahentes id ipsum facere, quod S. Synodus Nicæna tam severe arguit, & reprehendit?

Prob. 4. Ex proscriptione hujus propositionis à Facultate Parisiensi anno 1664. *Si au contract de société on ajoute un contract d'assurance du capital, & de vente d'un profit incertain pour un profit certain, en vertu de ces trois contracts, il est permis d'exiger un profit certain avec l'assurance du sort du capital.* Condemnata est autem tamquam falsa, scandalosa, inducens ab usuras, & aperiens artes eas palliandi, justitiam ac charitatem violando.

Prob. 5. Quia si contractus triplex esset licitus, immerito variae Synodi, ut Cameracensis I., Mechliniensis I., Audomarensis sub Joanne Six, Iprensis sub Rithovio, Attrabatensi sub Moulartio, immerito, inquam, condemnasset universaliter contractus, quos faciebant tutores tradentes pecunias pupillorum sub lucro annuatim recipiendo, & cum potestate recipiendi capitale, ubi indiguerint pupilli; quandoquidem similis contractus cum mercatore initus foret licitus, intendendo scilicet explicite vel implicite facere contractum triplicem.

Prob. 6. Ex Bulla Sixti V. *Detestabilis* anno 1586. per quam expresse, formaliter, & terminis evidentibus condemnat hunc contractum tamquam usurarium.

Dices 1. Bullam illam non fuisse in Belgio publicatam, adeoque nec receptam. Sed contra est quod contractus non sit præcise malus, quia per illam Bullam prohibitus; sed è contra per Bullam illam prohibitus, quia de se malus: ait enim Pontifex loquens de præfato contractu; *nuper cum magno dolore audivimus hoc malum in quasdam provincias irrepsisse*: ergo ceuset Pontifex ante prohibitionem fuisse malum.

Replicabis: si credidisset Sixtus V. contractum illum esse de se malum, non dixisset: *Statuimus hujusmodi contractus, conventiones, pactiones, usurarios & illicitos post hac censeri debere*, sed simpliciter, *declaramus esse usurarios*, ut sic tam initos, quam ineundos comprehenderet. Sed

Dicendum est, sic Papam fuisse locutum, quia sciebat quosdam sui temporis theologos contrarium docere, quorum sententiæ ut obviaret; dixit; *statuimus posthac usurarios censeri debere*, idest, volumus ut nullus deinceps illos doceat, teneat, defendat, nisi tamquam usurarios; quia nempe credebat illos esse de se tales; cum in fine Bullæ dicat usurarios esse habendos, qui ratione talis contractus jam initi (adeoque non tantum ineundi) sortem perditam, aut lucrum promissum exegerint.

Dices 2. Ex Comitolo lib. 3. Responsum q. 12. n. 30. Cardinalem Sanctæ Severinæ, sicut & Cardinalem Toletum, qui jussu Sixti V. dictam Bullam condiderunt, asseverasse Patri Tuccio societatis Jesu theologo non nisi contractus illos per hanc Bullam condemnari, quos doctores classici condemnarunt.

Resp. Nihil inde sequi contra nos, sed potius pro nobis, cum omnes doctores rem in statera Dei librantes debeant dictum contractum tamquam ex natura sua usurarium condemnare, sicut ut talem condemnavit dictus Pontifex; quandoquidem Navarrus, teste Azorio, optaret & laboraret ut contractus ille declararetur à Pontifice licitus & justus, & tamen contrarium declaraverit & definievit. Præterea vel aliquid utilitatis habet illa Bulla, vel nihil: si secundum, frustranea est; si primum, condemnat dictum contractum, cum de nullo alio fiat ibi mentio.

Dices 3. Sixtum V. tantum condemnare societatem, in qua periculum sortis rejicitur in socium ex vi solius societatis, non autem quando rejicitur ex vi alterius contractus, nempe assecurationis. Sed

Contra est, quod Pontifex expresse damnet & reprobet omnes contractus, conventiones, & pactiones, quibus sors assecuratur, & de lucro certo convenitur.

Prob. denique ex edicto Caroli V. anno 1540. quo prohibet omnibus subditis suis, qui nec sunt mercatores, nec cum mercatoribus societatem habent sub lucro & damno communi, ne pecuniam dent mercatoribus cum pacto de certo lucro annuatim recipiendo, idque sub pœna confiscationis capitalis, & quod tamquam usurarii

publici habebuntur & punientur, ex quo patet contractum præfatum non esse necessarium, & utilem reipublicæ ut immerito sustinent aliqui.

Obj. 1. Cap. *Per vestras* 7. de donationibus inter virum & uxorem, præcipitur, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum.

Resp. dist. assumpt. Ut daretur ad lucrum per contractum societatis sub communi lucro & damno, C.; per assecurationem capitalis & lucri certi, N.; quandoquidem ne vel umbra assecurationis appareat in dicto capite.

Obj. 2. Contractus triplex initus cum diversis personis est licitus, ut si Paulus det pecuniam ad societatem Petro, & Joannes assecuret capitale: ergo etiam cum eadem persona. Respondent aliqui negando ant. eo quod pecunia exposita negotiationi, debeat esse exposita periculo; sed illo admissio, N., conseq. Disparitas est, quod contractus societatis in nostro casu ratione assecurationis degeneret in mutuum; non sic in primo casu, ut patet ex antea dictis.

Inst. 1. Diversitas personæ assecurantis non variat rationem illius contractus: ergo si non degenerat in mutuum cum diversa persona, nec degenerat cum eadem.

Resp. dist. ant. Diversitas personæ, idest, quando una est recipiens, & altera assecurans quæcumque sit. C. Quando eadem est assecurans & recipiens, N.; quia tunc recipiens fit pecuniæ dominus, cum illam habeat, ipsi pereat, de illa, prout vult, disponat; non sic persona tantum assecurans, ut per se patet.

Inst. 2. Tenetur recipiens illam applicare ad negotiationem; ergo non disponit de illa ut vult, & consequenter non est totaliter illius dominus, sed tantum eo modo, quo socius.

Resp. neg. ant. Quandoquidem reddendo capitale cum lucro, si ve cum pecunia negotiatus fuerit, sive non, nulli faciat injuriam; faceret autem si teneretur negotiari.

Instab. 3. Impedit ipsum à consecutioni justiciæ per negotiationem acquirendi: ergo facit ipsi injuriam.

Resp. neg. ant. Quandoquidem dans pecuniam sit certus de suo lucro ante omnem negotiationem, adeoque independentem ab illa.

Inst. 4. Contractus ille fit sub tacita conditione negotiationis futuræ: ergo.

Resp. neg. ant. Quandoquidem omnes, ne uno excepto; exigant lucrum, de quo convenerunt, sive interim secuta sit negotiatio, sive non; immo nullus de ea inquit, an facta sit, necne: quod signum est contractum fieri absolute, & non conditionate.

Inst. 5. Supponitur, mercatorem pecuniam negotiationi applicasse, vel, si non applicavit, teneri, ob injuriam illatam, damnum resarcire: & ideo semper lucrum exigitur.

Resp. Sæpe mercatores, defectu occasionis, non uti pecunia data ad negotiationem, ergo saltem illo casu nihil deberent solvere,

cum ubi nulla est culpa, nulla sit injuria, & tamen etiam tunc lucrum exigitur, quod est signum evidens lucrum illud nec ratione negotiationis, nec ratione injuriæ exigi, sed præcise ratione mutui.

Obj. 3. In illo contractu servatur justitia commutativa; quandoquidem assecuratio sortis, & venditio lucri incerti fiant justo pretio: ergo non est injustus. Prob. ant. Cum diversa persona sit justo pretio: ergo etiam cum eadem; quandoquidem personæ diversitas non mutet pretia rerum.

Resp. neg. suppositum, nempe contractus assecurationis & venditionis in illo casu realiter intervenire: nam juncti cum contractu societatis in eadem persona, nihil aliud sunt à parte rei, quam mutatio, & tantum apparenter assecuratio & venditio.

Obj. 4. Ex eo, quod commodatarius, aut locatarius assecuret rem commodatam, aut locatam, non sit illius dominus: ergo nec socius sit dominus sortis sibi traditæ per hoc, quod illam assecuret.

Resp. Disparitatem esse, quod commodatarius, aut locatarius, etiam assecurans, non possit pro libitu de re commodata, aut locata disponere; id autem possit socius assecurans respectu sortis, & sic sit dominus, non alii.

Pro hujus quæstionis coronide advertendum, multos sententiæ oppositæ patronos ingenue fateri opinionem suam esse in praxi periculosam, multis usuris expositam, viam sternere usurariis securius usuras suas exercendi sub prætextu societatis, præ se ferre speciem mali, &c. Immo si Victoriæ credimus, monebat Major contractum illum, non publice, sed secreto esse faciendum; quæ omnia satis ostendunt sententiæ contrariæ infirmitatem, ne dicam falsitatem.

Q U Æ S T I O V I.

Quid census? Quotuplex? & quas conditiones requirat?

Census (dictus aliter redditus, eo quod à tempore ad tempus redeat solvendus) sumitur tripliciter. 1. Pro jure exigendi certam pensionem. 2. Pro contractu, quo emitur aut venditur jus illud. 3. Pro pensione ex illo jure recepta, aut recipienda. Hic de censu in prima acceptione agimus.

CONCL. I. Census est jus percipiendi certis temporibus pensionem aliquam ex re aut persona alterius fructifera.

Dicitur 1. *Jus percipiendi*, quod residet in censuista, seu censuista, idest, in eo qui tali jure gaudet, supponitque debitum solvendi in censuario, seu in eo, qui tale jus vendidit.

Dicitur 2. *Certis temporibus*, idest, singulis annis vel mensibus, prout conventum fuerit.

Dicitur 3. *Ex re vel persona*; quia jus præfatum non tantum potest fundari in re aliqua, v. g. domo, agro, vinea, &c. Sed etiam in persona, modo sit fructifera, idest, labore aut industria, officio, &c. possit aliquid lucrari.

CONCL. II. Dividitur. 1. Census in reservativum, seu conservativum, & consignativum. Primus est, quando quis tradit alteri rei suæ dominium utile & directum, retento sibi jure certam pensionem ex ea quotannis percipiendi: & tales sunt census, qui solvuntur nonnullis capitulis, monasteriis & toparchis, qui cedendo certos fundos, reservaverunt sibi, quasi in recognitionem, modicam pensionem annuatim solvendam. Secundus est (de quo deinceps loquemur) quando quis, retento rei suæ usu & dominio, assignat seu consignat alteri pensionem quam tenetur statutis temporibus solvere, vel in fructibus, & dicitur census fructuarius, vel in pecunia, & vocatur pecuniarius.

Subdividitur census consignativus in realem, personalem, & mixtum. Primus fundatur in re, qua pereunte, perit & census; quia tantum ex illa debebatur, & si ad alium transeat, transit cum suo onere. Secundus fundatur in persona, quæ se obligat ad pensionem ex omnibus bonis suis & operis: unde si ad securitatem hypothecavit rem aliquam, & ipsa pereat; non perit census. Mixtus fundatur in re aliqua determinata & persona simul; & ideo, re aliqua pereunte, integer manet census propter obligationem personæ.

Subdividitur ulterius in temporalem & perpetuum. Hic vi contractus semper durat, ille ad tempus; & quidem si ad tempus determinatum, v. g. ad 20. aut 30. annos, dicitur simpliciter temporalis, si ad tempus indeterminatum, v. g. ad vitam alicujus, dicitur vitalitius. Alius est etiam redimibilis, alius irredimibilis: hic non potest extinguere, ille potest sive ex toto, sive ex parte, sive à venditore totum capitale, vel pars refundatur.

CONCL. III. Ad obviandum variis usuris, quæ sub nomine census irreperant, voluit Pius V. in sua Bulla, quæ incipit: *Cum onus*, ut sub poena nullitatis, & confiscationis serventur postmodum hæc conditiones in creatione census. 1. Ut res, supra quam fundatur census, sit determinata, immobilis, fructifera. 2. Ut contractus non celebretur, nisi numerata pecunia, & quidem coram notario & testibus. 3. Ne censuista cogat censuarium ad anticipatam solutionem. 4. Ut si res fundans censum pereat, pereat & census; si deterioretur, minuatur census proportionate. 5. Ut pretium sit justum. 6. Ut possit venditor, refuso pretio, censum redimere, modo bimestri ante, emptorem moneat. 7. Ut non apponatur conventio de aliquo solvendo propter morositatem debitoris, nequidem sub titulo lucri cessantis, aut damni emergentis. 8. Ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis, & non solutis. 9. Ut si censuarius rem censui subjectam velit vendere, teneatur monere censuistam, quem pro æquali pretio tenebitur aliis præferre; ubi autem censuista recusabit emere, poterit censuarius aliis vendere, translato in emptores pensionis onere. 10. Ut in casu redemptionis census, detur idem omnino pretium, ac fuerat in ejus creatione solutum, &c. Etiam aliquas conditiones antea requisie-

rant Martinus V. & Calixtus III. sed cum nec Bulla Pii V. nec horum Pontificum vim habeat in his locis, ut satis declarat contraria, etiam timoratorum, praxis, non obligant hic conditiones illæ, quatenus sunt Bullatæ præcise: unde subjecio alias ex juræ naturæ requisitas.

1. Est, ut adsit animus emendi & vendendi. 2. Ut res censui subjecta sit ex se fructifera: cum enim ex re infecunda non possit aliquid recipi, etiam nec vendi potest jus aliquid inde percipiendi. 3. Ut justum sit pretium: quod spectari debet attentis provinciæ legibus, ac timoratorum consuetudine, juxta mores autem belgicos solent dari sexdecim, ut ematur jus ad unum annuatim recipiendum, seu, quod in idem redit; dantur 100. ut recipiantur sex cum quadrante. 4. Ut census pereat, si perierit res censui subjecti; aut minuatur, si res deterior facta sit. Moribus tamen nostris, etiam re illa pereunte, solet pensio exigi, eo quod census non sint apud nos mere reales, sed partim personales: & ideo si censuarius sit aliunde solvendo, etiam tunc cogitur ad solutionem.

Attamen ex edicto regio ultima octobris 1587. plura circa bona per bellum devastata, sunt ordinata. Statuitur namque 1. (ut refert Neesen) ut dum aliquorum bona devastata fuerint, & possessiones per bella redditæ inutiles, creditores non possint adversus eos, eorumve bona procedere per arresta & executiones, sed teneantur per libellum supplicem adire concilia regia, quæ per commissarios datos examinant partes, & comperta veritate damni, per remissionem aut dilationem debiti partes concordabunt.

Statuitur 2. Ut quando redditibus non suberat personalis obligatio, & hypotheca reddita fuerat inutilis, daretur remissio omnium annorum, quibus meti, seri, aut habitari non potuerat.

Statuitur 3. Ut mercedes, seu annuæ præstationes rerum conductarum integre remitterentur, ubi nihil fructuum haberi poterat; pro parte autem, ubi pars fructuum obvenit, & pars perierat.

Statuitur 4. De redditibus, quibus suberat personalis obligatio, ut ubi notabilis jactura debitoribus obvenit, dilatio congrua tribuatur, nec cogi possint statim totum debitum solvere. Ubi autem omnibus proventibus caruerint, remissio fiat ad ratam temporis & proportionem jacturæ: habita ratione status conditionisque debitorum & creditorum.

Hæc autem pro tempore belli statuta, videntur ad similes casus extendenda, ne crudeliter afflicti debitores rigorosius tractentur à creditoribus.

QUESTIO VII.

An possit creari census realis pecuniarius?

Posse creari censum realem fructuarium, seu emi jus percipiendi singulis annis tot raserias bladi ex tali agro, aut tot dolia vini ex

tali vinea, satis conveniunt doctores, sed de censu pecuniario seu de jure percipiendi quotannis certam pecuniæ summam, dubitant aliqui immo Henricus Gandavensis cum quibusdam aliis id absolute negat, propter rationes postea solvendas: alii autem à Silvestro citati volunt quidem emi posse censum jam ab alio institutum, non posse tamen de novo institui. Contra quos

CONCL. UNICA. Licita est emptio census realis pecuniarii, sive de novo instituatur, sive jam institutus ab aliquo tertio ematur, ita communiter casuistæ.

Prob. 1. Ex approbatione 5. Summorum Pontificum, Martini V. Bulla *Regimini universalis Ecclesiæ*, Nicolai V. Bulla *Sollicitudo*, Calixti III. Bulla, *Regimini Universalis Ecclesiæ*, Pauli III. Bulla *Dilectus*, & Pii V. in motu proprio, *Cum onus*: unde Rebullus dicit esse oraculum fide tenendum.

Prob. 2. Quia in contractu censuali intervenit vera emptio & venditio; sed hi contractus sunt liciti: ergo. Prob. maj. quia justo pretio emitur, non pecunia quotannis recipienda, ut volunt adversarii, sed jus percipiendi ex re fructifera certam summam pecuniæ: quod jus est vera merx, adeoque pretio æstimabile: & certe si jus percipiendi fructus, puta triticum, aut vinum sit merx, quidni jus percipiendi pecuniam?

Prob. 3. Destruendo fundamentum adversariorum. Ideo, secundum ipsos, contractus ille est illicitus; quia nihil est aliud, quam mutuum formale aut virtuale, cum dentur 100. v. g. ut recipiantur singulis annis 5. salva manente sorte; quod idem est ac mutuare 100. cum lucro annuatim recipiendo, donec reddatur capitale; sed si staret hoc fundamentum, etiam usurarius esset census fructuarius; cum nihil esset aliud, quam mutuare 100. cum pacto recipiendi tot fructus ex agro, donec refunderetur capitale: ergo.

Prob. 4. Contra eos, qui dicunt non posse emi censum novum, posse tamen antiquum: vel enim antiquus potuit ab initio licite institui, vel non, si primum, ergo etiam nunc potest alius de novo institui, cum sit par ratio: si secundum, ergo jam non potest emi, cum non sit alius nunc, quam fuerit ab initio.

Obj. 1. Pensio illa accipitur ex pecunia data: ergo ex mutuo.

Resp. neg. ant. Quia sicut qui emit agrum non recipit triticum ex sua pecunia, sed ex agro empto, ita qui emit censum, non recipit pensionem ex sua pecunia, sed ex jure empto.

Obj. 2. Non plus lucratur, qui accipit annuatim 5. aut 6. ex mutuo, quam qui totidem ex censu.

Resp. Totum esse verum; sed lucrum in secundo casu fit medio licito; non sic in primo.

Inferes: ergo requiritur tantum certus modus ad vitandam usuram.

Resp. dist. illatum. Requiritur tantum certus modus varians totaliter essentiam mutui, conc.; nullatenus varians, nego. Est au-

tem discrimen inter mutuum & censum, quod in primo possit sors repeti post certum tempus, & ipsa pereunte, ejusque hypotheca, remaneat obligatus mutuarius; in secundo autem non possit censuista pecuniam pro libitu repetere, & pereunte re, supra quam fundatus est census, pereat & ipse census. Ex quo patet longe majori periculo exponi censuistam, quam mutuatorem.

Obj. 3. Vendens censum, vendit jus quod non subsistit: ergo.

Resp. neg. ant. cum venditor jus habeat ante venditionem percipiendi quidquid provenit ex re sua fructifera, supra quam fundatur census creatus.

Obj. 4. In censu non servatur justitia, cum minus det emptor, quam recipiat: si enim det 1000. aureos, ut recipiat annuatim 50. post 24. annos receperit totum quod dedit, & insuper 200. aureos.

Resp. neg. assumpt. Cujus probatio nulla est, alias sequeretur quod emens domum, cujus pretium recepisset post 40. annos, mediante conductione, non servasset justitiam: quod nemo dixerit. Servatur ergo justitia; quia etsi 1000. illi aurei non æquivalent omnibus pensionibus, quas sorte accepturus est censuista, æquivalent tamen hic & nunc juri percipiendi quotaannis 50. eo quod propter varia pericula, & damna minoris valeat, secundum communem hominum æstimationem, jus percipiendi, quam pensiones receptæ. Ex dictis

Resol. 1. Censum temporalem, v. gr. 20. annorum licite emi posse minori pretio, quam valeant pensiones omnes simul sumptæ.

Resol. 2. Eo majori pretio posse vendi censum, quo super re securiori & stabiliori fundatus est, idque propter minus periculum.

Resol. 3. Posse super eandem rem fundari duplicem censum, modo utrique solvendo sufficiat.

Resol. 4. E contra rem, in qua fundatur census, debere tot fructus reddere, ut, deductis expensis laboris & industriæ, sufficiat ad pensionem solvendam; alias si non sufficiat, censetur ex ea parte, qua insufficiens est, esse infructifera, adeoque census fundandi incapax.

Resol. 5. Quod etsi possit institui census temporalis super re mobili, v. gr. super gregibus, &c. non tamen census perpetuus, cum, ut diximus, census pereat, ubi perit res, supra quam fundatur: unde perpetuus fundari debet in re immobili, v. g. agro, prato, &c.

Resol. 6. Censum minui proportionate ad deteriorationem rei, supra quam institutus est, nisi certe aliter conventum esset, & aliunde res deteriorata adhuc in suis fructibus sufficeret pro pensionem solvenda.

Q U Æ S T I O V I I I.

An sint liciti census personalis & vitalitius?

Occasionem dubitandi de justitia census personalis dedit Bulla Pii V. volentis inter alias condiciones ad censum requisitas, ut res,

supra quam instituitur census, sit immobilis, qualem certum est non esse personam, nihilominus sit

CONCL. I. Licitus est jure naturali & positivo census personalis fundatus super persona utili & fructifera, saltem in his locis. Est communis doctorum opinio, communisque timoratorum praxis.

Prob. Quantum ad jus naturale. Licitus est contractus jure naturæ, ubi res pretio æstimabilis venditur pretio justo; sed hoc fit in censu personali: ergo. Prob. min. Quia pretio justo venditur jus ad utilitatem ex personæ operibus & industria speratam: sicut autem labor & industria sunt pretio æstimabiles, cum ordinarie elocentur, ita & jus ad fructus inde speratos.

Confirm. 1. Ideo institui potest census realis super re aliqua, quia fructifera est; sed non minus potest persona suis operibus fructificare; ergo.

Confirm. 2. Lex ecclesiastica constituit decimas personales; ut patet ex cap. *Non est*, & cap. *Pastoralis* 28. De decimis: atqui quod per legem justam statuitur potest & per conventionem partium institui: ergo.

Prob. Quantum ad jus positivum; quia etsi contraria videatur Bulla Pii V. certum est tamen in Belgio nullam vim habere, sicut nec in Gallia, Hispania, Germania, & Sicilia, si Lessio & alii credimus, & ideo addidi in conclusione: *saltem in his locis*.

Obj. 1. Pius V. in sua Bulla decernit, census super re immobili non fundatos, habendos esse tamquam usurarios; ergo census personalis repugnat juri naturæ.

Resp. dist. ant. Decernit habendos esse tamquam usurarios, quia tales sunt ex natura sua, N.; quia tales statuuntur extrinsece per ejus constitutionem, C.; unde sicut Ecclesia prohibet quosdam contractus tamquam simoniacos licet non sint ex natura sua tales; ita & ex justa causa quosdam prohibet ut usurarios, licet non sint ex se usurarii. Hanc autem esse mentem Pontificis, patet ex eo, quod in eadem Bulla varias alias condiciones requirat, quas certum est non requiri ex natura rei ad justitiam illius contractus, & tamen etiam, his deficientibus, declarat censum usurarium esse habendum.

Obj. 2. Ex illa sententia sequitur posse quidem fundari censum personalem super artificem, non tamen super nobilem, cum laboret ille, non hic; hoc autem videtur ridiculum.

Resp. Posse super utrumque institui, si nobilis (idem est de persona debili, infirma, sene, aut femineï sexus) sit fructifer ratione bonorum possessorum, aut possidendorum; si autem nobilis, nec actu, nec in spe, bona habeat, & aliunde non sit opere, aut industria lucrativus, non est mirum, quod non possit super eum census institui, cum non sit res fructifera.

Obj. 3. Si hoc esset, nonnisi stupidus committeret usuram, saltem quando mutualet pecuniam homini, ratione operis, aut bonorum lucrativo, cum creari possit census personalis.

Resp. neg. sequelam; quia cum plurimi nolint se privare libertate repetendi sortem pro libitu, clarum est, etiam admissio censu personali, alios quam stupidos posse usuram committere.

Obj. 4. Leges civiles prohibent, ne homo detur in pignus; sed per censum personale homo ponitur in statu detericri, cum jus census sit majus, quam jus pignoris: ergo saltem lege positiva prohibetur ille contractus.

Resp. dist. ant. Leges prohibent, ne homo detur in pignus proprie, idest, sic ut deficiente solutione, possit creditor illum sibi in servum usurpare, C.; ne detur in pignus improprie, idest, ne se obliget ad certam pensionem ex suo labore & industria solvendam; idque sine ullo servitutis periculo. N., immo idipsum fieri posse iusinant Principes sæculares, dum justa de causa imponunt quandoque subditis suis tributa personalia, quæ nonnisi ex laborum suorum fructibus solvere possunt.

Obj. 5. Censu personalis minoris emitur, quam valeant omnes pensiones speratæ: ergo illius emptio est illicita. Prob. conseq. Quia cum censu personalis sit quoddam debitum personale; hoc autem debitum, secluso periculo, non minoris valeat, quam res ipsa quæ debetur, v. gr. debitum 100. aureorum, non minoris quam 100. aurei, licet per partes & successive solvendi, sequitur, illicitam esse ipsius emptionem, ubi minoris emitur.

Resp. neg. conseq. Ad prob. dico, falsum esse censum personale esse quoddam debitum, aut jus debitum exigendi, sed est jus ad certam utilitatem ex alterius labore proveniente. Sicut ergo non dicitur emere debitum, qui emit jus percipiendi 20. raserias tritici ex alterius agro; ita nec in nostro casu, cum sit ratio.

CONCL. II. Etiam licitus est census vitalitius.

Prob. Tum ex praxi recepta, tum ex eo, quod etiam hic interveniat vera emptio & venditio rei pretio æstimabilis, possitque fieri justo pretio, sicut quilibet alius; tum etiam ex Clem. 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi dicitur, posse prælatum vendere ad vitam alicujus redditu annuum certæ possessionis. Si autem vendi possit ad vitam redditus fructuarius, quidni & pecuniarius, cum illi fructus pecuniæ æquivalent?

Q U Æ S T I O I X.

Quid dicendum de censu redimibili & irredimibili?

CONCL. I. Potest creari census, qui sit redimibilis ad nutum venditoris seu censuarii, licet censuista non possit illum ad redemptionem cogere. Patet ex Bulla Sixti V. citata, ubi inter conditiones ad justitiam census requisitas, vult ut maneat censuario libertas censum, quando voluerit, pro eodem pretio extinguendi, modo bimestri ante censuistam de redemptione moneat. In Bullis vero Mar-

tini V. & Calixti III. interdicitur censuistæ facultas censuarium cogendi ad redemptionem.

Ratio conclusionis est, quod cum census ordinarie sit censuario onerosus, & censuistæ commodus, eo quod ille propter necessitatem: hic propter pecuniæ abundantiam censum admittat, justum est ut redimibilitas concedatur potius in favorem venditoris, quam emptoris.

CONCL. II. Licitus est jure naturæ, sed illicitus jure positivo census utrimque irredimibilis, seu perpetuus, idest, qui nec possit à venditore redimi, nec ab emptore revendi.

Prob. 1. pars; quia nulla est ratio cur non possit emi jus censuale, eo modo quo emitur domus aut ager, præsertim cum reputetur bonum immobile; sed domus emitur in perpetuum: ergo & jus censuale sic potest emi.

Confirm. 1. Posset Ecclesia, accedente Papali dispensatione, vendere alicui in perpetuum jus decimale; sed tunc esset census perpetuus: ergo, &c.

Confirm. 2. Censu resignativus potest licite esse perpetuus; ergo & consignativus.

Prob. 2. pars, ex Bulla Pii V. citata, ubi legitur, *volumus census omnes posse pro eodem pretio extinguere*, si autem dicatur Bullam illam hic non vigere, saltem viget statutum Caroli V. editum 2. februarii 1528., per quod inhibetur, ne deinceps in Flandria census irredimibiles creentur, statuitque jam creatos posse eodem pretio, quo venditi sunt, redimi, saltem si de pretio constare possit: quod addo; quia creati post mortem Caroli audacis, idest, post annum 1576. redimi possunt nummo vigesimo quinto; antè autem constituti, nummo trigesimo currentis monetæ tempore redemptionis.

Dices 1. Contra primam partem, non potest assignari pretium justum census perpetui; nam cum duret quasi in infinitum, ita & quasi in infinitum debet ejus pretium excrescere.

Resp. neg. assumpt. Licet enim pensiones in perpetuum recipiendæ, sint innumerae, omnibus tamen consideratis, v. g. quod capitale nunquam sit refundendum, quod singulæ pensiones sint tantum singulis annis recipiendæ, quod res censui subjecta sit multis periculis & deteriorationibus exposita, &c. his inquam, consideratis, ejus pretium est omnino finitum, potestque à viro prudenter determinari, sicut determinatur pretium agri, licet ex eo pensiones quasi infinitæ sint ab emptore recipiendæ.

Dices 2. Magis onerosus est census perpetuus censuario, quam solutio usurarum mutuatariorum; quandoquidem possit hic refundendo capitale ab usuris eximi, ille autem quia sortem reddere impeditur, perpetuo gravatur onere.

Resp. neg. Suppositum, nempe talem censum onerosum esse censuario, cum pretium justum omnibus pensionibus solvendis pro-

portionatum receperit: est quidem onus pensionem annuatim solvendi: sed ubi quis non suscepit illud, nisi prius recepto pretio oneri proportionato, immerito dicitur inde gravari: merito tamen dicitur gravatus mutuarius per usurarum solutionem, cum illasolvere debeat sine titulo, nulloque recepto pretio. Ex dictis

Resol. 1. A fortiori licere, spectato jure naturæ, creare censum irredimibilem conditionate, v. g. si censuarius non refuderit capitale ante 20. annos, plus minusve.

Resol. 2. Ita posse institui censum, ut non possit redimi membratim, id est, per partes, sed debeat vel integer redimi, vel numquam redimi; quia creatio hujus census est commodior censuario quam creatio census simpliciter perpetui.

Q U Æ S T I O X.

Seu potius quæstiones varicæ ad materiam hujus contractus spectantes.

Petes 1. Quodnam sit justum pretium census vitalitii?

Resp. Non posse universaliter constitui, cum ex censuistis alius sit delicatus, alius robustus, unus morbidus, alter sanus, hic senex, alter juvenis: unde, attendi debet vel ad legem Principis, si quæ fit, vel ad communem usum, & opinionem prudentum, spectata censuistæ complexione, ætate, &c.

Petes 2. An possit vendi census majori pretio, quam fuerit emptus?

Resp. affirm. Quia potest fieri, quod nunc pluris valeat, quam valeret, quando fuit institutus: unde sicut possum domum minori pretio emptam, majori pretio vendere, si ejus pretium secundum communem æstimationem creverit; quidni & similiter censum? Dixit quidem Pius V. in Bulla toties citata, pretium semel censui constitutum, numquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem seu accidens, nec quoad ultimo contrahentes minui, vel augeri; sed tantum loqui Pontifex in casu, quo per prelii augmentum, aut decrementum vel censuarius à censuista, vel censuista à censuario injuste gravaretur; non autem quando censuista censum venderet alicui tertio sine censuarii detrimento, quandoquidem etiam Romæ, ubi dicta Bulla maxime viget, emanantur census difficiles minori pretio, quam fuerint ab initio constituti, ut refert Lugo; quanto magis poterit id ipsum hic fieri, ubi Pii V. constitutio nullius est vigoris?

Petes 3. An liceat pacisci de censu solvendo, etiamsi res censui subjecta perierit?

Resp. Vel census est mere realis, vel realis & personalis simul: si primum, pactum illud est injustum, quandoquidem re illa pereunte, nihil restet fructiferum, supra quod fundetur census; un-

de non posset alio titulo pensio exigere, quam vi mutui, quod usurarium est: si secundum, licita est talis conventio: sicut enim potuit ab initio fundari census super solam personam, ita & nunc si fieri potest, ut, re pereunte, maneat persona obligata.

Petes 4. An possit censuarius obligari ut redimat censum non tantum eodem pretio, sed etiam eadem specie monetæ, v. g. aureis, pataconibus, &c.

Resp. Posse, quando certum est, valorem monetæ non esse mutandum, sicut & quando æqualiter dubitatur, an sit augendus vel minuendus; quia tunc nullum onus imponitur censuario; si autem probabilius sit, monetæ æstimationem esse minuendam, non potest censuarius ad id obligari, cum ipsi imponatur nova obligatio ex vi contractus nullatenus debita, nisi certe aliunde augetur pretium proportionate ad illam obligationem. Quod autem hic resolvimus de pretio redemptionis, id ipsum resolvimus de solutione pensionis.

Petes 5. An possit ex pensionibus non solutis creari novus census?

Resp. Posse, ubi non viget Pii V. constitutio. Ratio est; quia cum pensiones illæ debitæ sint pretio æstimabiles, possum cum illis jus censuale, sicut & quamlibet aliam mercem emere: non emitur quidem pecunia numerata, sed hanc conditionem requirit Bulla præfata, non jus naturæ, secundum quod emi potest census eo omni modo, quo potest res altera; præterea tali casu censetur pecunia virtualiter numerata, cum cedat censuario pecuniam, quam hic & nunc recipere debet.

Petes 6. An teneatur censuarius, rem censui subjectam alienare volens, monere censuistam?

Resp. Teneri non solum ex constitutione Pii V. sed etiam ex natura rei; quandoquidem multum intersit censuistæ nosse personam, à qua debet pensionem recipere, scilicet an sit solvendo difficilis, litigiosa, morosa, &c. ut possit sibi consulere.

Petes 7. An possit obligari censuarius, ne rem censitam alienet?

Resp. Non posse, nisi gravamen illud aliunde compensetur; quia imponeretur ipsi onus ex vi contractus indebitum.

Petes 8. An census sit redimibilis per partes?

Resp. affirm. Modo tamen non fiat per partes ita parvas, ut redemptio sit incommoda censuistæ. Ratio est quia jus censuale est æquivalenter multiplex, adeoque divisibiliter vendibile, cum jus ad 12. contineat tria jura ad 4.

Petes 9. Quis sit præferendus, quando duo censum emerunt super eandem rem; quæ postea ita deterioratur, ut utrique censui solvendo sit insufficientis?

Resp. Præferri debere primum emptorem; quia obligatio census habet quamdam speciem hypothecæ. Præterea juxta regulam 54. juris in 6. qui est prior tempore, potior est jure. Accedit, quod

primus emptor non debeat esse deterioris conditionis propter creationem secundi census, ergo sicut secundo censu non creato, totam pensionem in casu nostro reciperet, ita & recipere debet illo creato.

Petes 10. An beneficiarius possit censum constituere super beneficio?

Resp. neg. nam 1. Non potest super pensionem quatenus congruæ sustentationi superfluum, cum illius non sit dominus: non potest etiam super eandem ut honestæ sustentationi necessariam; quia licet illius sit dominus, ex ea tamen parte non censetur fructifera, nisi in ordine ad sustentandum clericum.

Petes 11. An hic contractus sit census, quando nempe quis dat alteri centum, recepturus annuatim 5. aut 6. donec pecunia restituatur; ita tamen, ut dans pecuniam privet se libertate repetendi sortem, sitque solum ad nutum recipientis reddibilis?

Resp. Cum Stockmans in Decisionibus Brabantis, affirmative: quia eo ipso, quo dans pecuniam privat se facultate sortis repetendæ, seu relinquit arbitrio debitoris vel pecuniam reddere, vel retinere, solvendo annum interesse, æquivalenter constituitur census personalis, nisi certe persona esset ex omni parte infructifera. Cujus ratio ulterior est, quod tunc non sit mutuatio, cum mutuans retineat facultatem sortis repetendæ, quando voluerit.

DISPUTATIO ULTIMA.

De reliquis contractibus.

Reliqui contractus usitati, saltem in Belgio, sunt depositum, commodatum, precarium, assicuratio, fide-jussio, conductio, locatio, emphyteusis, feudum, ludus, & sponsio. Nam de pignore & hypotheca diximus in tract. de Restitutione, ubi de præferentia creditorum. De his omnibus restat nobis breviter agendum.

QUESTIO I.

Qui depositum, commodatum, & præcarium?

Aliquando sumuntur depositum, commodatum, & precarium, pro re deposita, commodata, &c. aliquando pro contractibus, quibus res illæ alteri traduntur: de illis in ultima acceptione agemus.

CONCL. I. Depositum est contractus, quo res alteri custodienda traditur, ut eadem gratis, integra reddatur.

Dicitur 1. *Quo res custodienda*, non autem consumenda, deterioranda, aut usibus applicanda; et ideo si depositarius re deposita usus fuerit in detrimentum deponentis, tenetur illud resarcire, immo & pretium usus non concessi solvere.

Dicitur 2. *Traditur*, ut distinguatur ab emptione, vendi-

tionem, & aliis contractibus, qui subsistere possunt sine rei traditione.

Dicitur 3. *Ut reddatur eadem*, nempe numero, per quod differt à mutuo, in quo sufficit, si eadem specie reddatur, modo sit & eadem in qualitate.

Dicitur 4. *Gratis*; quia etsi non repugnet huic contractui, quod merces assignetur depositario pro re custodienda, illo tamen casu non est depositum purum, sed mixtum ex locatione operatum; est autem depositum duplex, judiciale unum, privatum alterum: primum fit quando auctoritate judicis res aliquas, circa quam pendet lis, apud tertium deponitur, donec lis decidatur, & constet cui sit reddenda, & solet vocari sequestrum; secundum vero contingit, dum quis apud confidentem rem suam deponit custodiendam.

Petes 1. An numquam liceat uti re deposita?

Resp. Quandoque licere, ac 1. quando expresse aut tacite consentit dominus; sed tunc intervenit depositum & commodatum simul, 2. quando bona fide creditur usum non fore domino ingratum: unde hoc præsumi potest, quando dominus tradit pecuniam custodiendam, quæ nec est sacco clausa, nec sigillo munita, nec arca obserata; & aliunde certus est depositarius, se pecuniam similem tempore solutionis reperiturum, quia tunc non censetur dominus invitus, cum nihil inde patitur; ubi tamen pecuniam sigillo, arca, aut sacco clausam deponit dominus, censetur illius usum depositario interdiceret, adeoque graviter peccat, si ea utatur; cum gravem injuriam censeatur facere domino.

Petes 2. Qui possint esse depositarii?

Resp. Quemlibet ratione utentem, adeoque pupillum, minorem, feminam, clericum, immo & religiosum, accedente prælati consensu: quo tamen casu non censetur monasterium pro deposito respondere, si etiam ex culpa religiosi pereat, sicut nec Ecclesia, si pereat ex culpa clerici; quia dum prælatus subdito licentiam depositum retinendi concedit, nullatenus censetur in monasterium, aut Ecclesiam onus illud assumere.

CONCL. II. Commodatum est contractus, quo res gratuito conceditur ad certum usum pro determinato tempore.

Dicitur 1. *Gratis conceditur*; quia ubi pretium exigitur, non est commodatum, sed locatio.

Dicitur 2. *Ad usum*; ut distinguatur 1. à mutuo, in quo etiam dominium transfertur: 2. à deposito, in quo ordinarie nec usus, nec dominium conceditur.

Dicitur 3. *Ad certum usum*; quia non potest commodatarius re commodata uti, nisi ad eum usum, ad quem concessa est: unde si equum habeat commodato ut eat hinc Parisios, vadat autem Lugdunum, tenetur usum ulteriorem domino solvere; immo si tunc pereat, non eodem modo apud dominum periturus, debet equi pretium domino reddere, quia ejus culpa periit.

Dicitur etiam: *Pro determinato tempore*, & in hoc differt à

precario, quod hoc sit ad nutum concedentis revocabile: illud autem non possit repeti, nisi elapso tempore concessio: unde si dominus antea rem commodatam extorqueat, indeque damnum patiatur commodatarius, obnoxius est restitutioni; quia ubi commodans voluntarie usum concessit ad certum tempus, jus ad talem usum adquisivit commodatarius, & consequenter fit ipsi injuria, si antea repetatur. Excipe tamen, nisi commodans simile damnum esset passurus, quia cum quis magis sibi quam alteri obligetur, non censetur se velle privare libertate repetendi commodatum in tali circumstantia.

CONCL. III. Precarium est contractus, quo alicujus rei usus conceditur ad nutum concedentis revocabilis.

Dicitur autem *precarium*; quia precibus petentis conceditur. Ex dictis hac quaestione

Resol. 1. Quod licet materia depositi sit ordinarie res mobilis, v. g. equus, vestis, &c. possit tamen etiam esse res immobilis, ut domus, villa, &c. immo & res usu consumptibilis; quandoquidem possint res istæ sub alterius custodiam cadere.

Resol. 2. Res unico usu consumptibiles non esse materias commodati, aut precarii. Ratio est; quia in illis non potest usus juris concedi, de quo hic loquimur, nisi concedatur & dominium.

Resol. 3. Posse tamen pecuniam esse materiam commodati, aut precarii, non ut est pretium rerum, sub quo respectu dicitur usu consumptibilis moraliter, sed ut potest esse alicui materia ostentationis, cum usus ille possit concedi, non concessio dominio. Quærunr hic aliqui ex qua culpa teneatur restituere depositarius, commodatarius, &c. Sed de his sufficienter dictum est in principio *Tractatus de Restit*, q. 4.

Q U Æ S T I O I I.

Quid assecuratio, an liceat, & quas condiciones requirat?

CONCL. I. Assecuratio est contractus, quo quis suscipit in se rei alienæ periculum, obligans se ad eam compensandam si perierit. Hoc contractu non raro utuntur mercatores, qui mediantibus navibus marinis, in provinciis externis negotiantur: cum enim non raro naves mercibus onustæ exponantur periculo, vel ob tempestates, vel ob pyratas, vel ob concursus navium hostilium, mercatores nonnulli timentes omnium jacturam aut naufragium, offerunt alicui certam pecuniæ summam, ut merces & naves velit assecurare, seu se obligare ad dandum æquivalens rebus perditis, si perierint. Hunc contractum praxi auctorizatum condemnat Conradus volens non licere, nisi assecurans ad rei assecuratæ conservationem aliquam operam sit adhibiturus; & ideo vult quidem posse nautam navem cum mercibus assecurare, non tamen alium, qui ad navis conservationem nihil confert. Contra quem sit

CONCL. II. Licitus est contractus assecurationis, modo vestiatur conditionibus recensendis.

Ratio est; quia si foret injustus, esset vel quia periculum suscipitur, vel quia pretium exigitur: non primum, alias nec liceret fide-jussio, quam tamen practicant personæ honestiores & maxime timorata: non etiam secundum, quandoquidem susceptio talis periculi sit pretio æstimabilis, ut patet tum ex L. *periculi* 5. ff. *De nautico fænore*; tum ex communi sensu omnium: unde nullus est homo sensatus qui nollet aliquid conferre, ut res sua periculo exposita, assecuraretur.

Confirm. 1. Licitus est contractus, ubi uterque contrahens exponitur æqualiter lucro & damno: sed hoc reperitur in assecuratione: ergo. Prob. min. quia dominus rei exponitur lucro possidendi æquivalenter rem suam, etsi perierit, & damno pretium perdendi, si non perierit; assecurans autem, lucro habendi pretium sine labore, & damno solvendi rei valorem, si perierit.

Confirm. 2. Licitæ est fide-jussio, ut postea dicemus; ergo & assecuratio, cum sit quædam species fide-jussionis; si enim in 1. homo sit cautio pro persona, in 2. est cautio pro merce.

Dices 1. Pretium exigitur pro nihilo, cum assecurans nihil mercis, aut laboris conferat: ergo.

Resp. neg. ant. Sed exigitur pro obligatione quam in se suscipit assecurans, nempe solvendi valorem rei assecuratæ, si perierit.

Dices 2. Mutuans nihil potest recipere pro periculo emittendæ sortis; ergo nec assecurans pro periculo quod in se suscipit.

Resp. Dissimulato ant. de quo antea, neg. conseq. Quia si non possit aliquid recipi pro periculo amittendæ sortis, oritur ex eo quod periculum dicatur mutuo intrinsecum; & consequenter si aliquid reciperetur pro eo, reciperetur vi mutui; in nostro autem casu nullum intervenit mutuum, adeoque pretium recipitur pro periculo ut periculo: quod licitum esse docet D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 21. ubi ait: *aut recipit illud ultra sortem præcise ratione periculi ut prærium periculi, & sic non est usura, sed licitum.*

CONCL. III. Tres præsertim requiruntur condiciones ad justitiam contractus assecurationis, si fiat pro pretio. 1. Ut sit æqualitas inter pretium & periculi susceptionem; ita ut si periculum sit majus aut minus, majus aut minus exigatur pretium. 2. Ut assecurans habeat unde solvat rei assecuratæ valorem, si perierit; alias, si non habeat, nullus est contractus, & si pretium recepit, tenetur illud refundere, etiamsi res salva consistat. 3. Ut ille, cujus merces assecurantur, servet omnes condiciones in contractu positas, v. g. ut navis non ineat aliam viam, non ingrediatur alium portum, non gravetur aliis oneribus, &c. 4. Ut periculum sit verum, saltem secundum contrahentium existimationem; quia ubi nullum periculum, ibi nulla haberi potest assecuratio, cum hæc sit essentialiter de periculo, cui res creditur exposita. Ex dictis

Resol. 1. Fraudulentum esse contractum, adeoque restitutioni obnoxium, si assecurator sciat navem, de cujus naufragio timetur, ad portum appulisse; aut si alter petat assecurationem navis, quam novis jam periisse.

Resol. 2. Idem esse dicendum, etiamsi secundum famam communem crederetur navis esse in periculo, si assecurator sciat in tuto esse positam. Ratio est; quia cum solum periculum, saltem putatum, sit fundamentum & materia assecurationis, ubi scitur nullum esse periculum, nulla potest esse assecuratio.

Resol. 3. E contra validum esse contractum, si res extra periculum posita, bona fide credatur esse in periculo; & idem est si navis de facto perierit & uterque contrahens sincere credat adhuc subsistere; quia censentur contrahentes ultro se illis eventibus ac periculis exponere, nisi aliter conveniant.

Q U Æ S T I O I I I.

Quid fidejussio? quandonam expiret, & qui possint fidejubere?

CONCL. I. Fidejussio est contractus, quo quis suscipit in se obligationem alterius debiti solvendi, si debitor non solverit; unde fidejussor (qui aliter intercessor dicitur, eo quod pro debitore intercedat) duplicem respicit personam, unam cui se obligat, & alteram pro qua se obligat, & respectu hujus dicitur mandatarius, si jubeat ipsa inquirente; vel negotiorum gestor, si jubeat ipsa nesciente.

Porro ut sit justa fidejussio varias exigit conditiones.

1. Ut obliget in foro civili; requirit certam stipulationis formam icet ut obliget in foro conscientiae, & Ecclesiae, sufficiat consensus externe manifestatus.

2. Non potest ad plus obligari fidejussor, quantum ad quantitatem, locum, & tempus solutionis, quam debitor principalis; quia obligatio fidejussoris, utpote accessoria, sequitur obligationem principalem.

Dixi: *Quantum ad quantitatem*, &c. nam quantum ad obligationem potest esse major in fidejussore, quam in debitore, ut, si fidejussor juramentum adjiciat, aut hypothecam, aut etiam si fide jubeat pro eo qui tantum naturaliter obligatur, v. g. pro minore contrahente sine auctoritate curatoris, pro uxore sine consensu mariti, pro religioso sine licentia praelati, &c. tunc enim obligatur naturaliter & civiliter, ita ut si debitor principalis renuat, aut non possit solvere, possit judicialiter conveniri, ut ex lib. Inst. 3. de fidejussorib. §. 10. *In omnibus colligunt Gomesius, Bonacina, Amicus, Lessius & alii.*

3. Ut non obligetur fidejussor, nisi obligetur debitor: unde si ob contractus invaliditatem ad nihil teneatur debitor, ad nihil etiam tenetur fidejussor, cum se tantum obligaverit in eventum, si prin-

cipalis deberet, & non solveret. Aliud esset, si non solum se obligasset ad securitatem debiti, sed etiam ad securitatem contractus; casu quo vel à superiore, vel legis beneficio rescinderetur; tunc enim posset obligari, debitore non obligato.

4. Ut ordinarie loquendo non possit creditor fidejussorem convenire, nisi prius ad solvendum sufficienter debitorem compulerit, cum tantum solvere debeat fidejussor in defectum debitoris. Dixi: *Ordinarie loquendo*; quia poterit 1. conveniri fidejussor, si renuntiaverit juri quod habet, ne ante debitorem compellatur. 2. Si constet debitorem non esse solvendo, aut longe absit, nec bona possideat in territorio. Similiter si negavit se esse fidejussorem. L. *Sidubites* 10. §. 1. ff. De fidejussoribus.

5. Ut hic contractus supponat alium debitorem; & ideo qui se alterius loco constituit principalem; & unicum debitorem, non est fidejussor. Ex dictis

Resol. 1. Teneri fidejussorem ad solvendum ante judicis sententiam, qua succedit in locum debitoris, qui tenetur ante sententiam judicis solvere.

Resol. 2. Nec posse fidejubere pupillos, sicut nec filios familias, qui carent peculio castrensi, aut quasi castrensi, eo quod nullam habeant bonorum administrationem. Minores vero fidejubere possunt patre incarcerato, tenetque tunc civiliter & naturaliter fidejussio: si autem in aliis casibus fidejubeant sine licentia curatoris, obligantur quidem naturaliter, sed possunt per beneficium restitutionis in integrum indemnizari.

Resol. 3. Nec permitti religioso inferiori fidejussionem, nisi adsit licentia praelati, & majoris partis capituli; si aliter fidejusserit, ad nihil tenetur monasterium. Immo etsi in rebus levioris momenti ad fidejubendum admittatur superior; in rebus tamen majoris momenti repellitur, si major pars capituli non consentiat: cap. *Quod quibusdam* 4. de fidejussoribus.

Resol. 4. Idem esse dicendum de militibus, saltem tempore expeditionis, ut limitant doctores; patet ex L. *Milites*, Cod. de legato, ubi legitur: *Milites nostros alienarum rerum conductores seu procuratores, aut fidejussores... fieri prohibemus.*

Resol. 5. Mulierem valide quidem posse fidejubere pro alio, quam marito, si ejus fidejussio sit munita instrumento publico à tribus testibus subscripto, aut saltem à notario coram tribus testibus; posse tamen etiam ante sententiæ executionem fidejussionem suam revocare privilegio senatusconsulti Vellejani; si excipiantur casus sequentes. 1. Si fidejubeat recepto pretio, aut addito juramento. 2. Si pro dote alterius. 3. Si pro libertate servi. 4. Si fidejussit ut deciperet. 5. Si pignus aut fidejussorem pro alio dedit, & post bienium ad idem se obligavit. 6. Si dicto privilegio expresse renuntiaverit, sive in judicio, sive extra, ut jam consuetudine receptum est, inquit Covarruvias.

CONCL. II. Expirat 1. Fide-jussio obligatoria, soluto pretio à debitore, vel alio quocumque. 2. Elapso termino, aut à creditore protogato, si ad certus tempus se obligaverat fide-jussor. 3. Si inter debitorem & creditorem fiat quædam novatio sine consensu fide-jussoris, L. 4. Cod. *De fide-jussoribus*. Est autem novatio prioris debiti in aliam obligationem translatio, ita ut prima causa sit quasi perempta. 4. Quando debitor succedit fidejussori; aut fidejussor debitori, L. *Generaliter* 5. ff. *De fide-jussoribus*. Et ratio est, quia, inquit Glossa Bartholi, *obligatio principalis extinguit accessoriam, si in eadem persona concurrant*.

Petes 1. Quibus casibus agere possit fide-jussor contra debitorem, ut ab onere fide-jussionis liberetur?

Resp. Quod etsi ordinarie non possit agere contra debitorem, nisi postquam ipsius loco solvit; tamen in casibus sequentibus, etiam ante solutionem, contra ipsum agere potest. 1. Si fide-jussor sit in judicio condemnandus ad solvendum pro eo. 2. Si debitor bona dilapidare incipiat, ita ut periculum sit ne tempore solutionis non sit solvendo. 3. Si debitor fide-jussorem diu obligatum detinuit, seu quod idem est, si diu debiti solutionem distulit. Illud autem *diu*, judicis prudentis arbitrio determinandum est. 4. Si cum debitore convenerit ut se à fide-jussione liberare teneatur.

Petes 2. An maneat obligatus fide-jussor, si creditor debiti petitionem suo tempore neglexit, & postea debitor factus sit impotens?

Resp. neg. Quia non tenetur fide-jussor damnum resarcire, quod creditor sua culpa patitur, nec censetur se ad solutionem loco debitoris obligasse, nisi possita à creditore & sufficienti & opportuna diligentia ad solutionem obtinendam, & ideo si debitum perdat, sibi imputet, non fide-jussori.

Q U Æ S T I O I V.

Quid dicendum de locatione, & conductione.

Locatio & conductio non sunt contractus diversi, sed unus & idem, sicut emptio & venditio: unde sicut hic contractus dicitur emptio quatenus respicit illum, qui dat pretium, & venditio prout respicit illum, qui tradit mercem, ita similiter contractus ille dicitur locatio per respectum ad eum, qui rem ad usum tradit, & conductio per respectum ad eum, qui ad usum accipit, & ideo tradens dicitur *locator*, & accipiens *conductor*, qui si conducat domum, dicitur in jure *inquilinus*, si agrum, *colonus*. Varia occurrunt de locatione & conductione aliquot articulis resolvenda.

A R T I C U L U S I.

Quid locatio & conductio, quæ res sint locabiles & quibus?

CONCL. I. Locatio est contractus, quo traditur ad certum tempus usus, aut fructus rei vel personæ pro pretio; conductio autem contractus, quo accipitur ad certum tempus, &c.

Dicitur 1. *Ad certum tempus*, quod non debet excedere decennium, alias transit in emphyteusim, si res locata non sit persona.

Dicitur 2. *Usus*, & per hoc differt à contractu emptionis & venditionis, in quo transfertur rei dominium, saltem si accesserit traditio.

Dicitur 3. *Aut fructus*, quia tam fructus locabilis est, quam usus: unde sicut ad usum elocatur domus, villa, navis, &c. ita ad fructum elocatur ager, hortus, vinea, &c.

Dicitur 4. *Rei vel personæ*, quia non tantum res sive mobiles, sive immobiles locantur, sed etiam personæ ratione operum & artificii.

Dicitur 5. *Pro pretio*, ut distinguatur à commodato & precario, quæ gratis conceduntur. Est autem indifferens ad locationem sive pretium sit pecunia, sive frumentum, sive animalia, sive quodlibet aliud, & per hoc iterum differt ab emptione & venditione, quæ transeunt in contractum permutationis, si pro merce non detur pecunia, sed aliquid aliud.

CONCL. II. Locari possunt res omnes, quæ per jus naturale ecclesiasticum, aut civile non prohibentur.

Ratio est; quia res illæ possunt vendi: ergo & locari cum sit minus locare, quam vendere. Hinc

Resol. 1. Locabiles esse non solum domos, villas, agros, &c. sed etiam fluvios ad piscationem, certa loca ad venationem, nemora ad lignorum cætionem, greges ad lanæ, & fetuum perceptionem, &c.

Resol. 2. Non posse locari, ob juris naturalis prohibitionem, Sacramentorum administrationes, sicut nec actiones injustas & turpes, quia illæ superat omne pretium, hæ autem non possunt pretio æstimari.

Resol. 3. Non licere (jure canonico prohibente) locare domum usurario publico cap. *Usurarium* 1. *De usur. in* 6. Item nec licent locationes jurisdictionum ecclesiasticarum, quales sunt jus nominandi, admittendi, instituendi, diocesim visitandi, &c.

Resol. 4. Bona ecclesiastica non esse ad longum tempus, idest, per decennium, ut communiter intelligitur, elocabilia. Patet ex Clement. 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*; sunt tamen ad breve tempus, idest, per triennium, ut declarat Paulus III. in sua Bulla, quæ incipit *ambitosæ*, & non ultra; unde omnem conductionem & locationem ultra triennium declarat irritam & invalidam, non quidem quatenus triennalis est, sed quatenus triennium exce-

dit, & ideo si novennalis fiat, valida erit quoad tres primos annos, invalida quoad sex alios, ut communiter explicant Doctores. Non videtur tamen condemnanda praxis eorum, qui locant quidem ad novem annos, sed ita, ut singulo triennio liceat tum locatori, tum conductori resilire; immo si locatio non respiciat res, sed tantum fructus, aut redditus ecclesiasticos, poterit etiam ad novennium extendi cum illi sint potius bona ecclesiasticorum, quam Ecclesiæ.

Resol. 5. Ex jure civili prohiberi locationem servitutis prædialis, seu facultatis quam quis habet ad transeundum per prædium, aut agrum alterius. L. *Locare*. 44. ff. *Locati*. Item nec locabilis est res, cujus quis habet tantum usum, seu qua potest uti præcise ad necessitatem. Aliud esset, si haberet usumfructum, idest, posset uti re etiam ad voluptatem, & commoditatem. Ita decernit Justinianus L. 2. Instit. tit. 5. §. 1. *Is qui fundi nudum habet usum, nulli alii jus quod habet, locare potest, cum is, qui usumfructum habet, possit hoc facere.*

CONCL. III. Quamvis, spectato jure naturæ, res locari possint quibuslibet personis, quæ non putantur illis abusuræ; contradicente tamen jure positivo, non sunt locabiles sequentibus. 1. Curialibus, idest, iis qui sunt obstricti & obligati. L. *Curialis* 30. Cod. *De locato*. 2. Militibus, qui sunt in actuali militia, ut intelligunt interpretes L. *Milites* 31. Cod. *De locato*, ubi inhihetur illis conducto sub pœna cadendi à militia, & à gradu quem in militia obtinent. 3. Clericis & monachis prohibetur, ne sint *secularium rerum conductores aut procuratores*, Cap. *Multa* 1. *Ne clerici, vel monachi, &c.* possunt tamen conductori succedere: immo his temporibus permittitur ipsis variarum rerum conductio, ut satis declarat praxis communiter recepta. 4. Usurariis publicis, ut antea diximus, quamvis cap. 1. *De usuris in* 6. tantum specificentur usurarii alienigenæ, non indigenæ. 5. Ludi magistris ne elocent domum vicinam domui alterius magistri, si propter vicinitatem voces magistrorum aut discipulorum confundantur: sed hoc non videtur amplius in usu.

Dixi in conclusione: *quæ non tutantur illis abusuræ*; & ideo reus es, si elocaveris arma illi, quem credis usurum ad occisionem. Sed quid si domum eloces meretrici? Etiam reus es, si verosimiliter existimes ea abusuram ad actus meretricios. Ratio est; quia præbes illi occasionem & commoditatem peccandi. Accedit, quod non possis locare domum exercenti artem, cui per se annexum est peccatum: ergo nec à fortiori exercenti meretricium: unde Authentica *de lenonibus* §. *Præconizamus*, dicitur: *si quis patiat in domo sua quemdam lenonem. . . & hæc denunciata cognoscens, non ex domo sua expulerit, sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam; & citra ipsam perditurum habitationem*: ergo cum hæc pœna sit gravis, supponit locatorem, nisi lenonem expellat, gravem committere culpam.

Dices 1. Domus elocatio non est inductiva ad peccatum: ergo.

Resp. Neque elocationem gladii esse inductivam ad occisionem, & tamen occidere volenti non licet illum elocare.

Resp. 2. dist. ant. Non est inductiva ad peccatum quærenti domum præcise ad habitationem, C.; quærenti ad artem meretriciam, ita ut sine illa aut alia elocata non posset exerceri, N. Quia si nullus domum similibus elocaret, deberent sordidam artem illam relinquere.

Dices 2. Licitum est vendere meretrici cibum & potum: ergo & locare domum, cum habitatio sit necessaria, sicut refectio.

Resp. dist. conseq. Ergo & locare domum, si usura sit solum ad habitationem, sicut cibo & potu, C.; & ideo non est prohibitum ipsi locare domum, si alibi meretricium exercent; si usura sit ad turpitudinem, N.

ARTICULUS II.

Quæ sint obligationes locatoris, & conductoris?

CONCL. I. Tenetur 1. Locator aperire vitium rei locatæ.

Ratio est; quia fieri potest quod res cum tali vitio sit futura conductori incommoda, inutilis, imo damnosa, & ideo si vitium scienter celaverit, tenetur conductori de omni interesse ex rei vitio proveniente.

Dico: *Scienter*; quia si bona fide credebat rem à vitio immunem, non est damno reparando obnoxius. Ex his

Resol. 1. Si ad transportandas merces elocasti equum aut mulum, quem sciebas assuetum onera excutere, aut se cum illis in aquas immittere, tibi inesse onus conductorem indemnizandi. Idem est si damnum patiat conductor ex eo quod ipsi inscio locaveris domum ruinosam, spiritibus vexatam, male famatam, &c.

Resol. 2. Te ad nihil teneri, si ex prato tuo locato, cujus herbarum virtutem nocivam omnino ignorabas, fiant animalia conductoris macilenta, morbida, deteriora, &c. non poteris tamen pensionem petere; quandoquidem conductor sine sua culpa non possit re locata uti. Hæc omnia patent ex L. *Si quis domum* 9. ff. *Locati*.

Resol. 3. Nec peccato, nec restitutioni obnoxium esse locatorem, si rem locandam dederit antea conductori probandam, visitandam, &c. nisi certe vitium esset occultum.

Tenetur 2. Locator (seclusa conventionione in contrarium) ad omnes expensas ad rei locatæ conservationem, reparationem, & utilitatem necessarias; quia per locationem concedendo rei locatæ usum, censetur implicite se obligare ad efficiendum, ut usus ille sit conductori aptus, commodus, proportionatus, &c. Et ideo si conductor, ob defectum locatoris, expensas necessarias fecerit, debet locator eas resarcire. Aliud esset, si fecisset expensas præcise in ma-

jus sui commodum, quia licet elapso locationis tempore posset illas auferre, si essent à re locata separabiles, non teneretur tamen locator illas compensare, si non essent separabiles, quia sicut non tenebatur locator expensas illas facere; ita nec tenetur ab alio sponte factas resarcire, nisi tacite in eas consensisset.

Dixi: *Seclusa conventione in contrarium*, quia non repugnat huic contractui, quod conductor assumat in se onus expensarum, modo res elocetur minori pretio.

Quantum autem ad tributa, an sint à locatore, an à conductore, an ab utroque simul solvenda? Spectandæ sunt locorum consuetudines.

3. Non potest locator ante elapsam locationis tempus conductorem expellere, quia cum jus habeat conductor, ratione contractus, inhabitandi toto tempore statuto, non potest sine injuria antea expelli. Excipiuntur tamen casus sequentes à jure. 1. Si conductor, per biennium pretium locationis non solverit, ubi res plusquam ad duos annos locata est: ubi vero ad minus spatium, potest expelli quotiescumque pensionis conventæ solutionem distulit, nisi locorum consuetudo legitima aliud introduxisset. 2. Si accidat casus inopinatus & tempore locationis improvisus, ob quem indigeat locator domo locata, v. g. si uxorem duxit, si domus quam habitabat, fuerit combusta, si corruerit, si ruinam minetur, &c. Dixi: *Domo locata*, quia lex solum de domo loquitur, non de aliis rebus locabilibus. 3. Si conductor re locata abutatur, vel deteriorando, vel in usus pravos convertendo. 4. Si res locata sit reficienda, aut restauranda, & illo tempore non sit habitabilis, quo casu, sicut & quando domus necessaria est locatori, remittenda est pensio pro rata temporis. In 1. autem & 3. casu etiam remittenda est, si reperiatur alius, qui rem eodem pretio conducat; si autem non reperiatur, vel non nisi minori pretio, debet conductor expulsus omne damnum resarcire, cum ejus culpa acciderit.

CONCL. II. Tenetur 1. Conductor re locata uti præcise ad eum usum, ad quem ipsi concessa est.

Ratio est, quia in omnibus contractibus standum est conventio- ni: unde lib. 4. Instit. tit. 1. §. legitur: *Si is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit.*

2. Non potest conductor ante elapsam locationis tempus rem locatam deserere sine justa causa, vel certe debet pretium, de quo conventum est, solvere. Ratio est, quia nullus potest à contractu justo resilire, nisi causa legitima intervenerit. Est autem causa sufficiens, si res locata propter pestem, bellum, inundationem, ruinam, aut ejusdem periculum fieret inhabitabilis.

3. Debet, finito conductionis tempore, rem locatam reddere integram, & incolumen locatori, cum fuerit ipsi præcise concessus usus, salva quantum fieri potuit, rei substantia.

4. Tenetur solvere pensionem taxatam, tempore per contractum, legem, aut consuetudinem constituto. Excipe tamen, nisi ob impedimentum sine sua culpa aut interventu superveniens non posset re locata, uti, aut eam colere; tunc enim non debet toto tempore impedimenti pensionem solvere, cum non sit justum, ut non sentiens sine sua culpa rei locatæ commodum, patiatur solutionis incommodum.

Sed quid si absque culpa, aut imperitia conductoris accidat sterilitas? Si tanta sit, ut nihil, aut fere nihil recipiatur, non est solvenda pensio; si modica, nihil est de ea minuendum. Si notabilis, minuendum erit pro rata sterilitatis. Hæc omnia ordinata sunt in jure tum civili, tum canonico; cui standum est; nisi loci consuetudo, aut partium conventio contradicat, vel nisi anni præcedentis aut subsequentis ubertas sterilitatem compenset, ut habetur c. *Propter sterilitatem* 3. *De locato & conducto.*

ARTICULUS III.

In quo resolvuntur reliqua ad hunc contractum spectantia.

Petes 1. Quænam censeatur sterilitas notabilis & sufficiens ut pensio remittatur pro rata? Varii varie respondent, sed crediderim standum esse expertorum judicio, attentata loci consuetudine, & contractuum tenore.

Petes 2. An ad remissionem pensionis debeant fructus ante messem perire?

Resp. neg. sed sufficit, sive collecti in fundo, sive in aream transportati pereant, modo non potuerint antea commode in horreum recondi. Patet ex L. *Ex conducto* 15. §. 1. ff. *Locati*; immo volunt aliqui etiam remissionem esse faciendam, si fulmen, aut hostis inopinato superveniens positos in horreo succendat vel auferat.

Petes 3. An teneatur conductor pensionem augere, si adsit specialis ubertas?

Resp. aliqui teneri, si non proveniat ubertas ex ipsius industria.

Ratio est, quia postulat æquitas, ut, si pensio propter sterilitatem minuatur, etiam propter ubertatem extraordinarie fructuosam augeatur, modo tamen, qua proportionem crescit fructuum copia, non decrescat eorundem pretium propter abundantiam, alias non est augenda pensio; cum ubertas illa non sit colono proficua. Nihilominus moribus Belgicis introductum est, ut etiam tunc non augeatur pensio.

Petes 4. An possit conductor cogere locatorem ad minuendam pensionem, si res locata facta sit deterior?

Resp. Posse, quia cum res deterioretur domino, etiam debet deteriorationis effectus ipsi obvenire, ubi nulla intercessit conductoris culpa.

Petes 5. An locatio transeat ad hæredem?

Resp. Transire ad hæredem universalem, non singularem. Ratio est: quia hæres universalis, utpote repræsentans ex juris fictione personam defuncti, succedit in omnia ipsius jura & onera; non sic hæres singularis, quia cum non gerat personam locatoris, ita nec ejus obligationes suscipit.

Petes 6. An minor, finita curatela, stare debeat locationi, quam fecit curator?

Resp. affirm. quia curator non suo, sed minoris nomine locavit: ubi tamen læsus esset minor, posset per beneficium restitutionis in integrum indemnizari.

QUÆSTIO V.

Quid feudum, & emphyteusis, & quas condiciones requirant?

CONCL. I. Feudum est contractus, quo traditur rei immobilis possessio & dominium utile sub onere fidelitatis & obsequii personalis: emphyteusis vero, contractus, quo præfata traduntur sub onere pensionis realis, ita ut feudum & emphyteusis differant ex parte oneris, sub quo res accipitur, seu quod in uno, onus sit reale, in altero personale, cum juramento fidelitatis, quod non præstat emphyteuta. Si autem aliquando imponatur onus personale & reale simul, erit contractus mixtus, seu partim feudalis, partim emphyteuticus.

Dicitur 1. In definitione feudi & emphyteusis: *quo traditur res immobilis*, ut ager, domus, stagnum, nemus, &c. Et in hoc differunt à locatione, quæ respicit indifferenter rem mobilem & immobilem.

Dicitur 2. *possessio*; & ideo fieri potest, quod feudatarius, aut emphyteuticus præscribat contra dominium, non quidem dominium directum, cum illius possessio civilis, contra quam non præscribitur, semper maneat penes infeudatorem, seu dominium utile, si nempe rem traditam incipiat bona fide possidere tamquam suam, & continuet per tempus ad præscriptionem requisitum.

Dicitur 3. *Et dominium utile*, in quo distinguuntur à venditione rigorosa, per quam utrumque dominium in emptorem transfertur. Illud tamen dominium utile ita proprium est feudatario, aut emphyteutæ, ut possint vocari domini, possintque illud donare, locare, alienare, in aliam emphyteusim dare, &c. modo non fiat absque domini directi consensu.

Dicitur 4. In definitione feudi: *sub onere obsequii personalis*, quod dicitur homagium, domino directo quandoque in recognitionem reddendum: illud autem reddens dicitur *feudatarius* seu vassallus, recipiens *infeudator*.

Dicitur denique in definitione emphyteusis: *sub onere pensionis realis*, quam solvere debet emphyteuta singulis annis; ita ut si

per biennium non solverit, ubi emphyteusis est ecclesiastica, vel per triennium, ubi est sæcularis, perdat rem emphyteuticam cum omnibus meliorationibus, quas fecit, illaque redeat ad dominum directum. In emphyteusi tamen ecclesiastica, seu quando res in emphyteusim tradita, est bonum Ecclesiæ, aut pii loci, potest emphyteuta moram bienii purgare per celerem satisfactionem: non sic in emphyteusi sæculari, ubi non conceditur moræ purgatio, elapso triennio.

CONCL. II. Condiciones ad feudum requisitæ sunt sequentes:

1. Debet feudatarius à domino investiri, & mitti in possessionem.
2. Tenetur ad juramentum fidelitatis; non est tamen hoc juramentum de essentia feudi, cum ab initio non fieret: unde sufficit promissio fidelitatis.
3. Præstare debet obsequium personale, ubi fuerit ad hoc interpellatus.
4. Non potest, extra casus à jure permisos, feudum donare, alienare, oppignorare, &c. sine domini directi consensu: si autem ob necessitatem cogatur feudatarius feudum alienare, tenebitur mutare infeudatorem monere, ejusque consensum requirere, quem, juxta Rebuffum, non potest recusare.
5. Ubi feudatarius obsequium debitum renuit, feudum, sicut emphyteuta ob pensionem non solutam perdit rem emphyteuticam. Aliæ etiam requiruntur condiciones, sed quia sunt feudo & emphyteusi communes, jam de illis agemus.

CONCL. III. Variæ etiam requiruntur condiciones ad emphyteusim.

1. Debet res emphyteutica esse immobilis & fructifera: immobilis quidem, quia jura non nisi de rebus immobilibus exempla proponunt: fructifera vero, quia alias non traderetur dominium utile, si, mediante locutione, aut alio justo titulo possit pecuniam domino exhibere.
2. Debet illius rei dominium directum, sicut & possessio civilis manere penes priorem dominum, dominio utili in emphyteutam translato, qui ideo solvere debet tributa, etiamsi ecclesiæ bona in emphyteusim acceperit, quandoquidem dominium utile, ratione cujus tributum exigitur, non sit Ecclesiæ, sed ipsius.
3. Obligatur emphyteuta ad solutionem pensionis annuæ, ad quod non tenetur feudatarius; ab illa tamen liberatur, ubi res emphyteutica sine ipsius culpa totaliter perit, nec se ad casus fortuitos obligavit. Dico *totaliter*; si enim tantum ex parte pereat, postulat æquitas ut partem proportionatam det; immo ut totam, si fructus ex re deteriorata percipiendi, adhuc æquivalent aut prævaleant pensioni solvendæ: quia ubi in creatione emphyteusis fructus sperati sunt magni, & pensio modica, hæc magis exigitur in recognitionem domini directi, quam ad fructuum compensationem.
4. Non potest emphyteuta, idque sub pœna totius juris perdendi, meliorationes à se factas vendere, nisi prius moneat dominum directum, qui potest illas eodem pretio ante omnes alios emere; immo conceditur ipsi bimestri ad liberandum, an acceptare velit, necne, quo non acceptante aliis vendi possunt.
5. Nec potest, nisi domi-

num monuerit, ad decennium rem emphyteuticam locare, potest tamen ad minus spatium. Ratio est; quia per locationem decennalem alienatur dominium utile, non per novennalem, aut minorem: ubi autem res alienatur, licet ad tempus, monendus est dominus, ut præferatur in emptione, si velit. 6. Juxta Auenticam *Qui rem*, Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis*, rem amittit emphyteuta, si ejus culpa facta sit deterior; & licet tantum ibi fiat mentio de emphyteusi ecclesiastica, etiam hoc ad emphyteusim sæcularem extendunt Doctores communiter, ob rationis paritatem. 7. Si pro rei conseruatione, reparatione, congrua utilitate, commoditate, &c. faciendæ sint expensæ, fieri debent ab emphyteuta, jure & consuetudine sic disponente. 8. Quando res emphyteutica, sive donatione, sive venditione, sive aliter alienatur, tenetur accipiens pro investitura solvere laudemium, quod est certum pretium majus aut minus juxta loci consuetudinem. Illud tamen non est solvendum. 1. Quando pater rem emphyteuticam, alia deficiente, tradit filiæ in dotem. 2. Quando titulo hæreditatis illam accipit hæres necessarius. 3. Quando plures, quibus res emphyteutica communis est, illam inter se dividunt. 4. Quando resoluta contractu redit ad priorem emphyteutam: quia tunc censetur potius contractus rescissio, quam nova venditio.

Petes, unde originem habeat emphyteusis?

Resp. Quoad nomen, originem habere à verbo græco emphyteusis, quod latine idem est ac plantatio seu insitio, eo quod ordinarie in re emphyteutica ad meliorationem tradita fieri soleant variae plantationes. Quoad rem vero dicitur initium habere à Zenone: quod & alii multorum agrorum domini frequentare cœperunt, ut terræ, quas ob nimiam extensionem per se non colebant, sterilesque & inutiles illis fiebant, colerentur per emphyteutas, paulatimque meliorarentur; reddita tamen annuatim modica pensione, idque potius in recognitionem domini directi, quam in pretium usus-fructus. Sed postea etiam agri fertiles & fecundati, in emphyteusim dari cœperunt.

Plura alia de feudo & emphyteusi restant dicenda, sed quia raro aut numquam sunt confessariis pro suo munere obeundo necessaria, ideoque relinquimus illa jurisperitis tractanda.

QUÆSTIO VI.

Quid ludus, quotuplex, quis prohibitus, quis restitutioni obnoxius?

Ludus in genere sumitur pro omni eo, quod animam relaxare potest. Si fiat verbis, dicitur *jocus*, si factis, *ludus*, specificè.

Porro ludus in 1. sui institutione fiebat sine ulla pretii expositione, ita ut non lucrum, sed delectatio intenderetur; postea ta-

men ad majorem oblectationem, pretium aliquod victori propositum est, quod erat à victo solvendum: sicque factus est contractus, sub qua ratione hic de ludo agimus.

CONCL. I. Ludus est contractus, quo de certo pretio victori solvendo inter se conveniunt ludentes. Triplex assignatur communiter à Doctoribus: primus est qui à sola fortuna, aut sorte dependet, ut lusus tessarum, taxillorum, & chartarum qui omnes veniunt sub nomine *alearum*, vulgo *jeu de hazard*, licet, in aliquibus parum industriæ admisceatur. 2. Qui solo ingenio, solaque industria regitur, ut lusus tabularum. 3. Quem partim industria, partim fortuna regulat, ut lusus tabularum cum taxillis.

CONCL. II. Licitus est omnis ludus, qui vestitur conditionibus sequentibus. 1. est, si non per legem ecclesiasticam, aut civilem prohibitus. 2. Si per eum non exponatur quis perjuriiis, blasphemiiis, rixis, turpitudinibus, &c.; quia ubi tale periculum reperitur, licet lusus foret simplicissimus & honestissimus, semper est vitandus; quia *qui amat periculum, in illo peribit* Eccli. 3. 3. Si pecunia ludo exposita sit colludentium statui proportionata: unde qui exponit ea, quæ sunt vel ad debita vendenda, vel ad familiæ sustentationem necessaria, peccat mortaliter, ob detrimentum quod creditoribus, uxori, & prolibus infert, aut inferre exponitur. Imo quamvis ipsemet tale periculum non subiret, si tamen socios colludentes illi periculo subiciat, etiam est graviter reus, eo quod alieno peccato cooperetur. 4. Debent colludentes habere liberam administrationem pecuniæ ludo expositæ; & ideo peccant filii-familias non habentes bona castrensia, aut quasicastrensia; sicut & uxores non habentes paraphernalia, si plus exponant ludo, quam sibi per licentiam expressam, aut tacitam permittatur; immo & peccant cum eis ludentes, cum animum habeant lucrandi & reservandi quæ non possunt accipere; & licet animum illum non haberent, equidem cooperantur peccato talia exponentium. Idem dic cum proportionem de prodigo mancipato, & religioso, sicut & de aliis cum eis ludentibus.

Notandum tamen, si filius-familias, aut uxor, quæ hodie poterat exponere 5. totidem lucretur, posse die sequenti exponere 10. consuetudine sic disponente, nisi certe pater, aut maritus contradiceret: quod præsumendum est, ubi pecunia exposita, etsi lucro comparata, censetur à timoratis excessiva, attenta ludentis conditione. Plura de ludi pretio vide in fine tractatus de Statu Religioso q. 9. art. 3. §. 3.

5. Servandæ sunt leges, quas vel ipsi collusores statuerunt, vel, si nullas possuerunt, quæ communiter sunt in tali loco receptæ; quia contractus, ubi contrarium non exprimitur, censetur juxta loci consuetudinem celebrari. Ubi autem dubium circa leges oritur, consulendi sunt hac in re periti. 6. Debet abesse omnis fraus; ita ut fraudans chartas v. g. supponendo, mutando, oc-

cultando, notando, puncta aut calculos falso multiplicando, teneatur non tantum lucrum adquisitum refundere, sed etiam omne damnum inde aliis illatum reparare. Excipe tamen, nisi tales essent fraudes, quæ admitterentur à colludentibus sub hoc onere, quod deceptus pretium taxatum perderet. 7. Non est collussor ad ludum cogendus, sive minis, sive verberibus, sive injuriis, sive precibus violentis & importunis, sive aliis quibuscumque modis vim & coactionem moraliter inferentibus, ita ut taliter cogens sive in principio lusus, sive postquam lucratus est alter, teneatur omne lucrum coacto restituere, licet possit coactus lucrum suum retinere. Ratio est, quia qui alium ad ludendum cogit, sponte se huic ovari subijcit, ut possit perdere & non lucrari: non lucrari quidem quia si ita socium cogeret ad ludendum cum tertio, teneretur quidquid perdidisset, refundere, eo quod esset causa moralis alterius damni: ergo à fortiori nihil potest ipse à coacto sperare: potest autem perdere; quia, non obstante dicta coactione, restat adhuc satis voluntarii, ut contractus sit validus, & consequenter exponatur perdendi periculo: unde sibi imputet & non alteri, quod sit in talem angustiam redactus. Aliud esset dicendum, ubi attractio ad ludum tantum esset invitatoria, non coactiva.

Dices contra hanc conditionem: contractus ille est validus: ergo uterque potest lucrari & perdere.

Resp. Esse quidem validum; coactum tamen non posse perdere, non propter contractum, sed propter coactionem, ratione cujus est ab omni jactura indemnizandus.

CONCL. III. Jure positivo prohibitus est tam laicis, quam clericis ludus, qui sola fortuna & casu regitur, seu omnis ille, qui alearum nomine venit. De laicis patet ex L. 1. 2. & 3. ff. *De aleatoribus*, ubi sancitur ludentes esse puniendos: hocque statutum est ad evitanda gravia mala ex ludis non raro evenientia, ut sunt perjuria, blasphemix, bonorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixæ, homicidia, &c.

Prob. Præsertim de clericis, ex cap. *Clerici* 15. de vita & honestate clericorum, ubi Innoc. III. *Ad aleas, & taxillos*, inquit, *non ludant, nec hujusmodi ludis intersint; & Can. Episcopus* dist. 35. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem privetur: similiter etiam laicus, quod & confirmavit sancta Synodus Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 1. & de vita & honestate clericorum, his verbis: Statuit sancta Synodus ut quæ alias à Summis Pontificibus & à sacris conciliis de clericorum vita & honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commensationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel*

majoribus arbitrio ordinarii imponendis, observentur.

Hanc prohibitionem quantum ad laicos, non esse in vigore, saltem ubi lusus est moderatus, quoad pretium, tempus, verba, &c. declarat totius orbis praxis recepta & à timoratis frequentata.

Quantum ad clericos; dici non potest, inquit Amicus, præfatas leges non esse in viridi observantia, cum eas terminis expressis confirmaverit, innovaritque Tridentinum; sed intelligendæ sunt, saltem ut his temporibus videntur receptæ, de ludentibus vel publice, vel cum scandalo, vel frequenter, vel in magno pretio, vel bona Crucifixi exponendo: non autem de iis, qui solius recreationis causa aliquoties, privatim, pretio modico, sine clamore, aut contentione colludent.

Sciant interim clerici, & Ecclesiæ ministri se esse lumen mundi, adeoque debere aliis exemplo prælucere, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Sciant insuper, potius solatia sua in sacris Scripturis debere quærere, quam in ludis & nugis sæcularibus; juxta illud 1. Machab. 12. *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.*

CONCL. IV. Comparata per ludum lege humana prohibitum, non sunt restituenda ante judicis sententiam, saltem his temporibus.

Ratio est, quia cum ludus ille sit ex lege naturæ validus, nec aliunde per legem positivam invalidus, non est unde lucrum sit victo restituendum: leges quidem humanæ certum ludum prohibent; sed aliud est prohibere, aliud irritare; prohibendo igitur, tantum concedunt victo pretii perditum repetitionem, ut leges attente consideranti patebit.

Dixi in conclusione: *saltem his temporibus*; quia etsi forte initio leges præfate contractum lusorium irritarent, sicut & temporibus divorum Thomæ, & Bonaventuræ, eo quod tunc sic recipebantur; nunc tamen videntur per consuetudinem contrariam quoad hoc abrogatæ. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui ludo prohibito perdidit, nec solvit, non teneri ad solutionem. Ratio est; quia cum ille possit pretium datum repetere, ut diximus etiam, potest necdum datum denegare, cum juxta L. *Invitus* 198. ff. *De regulis juris*, cui conceditur actio datum repetendi, datur & exceptio ne det exigenti.

Resol. 3. Ludo permissio ludentem teneri perdita solvere, etiamsi credito luserit, quia cum jus commune circa hoc nihil statuerit, standum est juri naturæ, secundum quod debita ex contractu debent solvi. Excipe tamen, nisi alicubi lex particularis perdentem liberaret à solutione.

Petes 1. An possit lucrari, qui ludit ludo prohibito, cum intentione non solvendi, aut perdita repetendi?

Resp. neg. Quia in omni contractu non coacto servanda est æqualitas, seu justitia commutativa, ita ut qui potest perdere, pos-

sit lucrari, & è contra: non servatur autem, ubi unus collusorum potest lucrari, & non perdere.

Dixi: *Qui ludo prohibito*, nam etsi ludens ludo licito peccet, si non intendat solvere, potest tamen lucrari, modo possit ad solutionem cogi. Aliud esset, si nihil haberet, quia cum tunc nec possit solvere, nec ad solutionem cogi, ita nec potest lucrari.

Petes 2. An habens tantum 5. nummos, possit uno jactu lucrari decem?

Resp. neg. Quia sicut qui non potest perdere, non potest lucrari, ita qui potest tantum 5. perdere, tantum potest 5. lucrari. Intellige tamen, ubi periculum est utrimque æquale, alias si unus majori periculo jacturæ exponatur, quam alter, etiam proportionate potest magis lucrari, quam perdere.

Dixi: *Uno jactu*: nam si per quinque, alia quinque fuit lucratus, potest 2. jactu decem exponere, & sic deinceps.

Petes 3. An filius-familias, aut alius exponens ludo rem, de qua non potest disponere, possit lucrari?

Resp. neg. Quia debet esse æqualis colludentium conditio. Præterea idem dici debet de eo in tali casu, ac de illo qui non potest perdere.

Petes denique, ad quid teneatur ille, qui simulans se in aliquo lusu inexpertum, alium fraudulenter attrahit, ejusque pecuniam lucratur?

Resp. Teneri ad restitutionem totius lucri, quod per fraudem obtinuit; quia fraus & dolus nemini patrocinantur.

Q U Æ S T I O U L T I M A.

Quid sit contractus sponsionis, & an sit licitus?

CONCL. I. Sponsio est contractus, quo duo de alicujus rei eventu incerti, pecuniam aut aliud exponunt obtinendum ab eo, qui veritatem fuerit assecutus: ut, si Petrus certet pro aureo Scottiam, v. g. intra mensem esse reducendam, Paulus autem sub eodem pretio contrarium affirmet. Indifferens est autem ad sponsionem, sive res, de qua certatur, sit præsens, sive præterita, sive futura, modo ab utroque certante ignoretur eventus.

CONCL. II. Licitus est hic contractus, modo ex parte utriusque sit incertitudo, absit fraus & dissimulatio, verseturque circa rem licitam.

Ratio est, quia nullo jure legitur prohibitus & aliunde per illum æqualiter exponitur uterque lucro & jacturæ.

Dixi: *Modo ex parte utriusque*, quia si unus spondentium sit certus, altero incerto, nulla est sponsio, defectu æqualitatis. Hinc

Resol. 1. Eum, qui per revelationem, per litteras certas, per

sensuum experientiam, &c. novisset rem ita esse, vel evenisse, vel eventuram, non posse spondere, tenerique pretium sponsionis, si sponderit, restituere. Aliud esset, si is, qui certus est, sincere manifestaret certitudinem suam comparti, quæ, hac non obstante, vellet spondere, dicens se ipsi cedere pretium sponsionis, casu quo sit certus, quia scienti & volenti nulla fit injuria.

Resol. 2. Si quis sponderit, credens se certum de rei eventu, & postea videat se fuisse incertum, peccasse quidem spondendo, non tamen teneri restituere, si fuerit lucratus, quia de facto sponsio erat justa: unde sicut faciens contractum, quem putat Simoniacum, peccat quidem, sed non est obnoxius restitutioni, ubi postea advertit esse licitum, ita in nostro casu.

Resol. 3. Teneri solvere pretium sponsionis eum qui certavit se victurum socium, v. g. scribendo, pingendo, &c. si nolit scribere, aut pingere; quia tunc censetur juri suo cedere, seque victum agnoscere.

Resol. 4. Nullam esse sponsionem ejus, qui spondet se victurum alium, edendo, aut bibendo, cum se & alium exponat periculo immoderate edendi vel bibendi.

APPENDIX

SEU DISPUTATIO ACCESSORIA.

De judice & judicio publico.

Postquam de justitia diximus, ratio postulat, ut aliquid etiam de judice & judicio publico, aliisque justitiæ administratoribus breviter dicamus.

Q U Æ S T I O I.

Quid judex, quid debeat, & quid possit?

Suppono 1. Licitum esse judicium publicum, cum sit actus justitiæ in republica omnino necessarius ad conveniens communitatis regimen: illudque autorizat Scriptura tum veteris, tum novi Testamenti; & ideo cum dicit Christus Matth. 7. & alibi: *Nolite judicare*, &c. de privatis hominum judiciis loquitur non de publicis à superiore legitimo exercitis.

Suppono 2. Non esse per se illicitum sua in judicio per litem

repetere; cum hoc nec justitiæ, nec charitati repugnet: unde quando dicit Christus Lucæ 6. *Qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas*, Matth. cap. 5. *Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, consilium est, non præceptum. Reprehendit quidem Apostolus 1. Corinth. 6. judicia tamquam peccata: quod & faciunt Sancti PP. sed propter abusum, eo quod fere semper intermisceantur animositates, charitatis læsio, affectus vindictæ, detractiones, iræ, rixæ, nimia temporalium aviditas, æternorum oblivio, salutis incuria, &c. quæ sane deberent homines christianos, nisi gravis admodum causa urgeret, à litigando retrahere.

CONCL. I. Judex est persona publica habens potestatem de sibi subditorum controversiis & criminibus cognoscendi, eorumque causas per sententiam terminandi, juxta legis præscriptum.

Dicitur 1. *Persona publica*, ad distinctionem judicis privati, vel potius arbitri, cui se ultro subjiciant partes ad compositionem controversiarum.

Dicitur 2. *Habens potestatem* sive ordinariam, sive delegatam; quia, cum sententia sit quædam lex particularis præscribens partibus quid sit agendum, non potest nisi ab habente potestatem & jurisdictionem valide ferri; & ideo invalida est sententia judicis excommunicati non tolerati, cum sit privatus usu suæ jurisdictionis, ut colligit DD. ex variis canonibus. Si tamen esset toleratus, valida forent sententia, imo et licita, ex parte litigantium, si ex justa causa illam postulent.

Dico: *Ex parte litigantium*; quia graviter peccat judex, si se ingerat non rogatus, quandoquidem tolerantia à Concilio Constantiensi concessa, non sit in favorem excommunicati, sed aliorum cum ipso communicantium. Valeret tamen sententia judicis, qui laborans occulto defectu, haberet titulum coloratum, ratione cujus putaretur communiter legitimus: quia tunc, ob bonum commune jurisdictionem suppleret auctoritas publica.

Dixi 3. *Sibi subditorum*; quia nulla est sententia lata in non subditum, vel in subditum in crimine exemptum, & ideo ubi tribunalia non sunt mixti fori, invalide judicantur clerici à judicibus laicis, etiam in civilibus sicut & religiosi exempti ab officialibus, quia sunt ab eorum tribunali liberi. Acquiritur autem subjectio, non tantum ratione domicilii, sed etiam ratione contractus, delicti in loco extraneo patrati, sicut et ratione rei, de qua litigatur.

Dixi 4. *Cognoscendi*; cum enim non possit ignota judicare, sequitur, quod cum habeat potestatem judicandi, habeat & judicanda cognoscendi, alias exponetur evidenti periculo injuste & temerarie procedendi, vel reum absolvendo, vel innocentem condemnando: quod est contra naturam & finem judicii. Ex quo ulterius patet, requiri in iudice scientiam competentem legum, constitutionum, consuetudinum localium, sicut & prudentiam; ut, quod

lex universaliter statuit, valeat causis particularibus applicare, alias tenetur damna ex sua imperitia secuta resarcire.

Dixi 5. *Controversiis & criminibus*, ut comprehendatur tam judicium civile, quam criminale: civile, quidem in quo unicuique quod suum est, adjudicatur: criminale vero, in quo poena juxta delicti qualitatem reo infligitur.

Dixi 6. *Per sententiam terminandi*, eo quod habeat jus non tantum sententiam ferendi, sed insuper cogendi ad sententiæ prolatæ executionem.

Dixi denique: *Juxta legis præscriptum*; debet enim judex tam supremus, quam inferior, non solum legem naturalem, sed etiam positivam in judicando servare: *judex quidem inferior*; quia, cum non sit supra legem, sed substet legi, debet illam adamussim sequi, quantum fieri potest: *judex autem supremus*; quia postulat æquitas naturalis, ut quod quisque in alium juris statuit, aut servari præcepit, observet & ipsemet: unde Aug. lib. de Vera Religione cap. 3i. de legibus humanis sic ait: *quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*. Posset nihilominus judex supremus (quod non potest ordinarie judex inferior) ob justam rationem in illis dispensare, poenam taxatam vel minuendo, vel etiam remittendo.

CONCL. II. Non debet judex in aliquem inquirere, nec in judicium quemquam vocare; multo minus sententiare, nisi adsit accusator formalis, aut virtualis. Ita statuerunt jura & praxis communis. Est autem accusator formalis auctor quidam, sive sit pars læsa, sive alius, cui de jure competit, vel qui spondet se probaturum crimen, quod objicit, virtualis vero (qui supplet vices accusatoris) est vel evidentiæ facti, vel præcedens infamia, vel denuntiatio juridica, seu depositio criminis sine opere probandi; ex quo patet 1. differre denuntiatorem ab accusatore, quod hic sumat onus probandi, quod objicit; ille non. Patet. 2. Tres esse modos, quibus ordinarie proceditur in judicio adversus crimina, nempe viam accusationis, viam denuntiationis, & viam inquisitionis, quando judex, nulla facta accusatione aut denuntiatione, inquit de aliquo crimine propter infamiam præcedentem, seu rumorem publicum.

Advertendum hic, viam denuntiationis esse duplicem: unam, qua crimen denuntiatur superiori tamquam parti ad ipsius rei emendationem, & tunc dicitur *Evangelica*, sed non debet fieri, nisi monitio fraterna nihil profuerit. Alteram, qua crimen defertur superiori tamquam judici, seu ut illud puniat, & dicitur *judicialis*, hæc non est adhibenda, ubi profutura sunt monitio fraterna, aut denuntiatio evangelica, nisi certe bonum reipublicæ, aut alicujus honor seu fama id postularet.

CONCL. III. Ad inquisitionem generalem nullâ præcessisse debet infamia; ad specialem debet ordinarie, si tendat ad punitio-

nem; ad mixtam quandoque, non semper. Inquisitio autem *generalis est*, dum inquiritur de persona, aut crimine in genere v. g. an nullus sit in urbe, in pago, in communitate suspectus, infamatus, reus de crimine. *Specialis*, dum de persona & crimine in particulari, v. g. An talis tale quid comiserit: *mixta*, dum de persona in particulari, sed de crimine in genere, aut è contra.

Prob. 1. pars; quia generalis inquisitio vergit in bonum communitatis, ut nempe vitia exterminentur, & studia virtutum augeantur: nec ullus potest de illa juste conqueri, cum nullum in particulari respiciat unde talis inquisitio in religionum visitationibus annuis usurpatur. Non debent tamen, immo non possunt subditi patefacere superiori crimina secreta illorum, qui non laborant infamia aliqua, nisi certe tamquam patri ad rei emendationem, ubi prius monitio fraterna nihil profuisset. Si quis vero per imprudentiam crimen alterius manifestasset, posset superior, ubi id exigeret bonum commune, contra reum inquisitionem specialem instituire, modo nec proxime, nec remote habeatur notitia delicti ex confessione sacramentali. Ratio est, quia licet ille propter dictam unius non sit proprie infamatus, adest tamen hic notorium facti, quod æquivalet aut prævalet infamiae. Ubi tamen advertit iudex non posse crimen iudice probari, debet desistere, alias solum tenderet inquisitio ad infamationem proximi.

Prob. 2. pars ex cap. 21 *De accusatione*, lib. 5. tit. 1. ubi monet Pontifex non esse faciendam inquisitionem specialem, nisi præcesserit infamia, seu clamorosa insinuatio ad quam non sufficit vox malevolorum, aut maledicorum, sed requiritur proborum, & quidem in tanto numero, ut delicti rumor sit quasi publicus; immo non debet iudex infamatum de uno crimine interrogare de alio, si cut nec de complicibus non infamatis. Aliud esset, si crimen aliquod connexionem haberet cum altero, aut illius suspicionem ingereret.

Dixi: *Ordinarie*; quia excipitur crimen læsæ majestatis & delictum in judicio commissum, puta falsum testimonium, item hæresis, occisio domini in sua domo respective ad servos, & sumersio navis respective ad nautas. Similiter conspiratio in Principem & proditio civitatis, ubi hæc non sunt patrata sed patranda: in illis enim casibus potest iudex ex vehementi suspicione & indiciis, etsi non præcesserit infamia, specialiter inquirere. Sic nec requiritur infamia, quando constat de auctore evidentiâ facti, aut notorietate juris per confessionem ipsius rei in judicio, modo cognitio non fuerit injuste extorta.

Dixi 3. *Si tendat ad punitionem*: ubi enim vergit in emendationem præcise, non debet præcessisse infamia, sicut nec quando fit inquisitio de alicujus vita & moribus, ne indignus eligatur ad aliquod officium, prælaturam, &c. Item nec quando sponsus de futuro inquit de vita sponsæ, aut è contra. Si tamen delictum ali-

quod delegatur, ex quo nocumentum Ecclesiæ communitati, rei publicæ, aut matrimonio timetur, silentio prætereundum est, & interim persona, de cujus promotione agitur, relinquenda.

Prob. 3. pars de inquisitione mixta; quia si rumor sit in civitate, grave crimen patratum esse de nocte, nescitur autem, an sit occisio hominis, violatio virginis, &c. non potest inquiri de Petro v. g. nisi sit infamatus: cum autem constat de crimine, & ignoratur criminosis, etsi nulla de aliquo præcesserit infamia, licita est inquisitio, modo de nulla persona determinata inquiratur. Patet ex praxi universali.

Advertendum hic, ad inquisitionem specialem non requiri infamiam præviam ex jure naturæ, sed tantum ex jure positivo, cui derogare potest, immo & derogavit multis in locis consuetudo in judiciis sæcularibus, saltem respectu criminum reipublicæ nocivorum, ut sunt homicida, furta, &c. eo quod non spectetur nuda punitio, sed communitatis conservatio.

Q U Æ S T I O I I.

Quomodo se gerere debeat iudex circa torturam, sententiam ferendam, & munera oblata?

Suppono 1. Illicite, ordinarie loquendo, adhiberi torturam, ubi plene constat, aut constare potest de crimine & criminoso, licet hic fateri crimen detrectet.

Ratio est, quia tortura tantum adhibetur ad veritatem storquendam: ergo ubi de illa constat, aut constare potest, injuste torquetur reus.

Dixi: *Ordinarie loquendo*; quia ubi ex justa causa sancitum est, ne condemnetur reus, nisi propria confessione convictus, posset iudex confessionem denegantem torturæ adjudicare.

Suppono 2. Non posse ob debilitatem torqueri senes, ob ætatem impuberes, ob periculum abortus prægnantes, ob privilegium, ubi receptum est, viros illustres, dignitate conspicuos, doctores, eorumque filios. Hoc tamen privilegium non favet accusatis de crimine hæreseos, læsæ majestatis, & proditionis civitatis.

Suppono 3. Non nisi in criminibus gravioribus adhibendam esse torturam, seu in iis quæ pœna mortis, mutilationis, aut trirremium sunt corripienda.

CONCL. I. Non potest iudex aliquem adjudicare torturæ, nisi adsit semiplena probatio, aut indicia æquivalentia.

Ratio est; quia cum tortura sit supplicium durissimum, non potest juste adhiberi, nisi adsit magna apparientia criminis patrati. Facit autem semiplenam probationem testis de visu, contra quem non est exceptio, idest, vir non minor 25. annis, boni nominis & famæ, non excommunicatus, non inimicus, non litigans cum accusato. Indicia, quorum aliqua sunt levia, aliqua gravissima, alia

proxima, alia remota censentur æquivalere semiplenæ probationi, quando vir prudens & probus id judicaverit, attenta qualitate personæ, criminis, loci, temporis, demonstrationum, suspicionum, &c. cum nulla assignari possit certa regula. Dicuntur satis communiter sufficere indicia sequentia. Primum, communis suspicio cum fuga patrato crimine, deletur tamen suspicio, ubi citatus comparet. Secundum. Quando quis rixari & percutere assuetus, prius ex odio aut inimicitia mortem minatus est, arma quæsivit, & circa locum crimini patrati visus est. Tertium. Dum quis se delicti auctorem fecit apud duos testes omni exceptione majores, qui deponunt se id ab illo audivisse. Quartum. Assertio duorum. Quintum. Si quis visus est egrediens è loco homicidii districto ense aut cultro cruentato, nec alius auctor appareat. E contra non videntur sufficere quæ sequuntur: 1. Sola accusatio, aut sola infamia, aut etiam utraque simul: quia neutra quidquam probat, sed prima aperit viam ad audiendo testes, secunda ad inquirendum. 2. Quod quis inventus sit circa locum interfectionis habens apud se cultrum cruentatum; quandoquidem non raro homicidæ sacco innocentis cultros suos clandestum imponant. 3. Si cadaver occisi ad præsentiam unius & non alterius sanguinem emittat per vulnus, cum hoc signum sit valde infirmum & debile. 4. Si accusata ut saga, ligetur, & aquis imposita supernatet; cum possit dæmon per hanc viam superstitiosam, innocentem calumniari & reum eripere. Prudenter ergo, caute & mature pendere debet iudex indicia, non tantum illa, quæ nocent accusato, sed etiam quæ favent; quia hæc elidunt illa, aut certe reddere possunt insufficientia. Etiam attendere debet, an accusatus fuerit hactenus vir integri nominis, necne?

Petes, an reus possit iterum torqueri, ubi nihil fuit confessus?

Resp. neg. Nisi indicia sint gravissima, aut nova supervenerint; quia ob constantiam putantur indicia elisa. Ubi autem fuisset in tortura confessus, & extra negasset, posset 2. torqueri, immo & 3. si in idem recidat; non tamen ultra, ut detur in tanto cruciatiu terminus; immo post tertiam vicem debet absolutus dimitti.

CONCL. II. Quantum ad sententiam criminalem, invalide fertur, prætermissis juris ordine, sicut & quando criminis confessio, sive à iudice, sive ab ejus ministris injuste extorta est, nisi aliunde probetur crimen.

Prob. 1. pars; quia ubi iudex juris ordinem prætermittit, usurpat potestatem, quam non habet; cum non nisi sub tali conditione sit ipsi concessa.

Prob. 2. pars; quia confessio per injuriam extorta pro nulla habetur in jure. Unde hoc & illo casu tenetur iudex ad reparationem omnium damnorum realium inde sequentium. Excipe, nisi haberet aliunde rationes sufficientes ad condemnandum juridice reum: tunc enim excusaretur à restitutione.

CONCL. III. Quantum ad sententiam civilem, non potest ju-

dex ferre iudicium secundum sententiam minus probabilem; sed tenetur ferre secundum illam, quam coram Deo, omnibus diligenter pensatis, & æquissima lance librat, apparet ipsi probabilior.

Prob. 1. pars, quæ est contra Medinam, Aragon, Dianam, & quosdam alios volentes in quæstionibus juris, non tamen facti, licitum esse iudici secundum sententiam minus probabilem iudicare. Probatur, inquam, 1. ex condemnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Prob. 2. ex Scriptura, Exodi 18. *Provide autem de omni plebe vires potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas; sed si liceret iudicare juxta opinionem minus probabilem, non esset opus eligere viros tam sapientes; cum possit facile quilibet in revolvendis titulis & librorum indicibus utcumque versatus deprehendere, an sententia aliqua habeat pro se graves doctores, adeoque an sit probabilis? Præterea quomodo esset in tali iudice veritas cum iudicet secundum sententiam, quam credit potius falsam, quam veram?*

Prob. 3. Ratione: quia frustra quærerentur sapientiores & eloquentiores advocati: nam eo fine præcise desiderantur peritiores, ut suorum clientum causas iudicibus verisimiliores reddant, & ea via eos flectant ad ferendam sententiam ipsis favorabilem: qui finis cessat, si possit iudex secundum sententiam minus probabilem iudicare.

Prob. denique; quia hæc sententia facit iudices arbitros, & quasi dominos omnium hæreditatum, prædiorum, reddituum & bonorum, de quibus controvertitur; quandoquidem possint illa, cui voluerint ex duobus litigantibus assignare: quod est iniuriam & rei publicæ perniciosum.

Prob. 2. pars, quæ est Soti, Sanchez, Malderi, Layman, Becani, & aliorum: quia iudex à republica statuitur, ut iudicium ferat secundum id, quod magis æquum viderit; sed magis æquum est ut iudicet secundum opinionem verisimiliorem. Ergo, &c. unde si aliter faciat, convincitur esse personarum acceptor, non minus ac prælatus, qui, relicto digniori, minus digno beneficium confert. Nec dicas sequendam quidem esse opinionem probabiliorum in quæstionibus facti, id est, quando sunt testes, indicia, instrumenta urgentia ad probandum factum, v. g. aliquem recepisse summam pecuniæ, non tamen in quæstionibus juris, id est, quando sunt fundamenta & rationes doctorum fortiores ad probandum jus, quod quis v. g. habet ad testamentum, quia nulla est disparitas inter quæstionem juris & quæstionem facti; cum eodem modo se habeant rationes doctorum in quæstionibus juris, sicut testes, indicia, &c. ac in quæstionibus facti: si ergo iudicandum est in favorem partis, quæ habet pro se testes plures, aut longe majoris auctoritatis, quidni & iudicandum foret in favorem partis, quæ habet pro se rationes, aut plures æquales, aut longe fortiores?

Quando, omnibus spectatis, sive rationibus, sive testimoniis, jura utriusque partis videntur æqualia, non potest judex totum uni parti adjudicare, sed debet rem, si divisibilis est, dividere, sin minus, compositionem inter partes facere; ita ut utrique parti ex æquo satisfiat. Ratio est; quia si judex rem totaliter uni parti applicaret; convinceretur id fecisse, non attendendo præcise ad jura partium, sed acceptando personas ob passionem, vel affectum inordinatum, cum nullam rationem habeat, cur rem totam adjudicet uni parti potius, quam alteri,

Exceptio est ab hac regula. 1. Quando unus litigantium est in possessione, quia in pari causa melior est conditio possidentis: adeoque debet ipsi totum adjudicari. 2. Quando causa est criminalis, tunc enim in favorem rei judicandum est, ut patet ex illa reg. 11. jur. in 6. *Cum sunt partium jura obscura; reo favendum est potius, quam actori*, immo idem faciendum est, licet probationes accusatoris aut fisci essent paullo probabiliiores, aut clariores, quia tunc parum debet pro nihilo reputari. Excipiuntur & alii casus, quos consule apud juristas.

CONCL. IV. Potest judex pro labore recipere stipendia, seu honoraria, non tamen munera, saltem majora.

Prob. 1. pars, quia dignus est operarius mercede sua, labor autem & studium ad judicandum requisita sunt opera pretio æstimabilia. Excipe tamen, nisi pro officio judicandi sit ipsi aliunde stipendium assignatum: quod fieri solet respectu judicum ecclesiasticorum, tam ordinariorum, quam delegatorum, qui ideo tenentur restituere quidquid acceperunt, etiamsi partes remittant. Patet ex cap. Statum 11. de rescriptis in 6. §. 7. *Si quid.*

Prob. 2. pars; quia talia munera, si ante sententiam recipiantur, sunt vere corruptiva justitiæ, excœcant siquidem judices, pervertunt etiam justos, & vias veritatis obscurant: unde Deut. 16. legitur: *Non accipies personam, neque munera; quia munera excœcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Hinc qui talia munera accipit, semper tenetur ante datam sententiam accepta restituere; cum sint ipsi periculum proximum subversionis: nec timere debet notam inurbanitatis remittendo, cum inde potius horrorem, quam dedecus apud Deum & homines sibi conciliet.

Dixi: *Ante datam sententiam;* quia cum finita causa, desinat periculum; & aliunde donantes, liberaliter, ut suppono, dederint, potest judex si non sit ecclesiasticus, accepta restituere; cum nulla lex obliget judicem sæcularem ad restituendum, sicut obligat ecclesiasticum.

Dixi in conclusione, *Munera saltem majora;* quia judici ecclesiastico permittitur c. 11. de Rescriptis §. 4. in 6. accipere in esculentis & poculentis munuscula paucis diebus consumptibilia, modo sint mere liberaliter oblata: quod a fortiori licitum est judici sæculari. Et ratio, quod non credatur animus judicis ex xenopholis illis cor-

rumpendus, judici tamen integro, etiam ab illis foret abstinendum, quia cum animus hominis sit infirmus, si ex modicis non moveatur, sæpe tamen debilitatur. A fortiori abstinere debet a virtualiter extortis, quod fit, cum data opera judicium protrahitur, ut per munera sollicitetur acceleratio; illa enim, utpote injuste accepta, sunt obnoxia restitutioni. Ex dictis

Resolve: quando judex licite potest munus accipere, posse litigantem etiam licite offerre; quando autem ille accipit illicite, & hunc similiter illicite offerre. Ratio est, quia si judex non possit recipere, ne moveatur: nec litigans potest offerre, ne moveat, nisi certe hoc faceret ad redimendam injustam vexationem, quæ tamen non est præsumenda, nisi manifeste appareat.

QUÆSTIO III.

Quid accusatio judicialis, quibus competat, an liceat, & an aliquando obliget?

CONCL. I. Accusatio est delicti patrati apud judicem delatio facta scripto ad punitionem publicam, cum onere probandi sub pœna talionis.

Dicitur 1. *Facta scripto.* Ita statutum est cap. 1. & 3. 2. q. 8. In illo autem scribi debet nomen accusantis, & accusati, species criminis, tempus, locus, annus, mensis; imo & dies, si petatur, quo fuit patratum crimen: volunt tamen nonnulli sufficere accusationem verbalem, modo notarius præsens illam excipiat scripto, & illi subscribat accusator per se, vel per alium, si non novit scribere.

Dicitur 2. *Ad punitionem publicam,* quia semper habet accusatio pro scopo bonum publicum, ut nimirum crimina puniantur ad aliorum exemplum, & in hoc differt à querela, quæ fit quandoque ob bonum privatum partis læsæ.

Dicitur 3. *Cum onere probandi,* per quod distinguitur à denuntiatione, cui tale onus non est annexum.

Dicitur 4. *Sub pœna talionis,* idest, ejusdem pœnæ, qua afficeretur reus convictus: & hoc ne detur occasio calumniandi propter impunitatem. Hæc tamen conditio non videtur amplius in usu in foro sæculari, imo nec in Curia Romana, eo quod retrahat homines ab accusando, sæpe cum magno republicæ detrimento.

CONCL. II. Regulariter potest quilibet civis accusare in delicto publico; non sic in privato, in quo tantum potest ille, cujus interest; nisi certe affixa esset delicto pœna fisco applicanda. Ita praxis & jura statuerunt.

Est autem hic *delictum publicum,* quod directe afficit personas publicas, aut publicam auctoritatem, ut hæresis, blasphemia in DEUM aut Sanctos, contemptus aut irrisio Ecclesiæ, conspiratio in Principem, proditio civitatis, rebellio, falsificatio monetæ, cri-

men læsæ majestatis, magistratus aut officialium publicorum verbo aut verberibus indigna tractatio, &c. quibus adduntur adulterium, veneficium, parricidium, & similia. *Privatum* vero est quodlibet aliud.

Dixi in conclusione: *Regulariter*, nam 1. Ab accusatione prohibentur infames & excommunicati, qui tamen admittuntur in crimine læsæ majestatis, hæreseos & proditiōis. 2. Filii respectu patris, servi respectu domini, inferiores respectu prælati, idque ob decentiam, nisi certe id exigeret bonum commune. 3. Clerici in causa sanguinis: possunt tamen judicialiter denuntiare, modo protestentur, se non rei mortem, sed suam, aut reipublicæ bonum quærere. 4. Inimicus. 5. Mulieres & minores. Hi tamen omnes admittuntur ad accusandum, quando prosequuntur injuriam suam, aut etiam suorum usque ad quartum gradum juxta jus canonicum, & usque ad octavum juxta jus civile: sive interim crimen sit publicum, sive privatum.

CONCL. III. Licitum est offenso offendentem accusare, aut denuntiare juridice, ad id tamen non tenetur, ubi crimen non vergit in damnum publicum.

Prob. 1. pars; quia licitum est læso in fama, honore, membris, bonis fortunæ, aut etiam in suis parentibus, tum criminis punitiōnem, tum damnorum reparationem à judice competenti exigere, cum restitutio & injuriarum vindicatio auctoritate publica sint actus virtutis justitiæ; atqui illa non possunt obtineri sine accusatione, aut denuntiatione: ergo. Cavendum tamen ab odio & affectu inordinato, quæ facile in similibus inmiscentur: satisfactionem quidem & restitutionem possumus intendere: obligamur tamen ex corde injurias remittere.

Prob. 2. pars; quia potest quilibet injuriam sibi, aut suis factam condonare, estque actus virtutis heroicis, quem consulit lex gratiæ in Oratione Dominica; ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

CONCL. IV. Ubi crimen aliquod vergit in grave damnum reipublicæ aut innocentis, tenetur quilibet sub gravi peccato illud accusare, si possit in judicio probari.

Prob. Quia incumbit unicuique avertere, quantum in se est, damnum publicum, adeoque, si non possit nisi accusando, ad id tenetur: quod etiam verum est, etsi delinquenti secretum promiserit cum jurejurando, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita.

Dixi 1. *In damnum reipublicæ*; quia si non noceat, eo quod jam crimen completum sit, nec ex eo ulterius damnum timeatur, non est accusandi obligatio: hoc tamen raro accidit, cum fere semper expediat crimina, saltem publica, puniri, idque ad terrorem sceleratorum.

Dixi 1. *Aut innocentis*; quia raro & bonum commune postulat innocentes servari innoxios: unde Prov. 23. *Erue eos, qui ducun-*

tur ad mortem, id est, impedi, quantum potes, ne innocentes occidantur, aut puniantur.

Dixi 3. *Sub gravi peccato*; quia ubi gravis est proximi indignitas, etiam ad ei succurrendum nos graviter urget charitas. Obligatus tamen ex sola charitate accusare aut denuntiare, non est obnoxius restitutioni, si deficiat; quandoquidem ex violatione solius justitiæ oriatur restituendi obligatio. Essent restituendo obnoxii officiales, puta fiscalis, custos gabellarum, sylvarum, &c. cum ex justitia accusare aut denuntiare teneantur.

Dixi denique: *Si possit in judicio probari*; quia nemo tenetur ad id, quod non potest debito modo perficere, immo cum accusatio criminis non probandi, tantum vergat ad infamationem proximi, non potest sine gravi culpa fieri: unde in praxi deberet unusquisque ante accusationem, aut denuntiationem peritos consulere.

Petes: An possit accusator accusationem inchoatam relinquere? Resp. Posse, immo & debere. 1. Si omnibus attentis, appareat dubia. 2. Si unam personam accusavit pro alia. 3. Si, testibus ipsorum deserentibus, videat non posse probare, quia tunc esset mera calumnia: non potest tamen desistere in causa criminali sine auctoritate judicis, immo nec absque rei consensu, si jam sit torturæ applicatus, aut infamatus, idque sub pœna incidendi in Turpillianum, idest solvendi libras auri fisco, si crimen sit publicum, aut pœnam judici arbitrariam, si sit occultum, teneturque accusato satisfacere.

Q U Æ S T I O I V.

Qui possint testificari? Quando teneantur? Quot ad sententiam requirantur testes, & an testimonium datum aut denegatum possit esse obnoxium restitutioni?

CONCL. I. Potest quilibet habens usum rationis testificari jure naturali; non sic jure positivo.

Prob. 1. pars; quia quilibet talis potest ingerere judici cognitione causæ in judicio agitatæ.

Prob. 2. pars; quia jura varios repellunt ac 1. Minores 20. annis in criminalibus in ordine ad torturam aut condemnationem: quod addo, quia dictum illorum præbet indicium ad informandum, in civilibus admittitur pubes. 2. Mulieres, quæ repelluntur à testimonio jure civili, & à causa criminali jure canonico. 3. Inimicos accusati, etiam in criminalibus exemptis, ut in hæresi, simonia, &c. 4. Ascendentes, descendentes & consanguineos accusatoris usque ad quartum gradum. Consanguinei vero accusati licet testificari possint pro consanguineo accusato, non tenentur tamen testificari contra, etiamsi desint alii testes, nisi certe sint crimina exempta, ut læsæ Majestatis Divinæ, aut humanæ, in quibus, aliis deficientibus, potest & tenetur filius contra patrem testificari. 5. Repelluntur à tes-

timonio, accusatores domestici. 6. Socii criminis, qui tamen in pluribus admittuntur. 7. Perjuri. 8. Personæ viles & inopes perversio- nis suspectæ. 9. Infames infamia juris, seu de aliquo crimine dam- nati. Hinc

Resol. 1. Posse testificari religiosos extra causam sanguinis, & quidem in instrumentariis (ut testamento) sine licentia superioris, quæ requiritur in judicialibus. Cujus ratio est, quod in his agnoscat judicem non suum, non sic in illis. Sed possunt ne cogi ad testificandum? Resp. posse, ubi veritas aliter haberi non potest, non tamen judice sæculari, aut ab Episcopo, si sint exempti, sed à proprio prælato, & quidem tantum in suis monasteriis, ut declaravit Pius II.

Resol. 2. Etiam posse testificari in testamento, in quo relinquatur aliqua elemosyna eorum conventui, quia ubi aliquid relinquitur universitati aut collegio, potest illius membrum testificari, eo quod non vergat testamentum in utilitatem ipsius particularis im- mediate; atqui idem fit in nostro casu: ergo.

Resol. 3. Testificari posse moniales contra moniales coram ju- dice competenti; quia non possunt aliter earum crimina detegi, & certe si id possunt mulieres laicæ, quidni possent & religiosæ? & ideo advertendum, quod, quando supra exclusimus mulieres à tes- tificando, hoc intelligi debeat, ubi aliter veritas haberi potest; alias tam ipsæ, quam alii idonei testificari possunt, quia licet non semi- plene probent, sicut idonei, faciunt tamen indicium, quod cum aliis indicis æquivalere potest semiplenæ probationi. Unde etsi non possit quis condemnari propter testimonium duarum mulierum; ubi tamen plures concurrerent, defectum supplerent.

CONCL. II. Obligatur testis sub gravi peccato testimonium ferre in sequentibus casibus, si juridice citetur. 1. Si de aucto- re delicti semiplene probatum est. 2. Si auctor labore infamia criminis patrat. 3. Si per hoc à republica aut ab aliquo privato damnum notabile sit avertendum. 4. Si procedatur via accusatio- nis & possit crimen sufficienter probari. Ratio horum est, quia nisi in casibus illis obligetur quis testificari, nihil proderit accusatio, immo cessabit omnis tamquam frustranea cum magno communitatis & particularium detrimento.

Dices: *Si juridice citetur*; quia ubi delictum non nocet bono communi, non debet se ultro offerre ad testandum contra infama- tum aut accusatum, cum ultro se offerens habeatur quandoque sus- pectus. Potest tamen, imo & debet, etiam non citatus, in favo- rem proximi testificari, si alias immineret ipsi grave malum aut damnum; quia tunc urget charitas, ut innocenti succurramus.

Nullus obligatur ferre testimonium, etiam præcipiente superio- re, in casibus sequentibus. 1. Si rem tantum ex confessione sacra- mentali noverit. 2. Si doctor, advocatus, medicus, chirurgus, obs- tetrix, aut alius id solum sciat ab eo, qui auxilii aut consilii pe-

tendi causa crimen patefecit, alias secluderetur miseris subsidium necessarium. Si tamen defectu testimonii immineret communitati aut privato grave damnum, obligaretur, cum tunc non obliget natu- rale secretum. 3. Si procedatur via accusationis, & erimen non possit sufficienter probari: scipe tamen, nisi delictum vergat in grave nocumentum reipublicæ: tunc enim etiam si solus sciat, de- bet testificari, quandoquidem ejus testimonio semiplenam probatio- nem efficiente, poterit reus torqueri. 4. Si auctor non labore infamia, nec damnum timeatur postea. 5. Quando ex testimonio mihi aut meis immineret damnum notabile; nullum autem communita- ti; quia non teneor privato succurrere cum notabili meo aut meo- rum gravamine. 6. Si rem noverim à personis debitæ aut modi- cæ fidei.

CONCL. III. In causis tum civilibus, tum criminalibus, duo ad minus requiruntur testes omni exceptione majores, nisi adsint alia adminicula.

Ratio est; quia ubi agitur de fortuna aut vita alicujus, non est temere deferendum unico testi facile pervertibili; & ideo non dicit Scriptura: *in ore unius, sed duorum aut trium testium stabit omne verbum*. Deut. 19. In rebus tamen levioribus, v. g. furtis ùvarum in vineis, lignorum in sylvis, fructuum in viridariis, &c. ex testimonio solius custodis puniuntur delinquentes.

Porro, ut plene probent testes, quatuor requiruntur. 1. Ut sint omni exceptione majores, seu nihil possit ipsis objici, cur eorum testimonium rejiciatur. 2. Ut deponant cum juramento veritatis simpliciter aperiendæ. Patet ex cap. *Nuper de testibus*, ubi decer- nitur, non esse adhibendam fidem testi, etiam religioso, nisi jura- verit. 3. Ut sint contestes, id est, ut ambo deponant eandem spe- cie actionem cum iisdem circumstantiis substantialibus; ut si discon- veniant in specie criminis, loco, tempore, &c. non sint contestes, sed testes singulares, qui non sufficiunt ad condemnationem, cum non plene probent, eo quod dictum unius non adjuvet dictum al- terius. 4. Ut id deferant, quod ipsimet perceperunt, id est, si cri- men consistat in facto, ipsimet viderint, si in voce, ipsimet audie- rint, nam deponentes quod ab aliis audierunt, faciunt indicium, non probationem.

CONCL. IV. Qui ex malitia, ignorantia vincibili, aut ex aliâ culpa falsum testimonium dixit, tenetur omne damnum resarcire, sicut & ille, qui legitime à judice competentè citatus noluit tes- tificari.

Prob. 1. pars; quia ille est de facto causam moralis damni pro- ximo illati, & ideo si mors, flagellatio, exilium, &c. imminerent accusato ob falsum testimonium, deberet testis per sui ipsius ac- cusationem malum istud avertere, etiam cum periculo similis pœ- næ subeundæ: ad quod etiam teneretur ille, qui alios ad falsum tes- timonium induxisset, si crederetur innocens per hoc liberandus.

Teneor quidem vitam meam aut honorem alterius vitæ aut honori præferre, ubi cetera sunt paria, non tamen ubi alter debet illa perdere ex mea culpa. Aliud esset, si falsum testimonium nihil fuisset operatum, quia equidem ob aliorum testimonia præcedentia fuisset eodem modo condemnatus; tunc enim peccatum meum non foret restitutioni obnoxium.

Prob. 2. pars; (quam negant nonnulli volentes legitime citatum peccare quidem contra obedientiam, negando testimonium, non tamen contra justitiam) quia ubi quis legitime citatur, declaratur testis ex officio, ipsique à republica altum dominium in sua membra possidente imponitur illud munus, sicut imponit officium illi, quem etiam invitum constituit pupillorum tutorem, aut egenorum curatorem: atqui si ex horum defectu eveniat pupillis aut egenis damnum, oritur obligatio restitutionis: ergo & in nostro casu. Secus esset, si antequam citaretur, aufugeret: tunc enim posset peccare contra charitatem, non contra justitiam; quia necdum esset ipsi propositum judicis mandatum, ex quo provenit obligatio justitiæ, immo nequidem peccaret contra charitatem, si ex testimonio sibi aut suis grave damnum timeret; nisi id exigeret bonum publicum, cui cedere debet bonum particulare.

Petes 1. An possit judex torquere testem, qui denegat veritatem?

Resp. Posse una vice, non plus, si adsint indicia ad torturam sufficientia. Ratio est; quia cui commissum est causam decidere, commissum est & omnia illa adhibere, sine quibus non potest expediri, & hoc etiam habet locum apud regulares juxta Rodriguez.

Petes 2. An citatus ut testimonium dicat pro Petro contra Paulum, teneatur etiam faventia Paulo deponere?

Resp. affirm. & quidem cum onere restitutionis damnorum, si secus fecerit. Ratio est, quia aperiens nocentia Paulo & reticens faventia, facit ipsum magis culpabilem, quam sit à parte rei, adeoque ipsi nocet.

Petes 3. An possit quis recipere pecuniam, ut falsum testificetur?

Certum est non posse, ut dicat verum, sicut nec potest judex, ut ferat sententiam justam; quia nemo potest aliquid accipere pro eo, ad quod tenetur ex officio, & ideo accepta sunt restituenda. Si tamen debeat testis extra domicilium proficisci, aut tempus perdere, potest indemnizationem exigere. Ad quæst.

Resp. neg. quia si testis falsum dicat, committit actum injustitiæ, sicut quando judex, fert sententiam iniquam: nullus autem potest pro actu injustitiæ pecuniam recipere: unde hoc nuperrime condemnavit Illustr. Atrebatensis.

Petes 4. An sit adhibenda fides testi varianti circa depositionem?

Resp. neg. nisi sufficienter appareat variationem procedere ex stimulo conscientiae, & quidem antequam depositis subscripserit. Ratio est, quia non apparet justum, ut ille, qui sibi ipsi non constat circa rem aliquam, faciat aliis de eadem constare.

QUÆSTIO V.

An reus teneatur fateri veritatem? An possit detegere occulta testium crimina? Et quomodo possit se contra sententiæ executionem defendere?

CONCL. I. Tenetur reus nude fateri veritatem, etiam cum periculo mortis, si judex legitime interroget, secus, si illegitime. Censetur autem legitime interrogare. 1. Si sit judex legitimus. 2. Si non sit in sua jurisdictione interdictus. 3. Si servet ordinem juris, qui exigit, ut præcesserit accusatio formalis aut virtualis, & simplena probatio, vel indicia æquivalentia. 4. Si manifestaverit reo accusationem, probationem, indicia, &c. quæ contra ipsum allata sunt, ut sciat, an legitime vel illegitime interrogetur.

Prob. autem 1. pars conclusionis, quia tunc judex habet jus inquirendi de veritate: ergo debet esse obligatio in reo illam manifestandi, cum illa sint correlativa, & alias inutile esset jus interrogandi, si non foret obligatio respondendi. Unde si præstito juramento veritatis aperiendæ, quod ordinarie exigitur, veritatem reus negaverit, peccat contra veritatem ratione mendacii, contra justitiam ratione juris in judice, & contra Religionem ratione perjurii.

Dixi in conclusione: *Nude fateri*, & ideo non potest uti æquivocatione, restrictione, amphibologia, dolo aut fraude, ut patet ex dictis in Decal. ubi de restrictionibus agitur.

Dices: intolerabile est, & humanam fragilitatem superat, quod quis debeat esse ore proprio damnationis suæ auctor.

Resp. Quod sicut non debet esse intolerabile reo delicti sui poenam luere, ita nec patratum crimen aperire cum periculo poenæ luendæ, sibi enim imputare debet quod in illas angustias sit redactus.

Dices 2. Non tenetur aliquis contra patrem, fratrem, sororem, &c. testificari: ergo nec seipsum prodere.

Resp. Jus sit disposuisse in 1. casu, ne essent in familiis odia implacabilia, inimicitiae perpetuæ, exprobationes, &c. cujus rei nullum est periculum in 2. casu.

Prob. 2. pars, quia judex illegitime, seu non juridice procedens, non censetur agere ut judex, sicut nullam potest obligationem imponere, unde illo casu debet reus judicis interrogationem prudenter declinare, non quidem mentiendo, sed vel appellando vel tacendo vel injustitiam interrogationis ostendendo, vel aliis artificiose utendo. Vide dicta de restrictionibus in Decalog.

CONCL. II. Non potest reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, potest tamen verum detegere, si sic possit evadere, alias non.

Prob. 1. pars, quia ultra mendacium, injuste famam alterius destruit: unde merito hanc propositionem proscripsit Innocentius XI. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit fal-*

sum crimin alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Immo etiam graviter peccat ipse reus, si ut torturam evadat, sibi ipsi crimen falsum affingat; quia etsi forte non sit graviter culpabilis, in quantum famam suam destruit; peccat tamen lethaliter in quantum seipsum gladio linguæ interficit; & ideo tenetur sub gravi peccato crimen, quod vi tormentorum sibi affinxit, revocare. Plurimi quidem potius eligerent mortem, quam torturæ cruciatum, sed cum mentiri, sicut & seipsum occidere, sit intrinsece malum, potius essent omnia martyrum tormenta toleranda, quam se facere reum criminis non patrati, cum ultra mendacium concurrat quis ad sui necem.

Prob. 2. pars: quia tunc testis non habet jus ut servem ipsi famam. Præterea cum debeam vel meam, vel ipsius famam perdere, possum meam præferre, saltem ubi etiam agitur de gravi pœna vitanda.

Dixi in conclusione: *Si sic possit evadere*: quia si reus prævideret, se equidem condemnandum, eo quod non deessent alii testes idonei, aut quia crimen illius testis non posset sufficienter probare; non esset defensio, sed vindicta, sicut si crimen detectum esset omnino impertinens ad infirmandum testimonium.

Dixi 2. *Alias non*: quia si adsit alia via, tenetur illam arripere, cum præcise possit illum infamare, quia necessarium est ad justam defensionem.

CONCL. III. Lata à judice sententia, tenetur reus pœnam subire; immo quandoque potest obligari, ut eam per se exequatur; non autem semper.

Prob. 1. pars, quia sententiæ justæ parendum est.

Prob. 2. pars; quia fieri potest, quod sententia ad id obligans nihil contineat crudelitatis aut injustitiæ: & ideo tenetur reus condemnatus, patibulum conscendere, collum præbere, linguam amputandam extendere, &c. Item mulctam solvere, saltem ubi exigitur.

Confirmatur; quia in officio sanctæ inquisitionis, & in domibus religiosis plerumque imponitur reis, ut seipsum flagellent.

Prob. 2. pars; quia non potest judex, etiam deficiente justitiæ ministro, præcipere reo, ut in seipso exequatur sententiam, quæ gravem horrorem & repugnantiam concitaret, v. g. ut se laqueo suspendat, membratim concidat, &c. Pro quibus vide dicta Disp. 5. quæst. 3. art. 3. petitione 5. in Decalog.

CONCL. IV. Potest reus post latam mortis aut mutilationis sententiam, fugere, immo & carceres ideo effringere.

Prob. Quia nimis durum est potestatem illam à reo auferre, cum nihil sit ita naturale, quam vitæ conservationem quærere. Immo id extendunt aliqui ad condemnatos ad triremes aut carceres perpetuos: quod tamen recte limitat Suarez, nisi reus ratione voti aut juramenti, vel speciali promissione ad permanendum sit obligatus, & ideo vult regularem condemnatum ad carcerem perpetuum non posse

fugere; quia ratione voti obedientiæ tenetur superiori obedire in omnibus quæ sunt secundum regulam & accessoria ad illam.

Dices 1. Jure-consultus lib. 1. §. *De effractoribus*, dicit puniendos esse illos, qui, effractis carceribus, aufugiunt.

Resp. Vel jure-consultum fuisse contrariæ sententiæ, quam defendunt aliqui theologi volentes illicitum esse reis è carcere aufugere: vel certe loqui de illis, qui ad carcerem moderatum, nec perpetuum, sunt condemnati, quos fatemur non posse carceres effringere, immo nec fugere; & consequenter, si secus faciant, posse puniri.

Dices 2. Parere debet reus justæ sententiæ: ergo peccat, si fugæ causa carceres effringat.

Resp. Parendum esse quidem reo justæ sententiæ, sed tantum secundum id quod præcipit, non præcipit autem ut reus morti aut mutilationi adjudicatus remaneat in carcere, cum potest aufugere; alias simplici filio ligatus, aut ergastulo papiraceo inclusus teneretur ibi manere, quod vix aut ne vix ullus homo dixerit: unde sententia tantum præcipit, ut reus pœnam luat, nullam vim aut injuriam justitiæ aut ministris inferendo.

Dices 2. Effractio carceris cedit in detrimentum custodis, aut reipublicæ: ergo, &c.

Resp. neg. conseq. Quia licitum est reo tale damnum permittere, quando jure suo utitur.

An autem teneatur dampnum illud resarcire? Disputant auctores; crediderim tamen non teneri, cum ex parte illius nulla interveniat culpa theologica.

Advertendum tamen, quod licet tunc possit reus fugere, possit etiam non fugiendo pœnam expectare, immo & ultro sese judici offerre, ut justitia exerceatur.

Petes 1. An quando licitum est reo catenas aut custodiam effringere, licitum sit aliis, secluso speciali præcepto, aut officio id prohibente, illud etiam consulere, immo ad id instrumenta præbere?

Resp. affirm. Ratio est; quia non est cooperari alterius peccato, sed actioni ipsi licitæ. Aliud esset, si quis cum ipso reo carcerem effringeret; hoc enim esset publici auctoritati vim inferre: unde hoc quidem conceditur reo ratione gravissimi mali ipsi imminentis, non tamen aliis, alioquin non foret satis justitiæ provisum.

Dixi 1. *Secluso præcepto*; quia licet carceris effractio reo prohiberi non possit in casu conclusionis, utpote quia nimis durum, potest tamen aliis prohiberi, quominus instrumenta ministrent, &c. cum ipsis non sit nimium difficilis illa prohibitio.

Dixi 2. *Aut officio id prohibente*, quia custodi, judici & aliis justitiæ ministris prohibitum est, ratione officii reum hac in re adjuvare.

Petes 2. An possit damnatus ut fame pereat, oblatos cibos respuere?

Resp. Probabilius negative, quia censeretur seipsum occidere: licet enim sententia iudicis prohibeat, ne ipsi offerantur cibi, non præcipit tamen reo oblatos respuere; alias esset injusta, adeoque non obligaret.

Q U Æ S T I O V I.

Quæ sint onera & peccata advocatorum?

CONCL. I. Tenetur advocatus à causa injusta sive inchoanda, sive inchoata abstinere. Ratio est; quia si tali causæ patrocinetur, coöperatur formaliter iniquitati & injustitiæ litigantis, & ideo tenetur ad restitutionem omnis damna utrique parti inde provenientis. Item si causa ab initio appareat probabilis, & postea propter rationes antea ignotas appareat injusta.

CONCL. II. Non potest advocatus suscipere causam, nisi in se vere probabilem, licet possit minus probabilem respective.

Ratio 1. partis est; quia quando causa est ita exiguæ probabilitatis, ut raro aut nunquam soleant iudices juxta talem opinionem judicare, exponit clientem manifesto jacturæ periculo, ac ideo obnoxius est omnium damnorum reparationi.

Prob. 2. pars; quia officium advocati non est rem definire, tradendo uni quod petit & auferendo ab altero quod tenet (id enim iudicis est) sed illius tantum est fundamenta juris & facti suo clienti faventia iudici proponere, ut ille, his perpensis, decernat pro quo ferenda sit sententia: poterit autem fieri, ut rationes, quæ advocato minus probabiles apparent, appareant iudici probabiliores.

Confirm. Advocatus gerit vices litigantis, sed potest litigans illo casu sententiam postulare à iudice, suas rationes exponendo: ergo & advocatus.

Limita tamen 1. Nisi agatur de sanguine, quia sicut tunc actor, ita et ejus advocatus charitatem læderet, molestando reum sententiæ probabiliori nixum.

Limita 2. Modo iudex & ejus consilarii sint rationum ponderandarum capaces.

Limita 3. Modo patrocinians causæ minus probabili, aut dubiæ, monuerit clientem de causæ periculo; illicque fideliter exposuerit, quid timere, & quid sperare debeat; alias tenetur damnum ex malæ informatione secutum reparare.

CONCL. III. Pecant 1. Tam contra juramentum, quam contra justitiam advocati, qui causas, processus, lites suscipiunt, quando vident illas esse falsas, injustas, improbables: quod à fortiori verum est, ubi clientes ad id instigant. 2. Qui in processu causæ injustitiam advertentes, illa non deserunt, aut ad compositionem partes impellunt. 3. Qui suis fallaciis & subtilitatibus causas protrahunt, majus lucrum reportaturi. 4. Qui in eadem re utrique parti serviunt, quædam consilia aut instrumenta parti adversæ secreto

subministrantes. 5. Qui sua incuria aut imperitia lites perdunt, ab avvocato diligente & perito lucrandus. 6. Qui scriptis innumeris & scripturarum ambagibus iudices circumveniunt, ut vel tædio fracti, vel obscuritate circumvoluti lucem justitiæ apprehendere nequeant. 7. Qui astutiis, subtilitatibus, eloquentiæ lenociniis, garulitatibus incautos iudices decipiunt. 8. Qui allegationibus impertinentibus, repetitionibus tædiosis augent pagellas & articulos, majoris salarii causa.

Q U Æ S T I O V I I.

Quid dicendum de scribis, notariis, & procuratoribus?

Scribæ (quorum officium est acta, dicta, inquisita judicialia fideliter scribere, & in librum aut instrumentum authenticum referre) obligantur adamussim suo juramento stare, & fidelitatem omnimodam in suis scriptis servare, ita ut si secus fecerint in re gravi, graviter peccent, & teneantur omnia damna resarcire. Ratio est; quia ideo à republica aut particularibus stipendium accipiunt, ut id, quod sui muneris est, fideliter exequantur. Hinc

Resol. 1. Committere grave peccatum obnoxium restitutioni, si in scripturis alicujus momenti aliquid addant, omittant, mutent, falsificent, &c. item si ex eorum culpa irreperit mendum notabile aut verbum dubium, æquivocum, absurdum, &c.

Resol. 2. Reos esse ejusdem peccati, si aliquid dicant, revelent, scribant, tradant, quod cedere possit in præjudicium communitatis, magistratus, iudicis, aut personarum privatarum, quibus serviunt.

CONCL. II. In notario seu tabellione, sic dicto, eo quod olim in tabulis testamenta, aliaque publica conscriberet, quinque requiruntur, auctoritas, idoneitas, juramentum, diligentia & fidelitas.

Auctoritas: debet enim ab habente potestatem institui: ac 1. In causis civilibus & criminalibus ab Imperatore, Rege, aut alio supremo Principe pro suis respective terris & subditis. 2. In causis ecclesiasticis à Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro sua diocesi, nonnumquam autem Summus Pontifex potestatem creandi notarios aliis delegat, ut pronotariis ordinum superioribus pro suis religiosis & causis regularibus.

Idoneitas: id est, debet esse 25. annorum vir, non femina, honestus fama, & fortuna, integer sensibus, adeoque nec mutus, nec cæcus, nec surdus.

Juramentum: complectens fere sequentia. 1. Quod de visis, auditis, scriptis, missis, testatis, legatis facturus sit instrumenta integra, vera, pura, nullatenus vitiata. 2. Quod de contractu usurario, aut usuram sapiente non faciet instrumentum. 3. Quod omnium instrumentorum sit facturus protocollum. 4. Quod erit fidelis in servandis decretis. 5. Quod seclusa omni passione officium suum integre sit administraturus.

Diligentia, ut sedulo ponat in suis instrumentis omnes conditiones requisitas ad hoc ut fidem faciant: conditiones autem illæ, juxta Angelum, sunt sequentes: 1. Invocatio Divini Nominis. 2. Inscriptio anni, mensis, diei, indictionis, nominis Papæ aut Principis supremi, in cujus ditione instrumentum conficitur. 3. Series facti, seu actus. 4. Locus contractus. 5. Nomen testium, quorum erit etiam subsignare. 6. Subscriptio ipsius notarii cum suo signo ordinario, qui & notare debet, à quo sit institutus notarius, & quod ad id negotii fuerit vocatus vel rogatus. 7. Relectio instrumenti coram partibus, quæ si etiam instrumento subscripserint, erit magis auctenticum.

Fidelitas, ut non faciat acta falsa, alterata, vitata, aut manca, & non conficiat testamentum dictatum ab amente, aut sensibus destituto, ut non revelet secreta, ut non det instrumentorum copias iis, quibus non debet, nec deneget quibus debet: unde si in illis desit, peccat graviter, aut leviter, juxta materiæ proportionem, teneturque ad omnium damnorum reparationem.

CONCL. III. Per procuratorem hic intelligimus illum, qui nomine & mandato clientis causam in judicio agitatam prosequitur ac terminare nititur mediante avvocato & aliis ad causæ definitionem necessariis. Hic autem debet esse idoneus, auctorizatus, diligens & fidelis.

Idoneus, nempe eadem idoneitate, qua notarius, & qui habeat insuper qualitates, quas curia, in qua officium suum exercet, requirit.

Auctorizatus, scilicet ab eo, cujus causam gerit, à quo, mediante instrumento expresso & auctentico, & procurator instituitur, & mandatum de lite prosequenda accipit.

Diligens, ut sine causa litem non protrahat, ut suo tempore responsiones, defensiones, instrumentorum productiones exhibeat, ut omnia eadem vigilantia & assiduitate peragat, qua cliens ipse, si adesset, perageret.

Fidelis, ne excogitet fraudes, fallacias, detractiones, &c. aut excogitatas exhibeat in præjudicium justitiæ, illusionem judicis, deceptionem advocati & nocumentum partis.

Item nec causam dubiam, improbabilem, injustam, aut periculi plenam tamquam justam & certam suo clienti exhibeat. Alias tenetur resarcire omne damnum, quod ex sua malitia, infidelitate, aut negligentia intulit clienti. Quod de advocatorum peccatis diximus, hic cum proportionem applica.

Quædam hic desiderantur, quæ tangunt judicia regularia; sed quoniam hæc rarissima sunt, & aliunde solos superiores majores respiciunt, quibus obvia sunt commentaria Kerchovii in Statuta nostra generalia, ubi hæc materia fuse tractatur, illuc lectorem remittendum judicavimus.

TRACTATUS III.

DE STATU RELIGIOSO.

DISPUTATIO UNICA.

De variis statum religiosum concernentibus.

Quoniam ad virtutem justitiæ spectat *religio*, non solum ut virtus, sed etiam ut status; cum religionis status fundamentum sit promissio sollemnis Deo facta; adeoque quidam quasi-contractus strictus justitiæ vinculum inducens, non incongrue tractatui *de justitiâ* annectitur tractatus *brevis de statu religioso*; præsertim cum totum hoc opus in gratiam maxime religiosorum prodierit. Ideo sit

QUÆSTIO I.

Quid sit status religiosus, quotuplex, & quinam perfectior?

CONCL. I. Status religiosus, seu religio, est status immobilis hominum ad perfectionem tendentium per vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ac sui traditionem sub certa regula ab Ecclesia approbata.

Dicitur 1. *Status*, idest, certa vitæ conditio.

Dicitur 2. *Immobilis*, ut excludatur status mutabilis, ut est virginitas, viduitas, &c. Tres sunt autem status immobiles, Episcopatus, religio, & conjugium. Primus adstringit Episcopum suæ Ecclesiæ, seclusa Papali dispensatione. Secundus religiosum divino cultui. Et tertius maritum uxori, & è contra per totam vitam.

Dicitur 3. *Hominum ad perfectionem tendentium*; quia religio est status perfectionis acquirendæ, non acquisitæ, ut Episcopatus; & ideo licet ratione sui non obliget religiosum esse perfectum, obligat tamen, ut generoso conatu perfectionem acquirere studeat.

Dicitur 4. *Per vota castitatis, &c.* quia non tenetur religio-

sus per omnia consiliorum opera perfectionem quærere, sed sufficit si illam quærat per exactam votorum & constitutionum suarum executionem. Dixi tantum *per vota* & non *per vota solemnia*, quia post Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, vota simplicia scholarium societatis Jesu constituunt religiosum, unde si alicubi in jure requirantur vota sollempnia ad statum religiosum, hoc intelligitur juxta jus antiquum.

Dicitur 5. *Ac sui traditionem*; quia cum religiosus per professionem non sit amplius sui juris, sed alieni, debet seipsum totaliter tradere superiori, à cujus nutu & jurisdictione in omnibus dependeat, quod non facit nuda votorum emissio, quæ promissionem continet, non traditionem. Debet autem illa traditio esse completa, seu acceptata ex parte superioris, aut alterius ejus nomine; alias vovens quantumvis promittat, & se tradere intendat, non est religiosus, tenebitur tamen ad votorum executionem quantum poterit.

Dicitur 6. *Sub certa regula*; quia licet sola mandatorum & votorum observantia possit hominem ad perfectionem deducere, non solet tamen Ecclesia religionem approbare, nisi ejus professores certam vivendi formulam assumpserint.

Dicitur denique: *Ab Ecclesia approbata*, & non à Sede Apostolica; quia licet post constitutionem Innocenti III. cap. *Ne nimia* 9. *de religiosis domibus*, nullus præter romanum Pontificem possit religionem aliquam approbare; antea tamen plures fuerunt veræ religiones sola Episcoporum approbatione, aut conniventia erectæ: ut religiones SS. Augustinii, Basilii, Antonii, Benedicti: quæ tamen omnes fuerunt postea à Conciliis & Pontificibus approbatæ & confirmatæ. Ex hac definitione

Resol. 1. Quinque requiri ad religionis constitutionem, nempe status immobilitatem, votorum essentialium obligationem, sui traditionem acceptatam, regulæ determinationem, & Ecclesiæ approbationem.

Resol. 2. Emittentem tria vota in aliqua religione, etiam de consensu Papæ, cum potestate retrocedendi quando libuerit, non esse religiosum; cum illa vitæ conditio non sit immobilis.

Resol. 3. Scholares societatis JESU post primam professionem esse vere religiosos; quia licet donec tertiam emiserint, possint à superiore ex causa dimitti, ipsi tamen, quantum est ex parte sua, sunt perpetuo religioni mancipati; quod sufficit, ut eorum status dicatur immobilis: hocque patet in servitute perpetua quæ dicitur status firmus, licet possit servus à domino dimitti.

Resol. 4. Canonissas, Begainas Belgicas, filias Charitatis in diocesi Attrebatensi, sicut & filias Virginis Montibus, non esse religiosas, cum non emittant vota essentialia: unde videmus plurimas ad nuptias transvolare.

Resol. 5. Eremitam tria vota emittentem & regulam à sancta

sede approbatam assumentem, non esse religiosum defectu sui traditionis alicui superiori sub cujus obedientia vivat: unde si quidam antiqui anachoretæ sic vixerint, tantum fuerunt religiosi æquivalenter, non formaliter.

Resol. 6. Illum, in quo reperiuntur quinque assignata superius, esse quidem religiosum, sed peccare graviter contra substantialem sui status obligationem, si negligat tendere ad perfectionem. Terribilis est hæc sententia, inquit Navarrus, multis religiosis, qui nec actualiter, nec virtualiter animum habent in dies proficiendi, nec curant esse perfectiores bonis clericis, sæcularibus aut laicis.

Porro censetur religiosus studium perfectionis negligere, & graviter delinquere. 1. Quando vult in quodam mediocritatis statu remanere, ut si diceret: *satis laboravi pro obtinenda perfectione, volo deinceps quiescere*. 2. Quando omittit aliquod punctum regulæ, aut aliquam constitutionem eo animo, ut non sit perfectior. 3. Quando negligit legem, statutum, constitutionem, medium, aut quodcumque aliud sui instituti ex intentione se non subjiciendi præcepto, aut præcipienti: tunc enim adest contemptus formalis. 4. Dum omittit præfata, reputans illa vana, frivola, inutilia. Aliud esset; si illa omitteret ex pigritia, aut ex alia passione sine contemptu. 5. Quando sine contemptu superioris, aut regulæ proponit transgredi omnia præcepta obligantia tantum ad veniale, aut non obligantia ad culpam, licet intendat servare omnia obligantia ad mortale; quia propositum illud directe opponitur perfectioni acquirendæ.

CONCL. II. Tanta est religionum diversitas, per quas Ecclesiæ Christi firmamentum tamquam per stellas decoratur, & cœli via tamquam per semitas robustorum & debiliū capacitati accommodatas facilitatur, ut eas omnes enarrare vix sit homini possibile. Nec est quod diversitatem illam sugillant hæretici cum quælibet suum finem habeat & utilitatem: una enim convenit uni propter contemplationem: altera alteri propter Verbi Divini prædicationem: illa illi propter chori servitium: ista isti propter hospitalitatem, & sic de aliis. Nihilominus cum sit unicus finis generalis cujuslibet religionis, qui est charitas Dei, & salus hominis, ideo omnes ex ea parte unam esse concludendum est. Præter finem illum generalem tres ordinarie speciales statuuntur, nempe vita contemplativa, activa, & mixta, & ideo potest status religiosus per respectum ad triplicem illum finem in triplici dividi, scilicet in contemplativam, activam, & mixtam, religio contemplativa est, quæ instar Mariæ occupatur ad pedes Domini, orando, legendo, psallendo, meditando, &c. ad hanc pertinent fere omnes religiosæ, sicut & benedictini, canonici regulares S. Augustini, Bernardini, &c. Activa est, quæ instar Marthæ occupatur circa ministeria externa, incarceratos visitando, captivos redimendo; ægrotis subveniendo, contra Ecclesiæ hostes militando: ad hanc spectant ordines

militares; hospitalarii, &c. Mixta deniquæ, quæ comprehendit contemplationem, & actionem, v. g. concionando, docendo, Sacramenta ministrando, &c. hujus religionis sunt ordines mendicantes, & Patres Societatis.

CONCL. III. Religio contemplativa prævalet activæ, & cuilibet prævalet mixta.

Prob. 1. pars; quia contemplativa Deum, activa proximum immediate respicit.

Prob. 2. pars; quia eo perfectior est religio, quo vitæ Christi est conformior, sed conformior est mixta; cum Christi vita fuerit partim contemplativa, partim activa: ergo.

Deinde mixta perfectionem in utraque divisione contentam includit. Inter illos autem ordines, qui vitam mixtam profitentur, ille est perfectior, cujus vota essentialia sunt perfectiora. Libenter aliis ordinibus præponerem Seraphicum ordinem, cujus tanta est castitas, ut illius professores suspecta mulierum consortia ex speciali præcepto teneantur vitare: tanta paupertas, ut nequidem assiculam tam in communi, quam in particulari valeant possidere: tanta obedientia, ut teneantur subditi obedire superioribus *in omnibus quæ non sunt contraria animæ & regulæ suæ*. Cujus regula est ipsummet Evangelium, cujus vita, vestitus, victus, conversatio, prædicatio sunt apostolica: sed cum omnis comparatio sit odiosa, illis omnibus supersedeo.

Q U Æ S T I O I I.

An quid teneatur qui vovit religionem?

Quandonam teneatur religionem ingredi, qui vovit illius ingressum, nullo determinato tempore, diximus de obligatione votici sicut & quantum laborare debeat ut admittatur, qui vovit religionem in genere, aut aliquam in specie. Illuc recurrit. Hic restat examinandum quid facere debeat ad religionem admissus, ut voto satisfaciat.

CONCL. I. Qui tantum vovit religionis ingressum, voto suo satisfacit, si ingressus, ex justa causa egrediatur, alias non. Ita D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 4.

Prob. 1. pars; quia per votum suum tantum se obligavit ad sumendam experientiam, an religio sibi conveniret, necne; ut ubi convenientem videret, illam profiteretur, ubi disconvenientem, illam desereret: ergo ubi videt religionem sibi ad salutem non convenire, potest sine scrupulo egredi, nec tenetur aliam intrare, cum jam voto satisfecerit.

Prob. 2. pars; quia sine causa egrediens (& idem est de illo qui culpa sua facit, ut remittatur) non adimplet quod Deo promissit, quandoquidem votum ingrediendi religionem non tantum obli-

get ad sumendum religionis habitum, sed etiam ad perseverandum in ea, ubi probata placuerit, aut conveniens fuerit. Hinc

Resol. 1. Sine causa egredientem teneri adlaborare, ut iterum admittatur; cum voto non satisfecerit.

Resol. 2. Susipientem habitum cum animo susceptum dimittendi, peccare graviter, licet postea, mutata voluntate, in religione perseveret; quia licet voto satisfaciat effectu, noluit tamen satisfacere affectu.

CONCL. II. Qui vovit religionem determinatam ingredi & profiteri, si absque culpa sua remittatur, manet liber à voto. Qui autem vovit religionem indeterminate, tenetur quandoque remissus aliam ingredi, quandoque non. Tres partes habet conclusio.

Prob. 1. pars; quia ille tantum vovit religionem profiteri in illo monasterio, & non in alio: ergo ubi impossibilis est illi professio in illo conventu, censetur votum esse de re impossibili; adeoque non obligare. Aliud esse, si pigre vixisset in novitiatu, & ideo fuisset dimissus; tunc enim teneretur iterum postulare, & majorem fervorem promittere: quod, si non obstantibus precibus & protestationibus denegetur ei reingressus, manebit absolutus à voto; sed tenebitur poenitentiam agere de sua pigritia, quæ fuit obstaculum professioni.

Prob. 2. pars; quia sicut qui vovit ingredi religionem in genere, tenetur non admissus in una, alteri se præsentare, donec tandem admittatur in aliqua, ita similiter qui vovit profiteri religionem in genere, tenetur dimissus ex una (licet sine culpa, ut supponitur) alteram quærere, si spes affulgeat in aliqua profitendi. Cujus ratio ulterior est, quod causa, cur dimittatur in una, non semper impediatur professionem in altera.

Prob. 3. pars; quia potest fieri, quod dimittatur propter causam, quæ reddat ipsum inhabilem ad quamlibet religionem profitendam, ut si sit mente turbatus, litteraturæ incapax, &c.

CONCL. III. Ad plus tenetur qui vovit religionem profiteri, quam qui tantum vovit ingredi? Ita tenent cum D. Thoma Cajetanus, Navarrus, Valentia, Portel, & alii contra nonnullos.

Ratio est; quia ad plus tenetur, qui plus promissit; atqui, ut patet evidenter, plus promissit primus, quam secundus: ergo. Unde qui vovit professionem, tenetur majorem sibi vim inferre, majores difficultates subire; longe majorem diligentiam adhibere, antequam possit tuto egredi, quam qui tantum vovit ingressum; quia hic vovendo religionis ingressum, censetur tantum se obligasse ad id, quod faciunt ordinarie novitii tempore probationis, id est, in religione manere, si possit sine magna molestia illi vitæ attemperari, alias egredi. Ille autem censetur voluisse remanere, nisi adessent difficultates maximæ, causæ urgentissimæ, &c. Et ut verbo dicam, si vita religiosa appareret illi moraliter impossibilis.

Dices 1. Trid. sess. 25. c. 16. *De regulis*, dicit liberum

esse novitiis exitum, & annullat quamlibet renuntiationem libertati repugnantem.

Resp. Concilium annullare quamlibet renuntiationem libertati omnimode repugnantem; non autem illam, qua quis se obligat per votum perseverandi in religione; quandoquidem ubi forent causæ urgentissimæ, posset adhuc egredi, ut dictum est.

Dices 2. Qui vovit religionem ingredi, tacite vovit illam profiteri, si nempe conveniat: ergo non plus promisit unus, quam alter.

Resp. neg. conseq. Quia vovens professionem, non tantum se obligat ad religionem, si conveniat, sed etiam in ea remanere, nisi sit moraliter impossibilis, ut dixi.

Q U Æ S T I O I I I.

Quinam possint ad religionem recipere, qui debeant observare, & an possint postulantem repellere?

CONCL. I. Omnis & solus ille potest ad religionem recipere, cui ex jure, consuetudine, aut privilegio concessa est facultas, nisi lex, aut constitutio sit in contrarium. Conclusio patet ex terminis. Et jure communi recipere possunt prælati immediate, ut sunt abbates, priores, guardiani, rectores, patet ex cap. finali, de regularibus in 6. Ex privilegio Nicolai III. recipere possunt generales pro toto ordine, provinciales, pro sua provincia, & prælati locales cum capitulo pro suo conventu, cap. *Exiit* 3. de verborum significationibus in 6.

Dixi: *Nisi sit lex aut constitutio in contrarium*, qui juxta religionum varietatem, varie restricta est illa potestas: nam solus præpositus generalis apud Jesuitas potest per se, vel per alium recipere. Apud Fratres minores ultra generalem possunt etiam provinciales pro sua respective provincia; ita tamen ut nulli possint hanc facultatem delegare: *Prohibemus*, inquit statuta nostra cap. 1. §. 2. *Ne ministri provinciales, guardiani, aut quibuscumque aliis religiosis hujusmodi facultatem novitios recipiendi committant.* Et ideo nec custodi, nec definitores, imo nec vicario provinciali possunt illam concedere: quod si fecerint, peccant graviter, estque admissio nulla, ut docet in hunc textum regulæ Marchantius. Per vicarium autem provincialem intelligitur ille, qui substituitur quando provincialis pergit ad capitulum generale, aut ex causa egreditur de provincia iterum reversurus. Porro ubi requiritur ad receptionem consensus prælati & capituli, sufficit si major pars capitularium consentiat.

CONCL. II. Antequam prælati ad religionem recipiant, debent 1. observare illud Trid. sess. 25. cap. 3. de regularib. *In monasteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia possi-*

dentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituantur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari. Quod & confirmavit Clemens VIII. anno 1599. pro reformatione regularium per constitutionem quæ incipit *Nullus omnino*, idemque Paulus V., Urbanus VIII. & Innocentius X. sanxerunt. Unde peccant 1. Prælati in communi possidentes, qui ita augment numerum religiosorum, ut eis nec per redditus annuos, nec per elemosynas ordinarias, valeant necessaria ministrare. Excusantur tamen si supernumerarius ad religionem admissus, dotem pro sustentatione sufficientem conferat; aut si speretur propter egregias animi dotes, religioni potius fore levamento, quam oneri. Item excusari possunt, si id faciant propter servitium chori alias deficientis ratione senum, & habitualiter infirmorum. Peccant 2. Nihil possidentes, si ob nimiam fratrum receptionem, fieri debeant mendicationes importunæ, & insolitæ, ex quibus gravatur populus, minuitur religio, sæcularizantur fratres.

2. Observare debent, quod Nicolaus III. c. *Exiit qui seminat*, §. *verum*, de verbor. significationibus in 6. serio moneat superiores, ne indifferentem omnes admittant, sed illos tantum, *qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint esse utiles ordini, sibi que per vitæ meritum, aliisque proficere per exemplum: ex novitiorum enim receptione dependet ordinis conservatio, aut destructio; quia sunt quasi palmites, inquit Ketchov. in statu Fratrum minorum, ex quibus religio plantanda est, qui si fuerint boni & selecti, uberes proferent fructus, & vinum fervidæ charitatis, quod Deum lætificat & homines ac vineam religionis conservabunt. E contra si hæ novellæ plantationes ac propagines fuerint malæ, selectam hanc Dei vineam dissipabunt, regularemque disciplinam penitus labefactabunt. Et ideo non debent ita facile postulantes recipere prælati, cum bonum religionis non in numero, sed in sanctis moribus, non in multitudine, sed in probitate consistat.*

CONCL. III. Deficiente causa justa & rationabili, peccat prælatus aut capitulum denegans habitum postulanti idoneo. Ratio est, tum quia facit injuriam religioni, quam privat digno subjecto, tum quia male utitur, saltem negative, jurisdictione sibi concessa, tum quia lædit charitatem debitam proximo in re tanti momenti: & certe si graviter lædat charitatem qui alium sine causa retrahit à religione, quidni & læderet ille, qui potens & debens non vult idoneum recipere?

Dixi: *Charitatem*; quia cum postulans respectu religionis habeat jus in re, aut jus ad rem, nec prælatus, nec capitulares ledunt justitiam ei non suffragando. Aliud est de novitio recipiendo ad professionem: ille enim per novitiatum acquisivit jus ad proficendum, & ideo peccant graviter contra justitiam & charitatem qui

sine causa sufficienti ipsum reprobant, sicut injustitiam faciunt religioni qui approbant indignum. In dubio autem: an recipiendus ad novitiatum aut professionem sit idoneus, debet dubitans antequam suffragetur, dubium deponere, vel rem magis examinando, si sit capax, vel doctiores consulendo. Quod, si omnibus consideratis, remaneat dubium, non est recipiendus, cum propter bonum alicujus particularis non sit bonum commune periculo exponendum.

Dixi in conclusione, *Deficiente causa, &c.* quia si causa subsit, non tantum potest, sed etiam debet repellere, alias injuriam ordinari, imo & quandoque ipsi candidato facturus. Porro causæ sufficientes ad denegandum habitum candidato, sunt sequentes. 1. Nimia fratrum multitudo. 2. Si multi æquales postulent, nec expediat omnes recipere, tunc enim erit liberum prælato hos vel illos admittere. 3. Si recipiendus sit malæ indolis & capitosus. 4. Si sit ebriosus. 5. Si sit assuefactus rixis, injuriis, & discordiis. 6. Si sit in rebus spiritualibus piger & tepidus, nisi certe affulgeret vera & fundata spes emendationis. 7. Si magis per hoc intendant parentibus placere, quam salutem quærere, ex quibus causis, quatuor ultimæ, etiam ad denegandam novitio professionem possunt inseruire. Caveat tamen prælatus, director, aut quilibet alius suffragium denegare ob defectum ex confessione sacramentali cognitum, cum sit directe contra sigillum confessionis, & talis usus sit Sacramento & poenitenti graviter injuriosus.

Q U Æ S T I O I V.

Quinam sint ad religionem recipiendi, & quinam dimittendi?

CONCL. I. Omnes illi possunt, valide & licite ad religionem admitti, qui sunt sui juris, nec aliquo impedimento naturali, aut positivo sunt ligati. Ratio est, quia illis omnibus concessum est honestum vitæ genus arripere: ergo si ad religionem aspirent possunt absque difficultate recipi. Hinc

Resol. 1. Posse recipi adolescentes & puellas 15. annorum, quia licet necdum possint de bonis suis disponere, possunt tamen disponere de suis personis in ordine ad salutem; immo recipi possunt eo ipso, quo facti sunt puberes (quod accidit puellis anno ætatis duodecimo completo, viris decimo quarto) & ex tunc novitiatum inchoare, licet non possint ante annum decimum sextum profiteri; ante pubertatem autem licet possint habitum ferre, non tamen inchoare novitiatum. Patet ex Clem. ultima *de regularibus*: & hoc verum est, quamvis malitia suppleat ætatem.

Resol. 2. Etiam recipi posse subdiaconos, diaconos, sacerdotes, imo & parochos, quia eorum ordinatio aut officium sic eos submittit Ecclesiæ, ut jura relinquunt ipsis liberum religionis ingressum. Ut dicitur cap. *Dux sunt* 2. 19. q. 2. De curatis, quorum bene-

ficiam, sicut & quocumque aliud non vacat ante professionem. Aliud esset de Episcopis, aut Archiepiscopis; qui nisi dispenset Papa in voto solemnem, quo se suis ovibus curandis adstrinxerunt, nec licite, nec valide probabilius, possunt admitti.

Resol. 3. Validam esse & licitam receptionem sponsorum de futuro, quia censetur sponsalia contrahere cum tacita conditione: *Nisi religionem ingredi voluero*. Esset tamen illicita tam ex parte recepti, quam ex parte recipientis, si inde injuriam patiatursponsa ratione copulæ ob matrimonii promissionem concessæ.

Resol. 4. Ligatum solo matrimonio rato, posse ante bimestre à contracto matrimonio, licite & valide religionem ingredi, etiam repugnante comparte, quæ post professionem alterius, & non ante, ad alias nuptias poterit transvolare. Dixi & non ante; quia si exeat, tenebitur ad compartem redire. Sed quid si sponsus tempore bimestris sponsam per vim oppressisset? posset oppressa religionem ingredi, & teneretur opprimens, vivente comparte religiosa, à matrimonio secundo abstinere, quia primum, ut pote consummatum, non fuit per professionem compartis dissolutum. Hæc omnia patent ex variis juris textibus.

Resol. 5. Posse etiam recipi matrimonio consummato ligatum, aut ligatum si compars sit notorie adultera, aut per divortium judiciale separata. Patet ex c. *Constitutis* 15. *De conversione conjugatorum*; & alibi. Ratio est, quod conjux innocens ratione adulterii nocentis, aut divortii, facta sit quasi sui juris.

An autem in ordine Seraphico, ut receptio illa sit licita, requiratur licentia Episcopi, & quod uxor vel castitatem voveat, vel religionem intret, ac talis sit ætatis ut non possit oriri suspicio, præscribit regula, negant aliqui, eo quod tunc cessent rationes, cur similia requirat regula: ad quid enim licentia Episcopi, ubi licentiam concedit jus? ad quid votum continentiæ in uxore, cum jus ad copulam & cohabitationem adulterando perdidit? ad quid etiam ætas provecata, ut impediatur suspitionem forte oriundam, cum equidem non teneatur apud ipsam manere? unde dicunt, talem casum non comprehendi à nostra regula, sed cum hunc casum nullatenus excipiat, nec nos excipimus.

CONCL. II. Invalide, adeoque & illicitè recipiuntur omnes illi, quibus inest impedimentum dirimens, sive ex jure naturæ, sive ex jure positivo.

Ratio est, quia debemus hic loqui de statu religioso cum proportionem ad matrimonium: atqui impedimentum dirimens reddit matrimonium invalidum & licitum ergo & receptionem ad professionem religiosam. Hinc

Resol. 1. Invalide recipi servum, sive mancipium; quia cum non sit sui juris, non potest se tradere religioni.

Resol. 2. Propter eandem rationem irritam esse professionem conjugati post matrimonium consummatum sine licentia compartis.

Dixi: *Professionem*; quia cum nullum jus irritet illius novitatum, poterit, accedente postea conjugis consensu, servire in ordine ad profitendum.

Resol. 3. Idem esse de religioso, qui professus in uno ordine transvolat ad alium, qui non sit strictior.

Resol. 4. Invalidam esse receptionem & professionem viri in monasterio monialium, sicut & feminae in monasterio virorum: patet ex cap. *Definitus* 21. 18. q. 2. Au autem vir detectus teneatur ingredi monasterium virorum, & femina monialium: probabilius est, quod non; cum professio sit omnino irrita defectu acceptationis ex parte religionis: teneretur tamen ad vota, eo modo quo posset, observanda, si illa emisisset cum intentione se obligandi sive in religione, sive extra.

Resol. 5. Hermaphroditum invalide recipi, si sexus uterque sit æqualis, cum ratione periculi respectu virorum sit femina, & respectu feminarum sit vir. Jura quidem permittunt tale inire matrimonium juxta quemlibet voluerit sexum, non tamen profiteri religionem propter indecentiam & periculum. Si autem prævaleat sexus virilis, & admittatur in conventu virorum, vel si femineus, & recipiatur apud moniales, valida erit professio & receptio, cum reputetur vir aut femina juxta sexum prævalentem, erit tamen illicita tam ex parte recepti, quam recipientis ob incontinentiæ periculum sibi & alias; & ideo consulto separatus ab aliis vivet.

Resol. 6. Nullam esse receptionem & professionem Petri, cui deest aliqua conditio requisita, si facta sit protestatio à superiore, vel ab alio ejus nomine, si conditiones petitiæ & affirmatiæ non subsistant, eum fore dimittendum, etiam emissa professione, quod verum est, licet conditiones illæ nec ex jure naturæ, nec ex jure positivo professionem invalidarent.

Ratio est; quia non stat receptio aut professio sine superioris consensu; atqui illo casu, deficiente conditione, non consentit superior, immo positive dissentit; ergo. Si hoc tamen intelligatur de infirmitate occulta, debet esse talis, ut religionis exercitia impediatur; quia non censentur alii velle superiores protestantes: & ideo consultus nuperrime à fratre laico de valore suæ professionis, eo quod, non obstante superioris protestatione, illam emisisset cum surditate integra ex parte unius auris, respondit esse validam, cum posset omnia exercitia suæ conditioni proportionata eodem modo exercere, ac si fuisset aure gemina sanus: aliud sane respondissem de clerico, cui ex suo instituto incumberet confessiones audire, cum talis infirmitas exercitium illud vel impediatur, vel saltem difficile reddat.

CONCL. III. Multorum valida est professio & receptio, quæ tamen est illicita, vel ex parte recipientis & recepti simul, vel recipientis tantum.

Ratio est; quia naturalis ratio, jus positivum, aut particularia


religionum statuta prohibent aliquos recipi, & ad professionem admitti, quorum tamen receptionem aut professionem non irritant. Hinc

Resol. 1. Filium profitentem, relictis parentibus in extrema vel gravi necessitate, peccare graviter, sicut & superiorem ipsum admittentem, licet professio teneat. Ratio est, quia præceptum naturale subveniendi parentibus in tali necessitate constitutis prævalet consilio, imo & obligationi ortæ ex voto ingrediendi religionem. De hac re fusius postea.

Resol. 2. Criminosos, contra quos ante habitus susceptionem facta est accusatio, aut specialis inquisitio à iudice sæculari, illicitè recipi. Patet ex Bulla Sixti V. *Ad Romanum spectat* anno 1588. per quam declarat etiam invalidam esse eorum professionem, quam postea validavit Clem. VIII. constitutione, quæ incipit *Altissima paupertatis via*, relictis poenis, quas Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus* anni 1587. sanxerat contra recipientes hujusmodi criminosos, nempe privationem vocis activæ & passivæ, sicut & officiorum, graduum, honorum & dignitatum quarumcumque, ac perpetuam ad illa deinceps possidenda inhabilitatem. Intelligunt autem doctores per *criminosos*, homicidas, fures, sodomitas, adulteros, patriæ proditores, assassinos, & alios hujusmodi publicos contra quos imponi solet poena mortis, triremium, aut exilii perpetui.

Resol. 3. Nec recipi posse ære alieno gravatos, aut reddendis ratiociniis obnoxios, quales possent esse tutores, testamentorum executores, thesaurarii, depositarii æris publici, &c. ita inhibuit Sixtus V. Bulla *Cum de omnibus* sub eisdem poenis antea recensitis. Excipe tamen 1. Nisi alter gravamen illud totaliter in se susciperet. 2. Nisi patrimonium reddendis ratiociniis obnoxii tale esset, ut sine periculo molestiæ novitio aut religioni inferendæ, ad prædicta dilucidanda & solvenda sufficeret.

Resol. 4. Etiam illicitè admitti ad religionem, saltem Fratrum minorum, debitis gravatos, illegitimos, descendentes usque ad quartum gradum ex judæis aut hæreticis, quorum corpora id fidei vindictam fuere cremata, infames jure, facto, arte, aut conversatione, laborantes lepra, paralyti, epilepsia, lue venerea, aut quocumque alio morbo, qui contagiosus, aut caducus solet appellari. Si tamen lues venerea, aut simile quid post assumptionem habitus religiosi appareat, & facile ac brevi tempore sine scandalo possit sanari, non videtur novitius propterea expellendus, cum tunc cesset ratio inhibitionis. Circa alia impedimenta dirimentia aut prohibentia receptionem aut professionem religiosam, consulat unusquisque proprias constitutiones.



Q U Æ S T I O V.

Qualis debeat esse habitus, locus & annus novitiatus?

CONCL. I. Debet habitus novitii esse talis, qualis præscribitur in constitutionibus illius ordinis, quem vult amplecti: hoc tamen non requiritur ad essentiam novitiatus, & ex causa posset aliter fieri: unde in Anglia, Hybernia, & aliis hæreticorum locis, Benedictini, Jesuitæ, & Recollecti novitios suos probant in habitu sæculari, nemine reclamante.

Dices 1. Tridentinum requirit pro novitiatu annum à die suscepti habitus: ergo supponit habitum religionis esse suscipiendum.

Resp. Concilium ita loqui, quia sic ordinarie fit: unde sumit diem suscepti habitus pro die, quo quis incorporatur religioni. Et certe, si voluisset habitum esse de essentia religionis, illud aperte declarasset, sicut fecit de anno novitiatus & ætatis.

Dices 2. Qui non fert religionis habitum, non experitur illius asperitatem: ergo, &c.

Resp. Non omnes religionis asperitates esse necessario probandas, alias deberet etiam novitius mitti ad pagum per vias lutasas, aut nive coopertas tempore frigido, aut pluvioso, cum sola panis & aquæ sustentatione, quandoquidem non ita raro accidat professis.

Dices 3. Saltem in ordine Seraphico formam habitus novitiarum præscribente, gestari debet habitus religionis.

Resp. Etiam in illo ordine posse provinciales dispensare, si secundum DEUM videatur aliter expedire.

CONCL. II. Locus novitiatus debet esse aliquod monasterium, vel aliqua domus istius religionis, quam quis vult profiteri: ita ut, si extra fiat, nullus sit & irritus. Patet tum ex declaratione Cardinalium, quam refert Sanchez libro 1. Summæ c. 4. n. 7., tum etiam quia extra religionem profitendam non potest quis experire austeritates & modum vivendi illius ordinis, quem vult amplecti; ad quod tamen ordinatus est novitiatus.

Dixi: *vel aliqua domus*; quia non requiritur necessario monasterium formatum, ut patet in Anglia & Hybernia ubi novitii in aliqua domo particulari cum aliquibus confratribus observant, quantum possunt, regulæ constitutiones. Quamvis hoc non videatur probandum. Ex dictis

Resol. 1. Irritus esse novitiatum Franciscani, qui etiam à superiore legitimo receptus, extra religionem, vel in religione Sancti Benedicti, v. g. illum perageret, nisi adesset dispensatio Papalis.

Resol. 2. Validum esse novitiatum illius, qui ex licentia superioris per unum aut alterum mensem abest à conventu, non tantum ad catechizandum, aut quæstum faciendum, sed etiam amicos visendi ergo, aut recreationis causa; quia ex juris præsumptione, qui

degit ad tempus breve extra conventum cum licentia prælati, censetur in illo commorari. Præterea non requiritur, ut religionis austeritates toto tempore experiatur; alias ægotans novitiatum non ageret: sed sufficit si illas aliquo tempore experiatur, & alio tempore sit paratus illas experiri ad nutum superioris: peccaret tamen prælatus licentiam illam concedens novitio sine causa.

Resol. 3. Non esse verisimilem opinionem Azorii dicentis illum, qui per decem menses, imo per annum integrum degisset apud sæculares, novitiatum suum complere, si antea alicui monasterio fuit incorporatus, quia videtur esse omnino contra finem novitiatus à Tridentino requisiti, cum solus habitus non possit facere monachum.

CONCL. III. Annus novitiatus debet esse omnino integer, seu computari debet de momento suscepti habitus in momentum professionis, ita ut si quis hoc anno suscepit habitum prima januarii hora nona, & profiteatur anno sequenti eodem die eadem hora, valeat professio, si autem vel unica hora ante nonam, sit nulla. Ita communissime doctores contra paucos volentes sufficere, si ultimus anni dies sit inchoatus. Ratio est; quia eodem modo loquendum est de anno novitiatus, ac de anno ætatis decimo sexto; sed hic annus ad valorem professionis debet esse omnino completus; ergo & ille. Accedit quod in re tanti momenti non sit recedendum à sententia communi.

Resol. 1. Laudabiliter quidem in multis religionibus requiri ad professionem annum cum uno die, ita ut qui habitum suscipit prima januarii, profiteatur secunda ejusdem mensis anno sequenti. Hoc tamen non requiritur ad valorem professionis.

Resol. 2. Annum requisitum à Tridentino non esse solarem, qui continet 365. dies cum 6. horis, sed civilem & politicum, qui componitur ex 365. diebus præcise, quando non est bissextilis, & uno plus, quando est bissextilis.

Ratio est; tunc quia taliter computatur annus in aliis commerciis humanis, tum quia Gregor. XIII. qui ad correctionem kalendarii abstulit ab an. 1528. dies decem, declaravit dies illos non esse supplendos pro ætate requisita ad suscipiendos sacros ordines; quia annus ille fuit integer; non quidem solariter, sed politice & civiliter. Eodem modo loquendum est à fortiori in nostro casu.

Resol. 3. Etiam annum integrum novitiatus requiri quando religiosus transit de una religione ad aliam, sive interim alia sit strictior, sive mitior, sive eundem habeat fundatorem, sive diversum. Ratio est; quia Tridentinum requirit annum completum ad professionem; atqui transiens ad aliam religionem, quæcumque sit, emittit novam professionem; ergo requiritur alter annus completus probationis. Accedit, quod diversa religio diversas habeat constitutiones, & consequenter diversam requirat probationem. Potest enim fieri quod quis in religione mitiori reperiat

difficultatem, quam non reperiebat in strictiori, & à fortiori è contra: immo quamvis hoc non esset, equidem debet religio novitium probare. Unde Barbosa de jure ecclesiastico lib. 1. cap. 42. n. 86. refert declarationem cardinalium asserentium debere facere discalceatum ordinis Sanctissimæ Trinitatis ad calceatos transeuntem probationis annum.

Resol. 4. Nec religionem, nec novitium, nec utrumque simul posse renuntiare juri integræ probationis annuæ; quia licet in favorem utriusque requiratur, cum etiam sit in favorem publicum, non possunt ei cedere, sicut nec potest clericus cedere suo juri in detrimentum status clericalis. Poterat quidem olim hoc fieri, ut patet ex cap. *Ad apostolicam* 16. De regularibus, sed huic juri derogavit Tridentinum apertissime dicens, quamlibet professionem, nisi probatio annua præcesserit, esse nullam, nihil operari, &c.

Resol. 5. Hoc esse intelligendum, seclusa dispensatione, quia ex privilegio Pii V. dato per bullam *Summa sacerdotibus* anno 1570. Monialibus Sancti Dominici, & aliis per communicationem, licet ægrotis in mortis articulo, si decimum sextum ætatis annum compleverint, tempus prævenire, sicque indulgentias profitentibus concessas lucrari. Si tamen convaluerint, debent postea tempus complere, & de novo profiteri; quia non solet monasterium professionem acceptare, nisi sub conditione mortis secutæ & hoc insinuare videtur ipse net Pius V. in sua bulla, per quam non concedit indulgentias professioni annexas, nisi moriantur professi. An autem conventus, moriente sic professo, aut professa habeat jus ad dotem in professione promissam? Respondeo negative cum Rodriguez, Miranda et Porten, quia Pontifex tantum voluit professionem illam stare quoad effectus spirituales, seu pro consolatione animæ, ut satis insinuat.

CONCL. IV. Annus novitiatus debet etiam esse continuus moraliter, id est, absque ulla interpolatione morali.

Prob. Tum ex jure, quod, ubi tempus requirit, continuum requirit, ut probat Lesius lib. 2. cap. 41. n. 59. ex pluribus locis. Tum etiam, quia alias novitius non experiretur perfecte religionis austeritates, cum sit difficilium per mensem continuum jejunare, orationi vacare, silentium & solitudinem servare, quam illa per intervalla exercere. Adest quidem privilegium Julii III. in contrarium nobis concessum, sed illud per Tridentinum esse revocatum, satis declarat praxis communis. Hinc

Resol. 1. Exeuntem è monasterio, habitu dimisso, & animo non redeundi, interrompere novitium, licet tantum per unam aut alteram horam abesset; quia cum perfecte renuntiet jugo obedientiæ, censetur statum religiosum dimittere; immo idem est probabilius, etsi habitum retineat.

Resol. 2. Discedentem furtive cum animo revertendi post duas aut tres horas, in foro conscientie non discontinuare probatio-

nem. Quod etiam verum est, licet ad exitum facilitandum deposuisset habitum; quia tunc non dimittit jugum religionis, estque paratus corripì, si deprehendatur; nec nocet habitus dimissio, alias nequidem posset dimitti tempore infirmitatis.

Dixi: *In foro conscientie*; quia in religione Seraphica præsumitur novitiatus interruptus quoad forum externum, eo ipso quo novitius sine licentia è conventu exivit, sive habitu retento, sive dimisso. Patet ex statutis generalibus cap. 1. §. 2.

Resol. 3. Non esse continuam probationem illius, qui à conventu juste expulsus, post aliquot horas readmittitur; quia sicut exiens cum animo non redeundi desinit agnoscere religionem ut superiorem, ita & religio Novitium expellens desinit ipsum agnoscere ut inferiorem. Ubi autem injuste expellitur & cognita injustitia readmittitur, debet in integrum restitui, cum nullus sine sua culpa debeat privari jure suo. Non videtur tamen computandum tempus absentie, quidquid dicant aliqui, cum tunc moraliter non fuerit novitius, sed debet, si post octo menses v. g. fuit expulsus, quatuor alios complere.

Resol. 4. Eum, qui, dimisso habitu, cum animo egrediendi latitat in monasterio expectans tempus fugæ idoneum, sicut et illum, qui ex ira habitum dimittit, & sæcularem induit, non discontinuare novitium, si facti pœnitens religionis habitum reassumat antequam egrediatur è conventu; quia non censetur perfecte statum deseruisse, quamdiu necdum è monasterio exivit, & ideo potest etiam exutus à superiore habitu religionis, & indutus sæculari, probationem continuare, si ante egressum iterum paulo post de licentia superioris induatur.

Resol. 5. Illum, qui, expleto novitiatus anno, ad sæculum redit, non posse postea vi illius probationis valide profiteri; quia, ut declarat praxis communis, inter novitium et professionem nihil debet vitæ sæcularis intercedere: posset quidem aliquis probationem absolvisse 15. ætatis anno, ut diximus, sed deberet in religione, & non extra, ætatem ad profitendum requisitam expectare.

Petes, an, completo anno, possit professio differri?

Resol. Affirmative ex justa causa, v. g. si novitius diu ægrotavit, si novitia dotem non habeat, &c. quia Tridentinum nullibi condemnat dilationem rationabilem. Inter nos tamen non potest guardianus sine expressa provincialis licentia ultra octo dies professionem differre. Patet ex statutis generalibus supra.

QUÆSTIO VI.

Quid dicendum de elemosynis, expensis, & testamentis novitiorum?

CONCL. I. Nulla elemosyna notabilis facta à novitio, aut ab

ejus parentibus propinquis, aut curatoribus, de bonis ipsius novitii, potest recipi, nisi in quantum necessaria est ad illius victum & vestitum. Ita declarat Tridentinum sess. 25. cap. 16. *De regularibus*

Ratio est; quia hoc expediebat ad relinquendum novitiis liberum omnino egressum, quem minutum aut absorptum per eleemosynas patrimonium potuisset impedire.

Dixi 1. *Notabilis*; quia non prohibetur, quominus novitius, aut alter ejus nomine conventui, vel pauperibus paucas eleemosynas largiatur; quandoquidem non intendat Concilium congrua pietatis opera impedire, sed tantum illa, quæ patrimonium notabiliter minuenda obstant libertati egressus.

Dixi 2. *De bonis ipsius novitii*; quia possunt parentes, aut propinqui monasterium de bonis propriis gratificare.

Dixi 3. *Nisi in quantum necessaria est ad victum & vestitum*; & ideo detractis pro victu & vestitu necessariis, restituendum est novitio egredienti quod superest ex datis eleemosynis, ita ut possit Episcopus etiam per censuras monasterium renuens compellere. Patet ex Tridentino supra. Non est tamen restituendus habitus religionis, sed sufficit, si detur pretium æquivalens. Ex dictis

Resol. 1. Graviter peccare superiorem, tenerique ad restitutionem, si à novitio aut ab alio de bonis novitii aliquid notabile recipiat ultra victum & vestitum.

Resol. 2. Hoc tantum intelligi ante professionem, ideo, facta professione, quodlibet de novitii substantia liberaliter oblatum potest recipi.

Resol. 3. Non esse absolute condemnandam praxim certarum religionum, quæ in die vestitionis novitii, aut novitiæ prandium quoddam commune recipiunt, tum quia non apparet verisimile hoc esse à Concilio condemnatum; tum etiam quia, secundum Toletum & multos alios, hoc venit nomine victus & vestitus.

CONCL. II. Tenetur novitius egrediens expensas pro victu & vestitu factas solvere, si pro solvendis cum monasterio convenit: alias non tenetur.

Prob. 1. Pars: quia licitum est ex Tridentino supra aliquid pro victu & vestitu novitii recipere: ergo & de illo convenire; & id, de quo conventum est, exigere.

Prob. 2. pars: quia monasterii redditus & eleemosynæ tam pro novitiis, quam pro professis sunt constitutæ, ut tenent doctores communissime. Si quis tamen intraret sine animo perseverandi, teneretur etiam secluso pacto, expensas solvere; quia certum est nec fundatores, nec benefactores pro illo redditus aut eleemosynas constituisse. Excipiendum est, nisi præstitisset conventui servitia quædam particularia expensis æquivalentia.

CONCL. III. Potest novitius quocumque probationis tempore

in favorem cujuslibet de bonis suis liberis testari. Est communis & certa.

Ratio est: quia novitius toto probationis tempore retinet dominium, possessionem & usum illorum, nec ulla lege impeditur, quominus possit causa mortis civilis de illis disponere: ergo, &c.

Dixi: *Quocumque probationis tempore*; quia cum dicit Trid. supra omnem renuntiationem & obligationem factam à novitio ante bimestre præcedens immediate ante professionem, esse nullam, loquitur de donatione inter vivos, non autem causa mortis, ut fit in Testamentis. Et certe si etiam Testamentum comprehenderet, nequidem posset novitius in illo bimestri testari sine licentia Episcopi, aut ejus vicarii; cum ad renuntiationem & obligationem præfatam requirat Episcopi aut ejus vicarii licentiam: contrarium tamen docet praxis quotidiana.

Dixi 2. *In favorem cujuslibet*; quamvis consultum sit illa pauperibus relinquere, vel in pias causas erogare juxta consilium evangelicum. Excipe tamen, nisi ipsimet parentes, aut propinqui essent pauperes.

Dixi 3. *De bonis liberis*: quia in quibusdam locis prohibentur novitii de bonis immobilibus disponere.

Petes 1. Cujus sint bona novitii morientis ab intestato?

Resp. Esse hæredum ipsius novitii, non autem monasterii ut volunt viginti duo auctores à Sanchez citati. Ratio est; quia monasterium novitium non facit suum: ergo nec bona ipsius fecit sua, cum nullo alio titulo possit bona illius acquirere, nisi quia novitium facit suum; quod tantum accidit in professione.

Petes 2. Cujus sint bona novitii, si profiteatur, nullo facto Testamento, aut renuntiatione?

Resp. De jure communi esse ipsius monasterii, si sit successionis capax. Patet ex ordinatione Justiniani L. Deo 42. §. hujus Cod. *De Episcopis & clericis*. & Novella 123. *De sanctissimis Episcopis* cap. 38. item novella 76. c. 1. & alibi. Quod confirmat D. Gregorius lib. 7. Epistolar. Epist. 7. ad januarium, ubi ait: *Quia ingredientibus monasterium, convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est.*

Dixi 1. *Jure communi*; quia reges Hispaniæ à monasteriis Belgicis (non tamen à collegiis societatis JESU) jus hæreditariæ successionis abstulerunt.

Dixi: *Si sit successionis capax*, quales non sunt conventus recollectorum, capucinatorum, &c.

Petes 3. An novitius possit sibi per Testamentum relinquere redditum annuum? loquor v. g. de Dominicanis, & aliis in communi possidentibus; quia cum nequidem conventus fratrum minorum redditus illos possint habere, à fortiori nec ullus ex illis.

Resp. Non posse, si intendat habere dominium illius, cum

per professionem religiosam fiat omnis domini incapax: poterit autem, si dominium relinquat monasterio, & tantum dependenter à superioris voluntate & dispositione velit illo uti, quia praxis communis etiam maxime timoratorum hoc satis declarat.

Petes 4. An novitius, qui obligavit suum hæredem ad alendas sex aut octo viduas, possit sibi earum electionem reservare?

Resp. Affirmative, si habeat licentiam sui superioris.

Ratio est, quia talis electio nec ullo jure prohibetur, nec ullo modo sapit dominium.

QUÆSTIO VII.

Quos effectus habeat probatio, & professio religiosa?

CONCL. I. Facit probatio religiosa, ut novitius gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudent professi.

Ratio est, tum quia in favorabilibus reputantur religiosi; tum quia justum est, ut sentiant commoda, sicut sentiunt incommoda, tum etiam, & maxime, quia sic declaravit Clemens VIII. ut referunt auctores plurimi fide digni. Hinc

Resol. 1. Novitium gaudere privilegio fori; ita ut ratione delicti, aut debiti non possit à judice sæculari conveniri: immo nec ab Episcopo, nisi se illi subjiciat, aut sit religionis non exemptæ. Si tamen judex ante religionis ingressum cœpisset de novitii delicto cognoscere, posset illum extrahere & punire.

Resol. 2. Etiam frui privilegio immunitatis clericalis, ita ut ipsum percutiens incurrat excommunicationem canonis: *Si quis suadente diabolo.*

Resol. 3. Exemptum esse à gabellis aut tributis solvendis; quia in hoc habetur tamquam persona ecclesiastica.

Resol. 4. Indulgentias novitio & professis esse communes. Item posse absolvi per prælatum, aut per alium legitime deputatum ab omnibus censuris, irregularitatibus, poenis & peccatis etiam reservatis, à quibus possunt professi. Quamvis autem eorum vota non possint à prælato irritari defectu potestatis dominativæ, possunt tamen dispensatione tolli, ratione potestatis jurisdictionalis. Vide dicta *De vota* in tract. in Decal. disp. 2. q. 3. concl. 2.

Petes 1. An, novitio egrediente, reviviscant censura, irregularitas, peccatum reservatum, à quibus fuit absolutus?

Resp. Nego: Quia sic ab illis fuit absolutus, sicut ab iisdem absolverentur professi; sed hi absolute & simpliciter absolventur, ita ut illa numquam reviviscerent; ergo et ille similiter.

Petes 2. Quibus confiteri possint novitii?

Resp. Posse & religiosis pro suo monasterio deputatis, & aliis à solo ordinario approbatis: sive hi interim sint regulares, sive sæculares, sive extra, sive intra monasterium. Ratio est; quia novi-

tii reputantur sæculares & regulares: sæculares de facto; cum necdum sint professi: regulares vero in favorabilibus, quia sustinent onera religionis. Posset tamen prælatus respectu novitiorum dare jurisdictionem soli directori ut sæpe fit, et tunc confessio aliis facta, si à solo prælato sint approbati, est invalida. At prohibere non potest, quominus valide & licite confiteantur approbatis ab ordinario: cum revera jus habeant tamquam sæculares.

CONCL. II. Probatio religiosa nullam imponit novitio obligationem perseverandi.

Ratio est, quia sicut fuit ipsi liberum Religionem ingredi, vel non ingredi: ita & in ea remanere, vel non remanere. Accedit quod nulla lege, nullo voto, nulla promissione ad id obligetur, unde cap. *Non solum.* 2. De regularibus in 6. permittitur novitiis libere egredi.

Dices 1. Quædam jura prohibent novitiis egressum.

Resp. Loqui de iis, qui perseverantiam voverant.

Dices 2. Non potest religio novitium pro libitu dimittere: ergo nec ipse pro libitu exire, cum justum sit, ut pactum utriusque obliget.

Resp. Contractum illum in favorem novitii claudicare, sicut & accidit in pluribus aliis.

Dices 3. Saltem est quædam inconstantia.

Resp. neg. assumpt. quia sicut ille, qui cœpit dicere rosarium quotidie per aliquod tempus non dicitur inconstans, si non perseveret, ita nec ille. Ut autem ratione vocationis non sit Deo ingratus, sufficit, quod in sæculo christiane vivat.

CONCL. III. Probatio religiosa subjicit novitium prælato, non tamquam professum superiori, sed tamquam clericum Episcopo.

Ratio 1. partis est; quod necdum novitius se tradiderit integre religioni, cum talis traditio fiat per votorum omissionem, & ideo, secluso scandalo, non peccat jejunia regulæ non servando, officium non recitando, silentium aut solitudinem non custodiendo, &c. quamvis propter illa et alias regulæ transgressiones subjiciatur superiorum correctioni & punitiōni, quam si velit remanere, tenetur sine violentia acceptare, id exigente probationis statu.

Dixi: *Secluso scandalo*; quod cum inde natum sit sequi, vel saltem pravum exemplum, debet novitius vel publice regulam servare, vel ad sæculum redire.

Ratio 2. partis est, quod prælatus habeat in ipsum jurisdictionem quasi episcopalem in utroque foro, id Papa concedente ad debitum monasterii & novitii regimen; & certe justum est, ut, cum tunc à jurisdictione Episcopali & sæculari eximatur, subjiciatur regulari. Unde superior ipsum cogere potest, ut in casibus occurrentibus veritatem aperiat, ut Dei & Ecclesiæ leges custodiat, idque etiam per censuram, si opus fuerit. Immo si graviter delinquat, licet, antequam expellatur, ipsum graviter punire, etiam longo car-

cere, si expulsio delictum non satis diluat; quia prælatus id potest in ipsum, quod potest in simili Episcopus in clericum.

Dices: novitius juxta cap. *Non solum*, de regularibus in 6. debet libere dimitti: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Quando delicta manerent impunita, & essent aliis novitiis occasio ruinæ spiritualis, N. alias, C.

CONCL. IV. Professio religiosa varios habet effectus, quos breviter recensebimus. Primus est, quod omnia omnino vota, sive reservata, sive non, sive personalia, sive realia, sive in sæculo, sive in novitiatu emissa, in ipsam professionem commutentur, si id intendat ille qui profitetur. Ratio est, tum quia professio religiosa est evidenter melior quibuslibet votis simplicibus: unde c. *Scriptura*, de voto dicitur: *Reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis observantiam commutare*, tum quia id indulgit Ecclesia ob voti sollempnis perfectionem.

Dixi: *Si id intendat ille, qui profitetur*; quia, quidquid dicant plurimi, probabilius est, sine illa intentione vota priora non esse commutata, cum professio religiosa nec ex se, nec ex jure hunc effectum habeat: jura quidem dicunt posse vota priora in eam commutari, sed nulla dicunt dari commutationem sine intentione commutandi: unde sicut ille, qui vovit unum *Pater & Ave*, & postea jejunium, non censetur primum in secundum commutare, nisi positive intendat, ita nec in nostro casu. Nec contrarius est D. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 12. ad 2. cum fundetur in præfata Decretali, quæ aperte requirit commutationem, quæ non stat sine intentione commutandi.

Dices: licet ille, qui vovit ingredi religionem strictiorem, peccet tum ingrediendo, tum profitendo laxiorem, absolvitur tamen à priori voto: ergo & ab aliis.

Resp. Hic esse speciale juris exceptionem ex cap. *Qui post, de Regularibus* in 6. & sic inde magis firmatur nostra conclusio.

Secundus effectus est dissolvere matrimonium ratum & sponsalia, etiam jurata. Trid. ses. 24. can. 6.

Tertius tollere irregularitatem defectu natalium in ordine ad suscipiendos ordines sacros & beneficium simplex, non tamen in ordine ad prælaturam, aut beneficium curatum, nec tollit irregularitatem ex bigamia aut homicidio, ut sine fundamento dixerunt aliqui.

Quartus est parere obligationem mutuam inter religionem & religiosum; ita ut debeat religio ipsi professo tamquam filio omnia munia matris, & professus debeat religioni tamquam matri omnia munia filii.

Quintus, expiare maculam quoad certos actus judiciales, ita ut possit professus testificari, licet antea ratione perjurii, aut furti fuisset inhabilis declaratus. Authentica *de monachis*. Collatione 1.

Sextus, extrahere filium à patria potestate in iis, quæ sunt filio odiosa, non in aliis.

Septimus, remittere omnem pœnam peccatis debitam, non quidem ex opere operato instar Sacramenti, sed ex opere operantis, eo quod sit opus præstantissimum, quia homo parentibus, amicis & caris, possessis & possidendis, suæ voluntati, immo & sibi ipsi renuntiat, ut semper & in omnibus alienæ subdatur voluntati. Unde D. Hieron. epist. 25. circa med. appellat professionem religiosam secundum baptisma. Debet tamen profitens esse in statu gratiæ, cum opus satisfactorium in mortali factum nullatenus prosit, immo nec, sublato peccato, reviviscat.

An autem eadem operetur professio, quoties ita renovatur, ut si non esset emissa, hic & nunc emitteretur? Affirmant aliqui, negant alii; & his suffragamur, eo quod renovatio illa non sit ita meritoria & satisfactoria, ac ipsa professio: illam tamen omnibus religiosis consulimus, cum ex ea ingentes fructus referantur, novus zelus concipiatur; amor sæculi minuatur, & desiderium æternorum accendatur. Alios alii referunt professionis effectus; sed cum vix sint ullius momenti, illos brevitate causa omittimus.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo debeat testificari professio nulla, & quando liceat contra illam reclamare?

Suppono 1. Professionem religiosam posse esse nullam ex variis capitibus. Primo, defectu potestatis in recipiente. Secundo, defectu consensus in profitente. Tertio, defectu ætatis sufficientis. Quarto, defectu probationis completæ. Quinto, quia novitius non erat sui juris. Sexto, quia erat alterius sexus.

Suppono 2. Professiones aliquas numquam posse ratificari, ut est professio mulieris in monasterio virorum, perpetuo amentis, sicut & illegitimi, vel continuo lue venerea aut morbo caduco laborantis in iis ordinibus, in quibus illam professionem dirimunt. Et ideo de illis professionibus hic non agimus.

Suppono 3. Professionem irritam non validari tractu temporis, etiam sublato impedimento dirimente: v. g. emisit quis professionem ante ætatem requisitam, aut ante completum probationis annum; non censetur validari ejus professio, quando ætatem necessariam attingit; aut novitiatus annum complevit. Ratio est; *quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habet regula 18. juris in 6. & ideo requiritur novus consensus, novaque professio. His suppositis

CONCL. I. Ex quocumque capite professio sit nulla, requiritur ad ratificationem cognitio nullitatis, novus consensus, saltem ex parte profitentis, non tamen novæ cæremoniæ, aut nova probatio, ubi fuit completa. Hæc conclusio quatuor habet partes.

Prob. 1. pars; quia quantumvis approbet & renovet suam professionem, ubi ignorat illam fuisse nullam, semper approbat & renovat talem, qualis est à parte rei: approbans autem rem invalidam. Validaret autem, si renovando, expressum haberet animum, ut si ex aliquo capite fuit nulla, etiam velit ratam habere; quia nullitatis cognitio tantum requiritur ad positionem consensus circa professionem validam, hunc autem consensus habet renovans cum præfata conditione.

Prob. 2. pars; quia nulla professio potest esse valida, nisi adsit consensus profitentis, cum sit quidam contractus; atqui ubi fuit impedimentum dirimens professionem, nullus fuit consensus: ergo ad ipsius ratificationem necessario requiritur novus.

Dixi: *Saltem ex parte profitentis*; quia excepto solo casu, quo professio fuit nulla defectu potestatis in recipiente, probabilius est non requiri novum consensus ex parte religionis, sed tantum ex parte profitentis; quia Papa tamquam supremus omnium religionum generalis pro bono pacis & religiosorum solatio professionem illam acceptat nomine Religionis. Patet ex cap. *Significatum, de Regularibus*. Ubi à Papa cogitur ille ad Religionem regredi, qui professionem nullam, defectu ætatis, postea, ætate completa, ratificaverat, nulla facta mentione ratificationis ex parte Religionis. Colligitur etiam ex Trid. sess. 25. cap. 19. *de Regularibus*, ubi præsumit nulliter professum vel ratione metus, aut violentiæ, vel defectu ætatis, aut probationis completæ, si per quinquenium sine reclamazione ut professum se gerat in habitu & in exercitiis Monasterii, ratificare suam professionem, non requirendo consensus Religionis.

Prob. 3. pars; quia cæremoniæ non sunt de essentia professionis, sed tantum ad majorem solemnitatem.

Prob. 4. pars; quia eo ipso, quo per annum integrum ut Religiosus mansit in religione, satisfecit intento Trid. quod est, ut ipse probet religionem, & ipse vicissim ab ea probetur: ergo non debet annum probationis reiterare. Ex dictis

Resol. 1. Quod ubi quis novit professionis suæ nullitatem, posse, non expectato novo superioris consensu, nec reiterato novitiatu, sine cæremoniis illam emittere; modo adsit testis; quia cum Ecclesia semper abhoruerit contractus clandestinos, litibus & controversiis obnoxios, non censetur professionem aliter factam acceptare, saltem in foro externo: quod addo; quia in foro conscientiæ videtur sufficere ratificatio soli Deo facta.

Resol. 2. Quod licet in casibus allatis suppleat Papa consensus ex parte religionis, numquam tamen supplere possit ex parte profitentis. Ratio est, quia non potest in re tanti momenti ac tantæ obligationis aliquem ligare, nisi actualiter volentem, & de facto in ipsam valide consentientem, & ideo numquam hic sufficit præsumptus profitentis consensus, aut sperata ratificatio: sed debet in omni casu nullitatis professionis, illam per se verbo, aut facto ratificare.

Resol. 3. Quando professio nulla fuit defectu potestatis in recipiente, requiri ab ipsius validationem ultra consensus profitentis, etiam consensus religionis, quia nec in jure, nec in Trid. reperimus sufficiens fundamentum, quod tunc Papa suppleat, sicut aliis casibus.

CONCL. II. Quando quis credit probabilius professionem suam esse nullam, potest intra quinquenium à die professionis inchoandum, contra illam reclamare, non post, sicut nec ante, habitu religionis dimisso. Ita statuit Tridentinum sess. 25. cap. 19. *de Regularibus*.

Dixi 1. *Quando quis credit probabilius*: nam peccat graviter reclamando. 1. Si sciat professionem suam esse validam. 2. Si invalidam coram Deo ratificaverit. 3. Si tantum sit dubius de valore suæ professionis, sive negative, quod accidit, quando non habet rationes nec pro, nec contra, sive positive, quando rationes sunt utrimque æquales.

Ratio hujus tertii casus est (nam duo primi per se patent) quod in dubio circa materiam justitiæ melior sit conditio possidentis; religio autem dubitantem possideat titulo justitiæ à die presumptæ professionis.

Dixi 2. *Potest intra quinquenium*, sicque sufficit si intra illud tempus judicium reclamationis fuerit inchoatum, licet postea continuetur.

Dixi 3. *A die professionis inchoandum*; quia non adhæremus sententiæ illorum, qui volunt esse computandum à die sublationis impedimenti, ignorantæ, aut impotentæ, quandoquidem in terminis dicat Concilium: *Nisi intra quinquenium tantum à die professionis non audiatur*. Et certe si voluisset, ut inchoaretur quinquenium illud à die, quo quis novit professionis suæ nullitatem, vel fuit liberatus ab eo, quod reclamationem impediatur, illum expressisset, cum esset ipsi æque facile hoc modo, quam alio se declarare, imo debuisset: quandoquidem ejus verba omnino aliud significent.

Dixi 4. *Non potest*; quia ut obviaret Ecclesia litibus & controversiis numquam finiendis, determinavit illud tempus pro bono & tranquillitate Religionis, in cujus favorem hoc Decretum emanavit: & certe videtur ordinarie tempus illud sufficere, ut merito præsumatur vel professionem fuisse validam, vel saltem fuisse ratificatam. Si quis tamen posset aliqualiter probare se integro quinquenio, vel ignorare professionis suæ nullitatem, vel toto illo tempore fuisse impeditum, aut impotentem ad reclamandum v. g. quia erat infirmus, aut incarceratus, posset, secundum Doctores communiter, in integrum restitui, sed à iudice legitimo, qui est Papa, vel Congregatio Cardinalium ad hoc deputatorum, obtinere restitutionem quinquenii, ut coram superiore & Episcopo aut ejus vicario posset reclamare: quia videtur nimis durum, quod quis nullatenus professus teneatur per totam vitam in Religione manere, nec concedatur ei audien-

tia, ubi sine sua culpa tempore quinquenii non reclamavit.

Dixi tandem: *Nec ante, habitu dimisso, quia si habitum sponte dimisserit* (nempe ante reclamationem, aut pendente litte) *nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, seu ad monasterium redire cogatur; & tamquam apostata puniatur*, inquit Trid. supra. Excipe tamen 1. nisi habitus dimissio sit ei necessaria ad reclamationem peragendam, à qua injuste à superiore impediretur. 2. Nisi habitum dimissum reasumpserit, ac monasterium sponte petierit; quia satis insinuat Concilium se loqui de eo, qui, habitu dimisso, extra monasterium vagatur, & ideo addit, *ad monasterium redire cogatur*. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui ante reclamationem, aut post, lite necdum decissa, è monasterio aufugit, peccare graviter, licet certo sciat professionem suam esse nullam, si nullitatem probare possit. Ratio est; quia contravenit Tridentino id ob gravissimas causas statuenti: & certe justum est, ut qui in foro Ecclesiæ Religiosus habetur, in foro Ecclesiæ facultatem recedendi obtinere teneatur.

Resol. 2. Frustraneam esse reclamationem illius, cujus professio nulla est defectu solius consensus, cum hoc in foro externo non possit probari. Et ideo tenetur ille, qui sic professus est, professionem ratificare in foro Ecclesiæ: quod addo, quia in foro constientiæ probabilius est, etiam post quinquenium, posse aufugere & uxorem, si non sit ordinatus, ducere, quandoquidem coram Deo professio sit nulla, & aliunde sit durum homini nolenti & dissentienti tale onus imponere. Tenebitur tamen omne damnum ex consensu ficto Religionis proveniens resarcire, quod si non possit aliter, nisi ratificando professionem, reparare, ad id obligabitur, ut dicitur de matrimonio & aliis contractibus fidei inchoatis.

Resol. 3. Eum, qui novit professionis suæ nullitatem, non posse in religione remanere, nisi vel reclamet, vel professionem ratificet. Ratio est; quia nullum habet jus ad alimenta. Et aliunde exponit se manifesto periculo invalide suffragandi, illicite ordines sacros suscipiendi ratione ficti tituli paupertatis, imo si illos suscipiat, est ipso facto suspensus, & si in illis ministret, fit irregularis.

Resol. 4. Quod licet non possit religiosus post quinquennium in foro externo reclamare, aut aufugere, possit tamen Religio ipsum professionem ratificare denegantem, etiam post quinquennium, expellere; quia decretum Concilii de non reclamando post quinquennium in favorem religionis concessum est, non in præjudicium.

Q U Æ S T I O I X.

Ad quid teneatur religiosus ratione votorum solemnium?

Cum hæc quæstio varia admodum & disparata contineat, illam in varios articulos secandam judicavimus.

A R T I C U L U S I.

Quid obedientia religiosa, quid & qualiter possit superior præcipere, quibus & in quibus teneatur inferior obedire?

Suppono obedientiam inter vota essentialia primas tenere; nam si paupertas offerat Deo divitias, & castitas corpus, offert obedientia ipsamet voluntatem: eo autem nobilius est votum, quo plus Deo offertur: hinc Joann. XXII. Extrav. *Quorundam, de verborum significationibus*, circa finem: *magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maximum.*

CONCL. I. Obedientia religiosa est vinculum spirituale obligans religiosum ad obediendum prælato competenti in omnibus, quæ cadere possunt sub virtute obedientiæ.

Dicitur 1. *Vinculum spirituale*, ortum scilicet tum ex promissione Deo facta, tum ex sui traditione religioni. Et ideo tenetur inferior obedire superiori ex triplici capite. Primo ratione voti. Secundo ratione traditionis. Tertio ratione jurisdictionis ecclesiasticæ, quem habet prælatus in ipsum, sicut habet Episcopus in diocesanum.

Dicitur 2. *Obligans religiosum*, ad distinctionem voti simplicis obedientiæ, quod obligat personam liberam, v. g. devotariam ad obediendum suo directori in materiis discretis & prudentibus. Hanc simplicem obedientiam non deberet à muliere recipere frater minor, cum circa hoc voluntatem suam manifestaverit D. Franciscus in prima sua regula c. 12. licet non obliget.

Dicitur 3. *Prælato competenti*, ad excludendam quamlibet obedientiam alteri promissam.

Dicitur 4. *In omnibus quæ cadere possunt, &c.* per quod ostenditur objectum obedientiæ, quæ cum sit duplex, etiam duplex habet objectum, est enim obedientia alia perfectionis, alia necessitatis. Prima est illa, qua religiosus obedit in omnibus, quæ non sunt contra Deum, & hæc habet pro objecto omne, quod non est peccatum. Secunda, quam sufficientem vocat D. Thomas Quodlib. 1. art. 15. est illa, quæ terminis regulæ & votorum coarctatur: hujus objectum sunt omnia explicite, vel implicite in regula contenta, vel quæ ad ejus observantiam sunt necessaria, utilia, aut convenientia. Hoc objectum est tantum remotum: nam proximum est solum superioris præceptum, sive obliget ad culpam, sive tantum ad pœnam: unde executio illius, quod superior tantum consulit, aut desiderat, non est in rigore obedientia, licet sit magna perfectio.

Porro quatuor sunt obedientiæ perfectæ conditiones, cæcitas, promptitudo, humilitas & fortitudo. *Cæcitas*, ut non examinentur rationes, motiva, aut intentio præcipientis, quamdiu non constat rem præceptam esse illicitam: unde D. Bernard. vel potius

Guillelmus Abbas epist. ad FF. de monte Dei cap. 5. novæ edit. *Perfecta obedientia est, maxime incipiente, indiscreta, hoc est non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter & humiliter fiat, quod à majore præcipitur. Promptitudo, ut vitetur omnis mora, torpor, pigritia, saltem in iis, quæ non sunt nobis commoda, aut honorifica. Hinc Doctor mellifluus ser. de virt. obedient. circa med. Fidelis obediens moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem. Humilitas, ut refrænetur vana gloria aut complacentia. Hanc humilitatem commendat Christus, Lucæ 27. ubi ait: cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus. Fortitudo, ut genere vincatur omnis difficultas. Hoc insinuat S. Benedictus in sua regula cap. 5. Obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, sed viriliter & strenue fiat.*

CONCL. II. Id omne solum potest superior præcipere, quod vel ad regulam, vel ad regularem observantiam pertinet. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 104. art. 5.

Ratio est; quia in tantum potest superior præcipere, in quantum prudenter voluit inferior se obligare, sed in omnibus religionibus tantum intendit subditus vovens se obligare secundum regulam & regularem observantiam: ergo: unde D. Bernardus opusc. De præcepto & dispens. cap. 5. alias c. 8. *Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me prælatus prohibeat horum, quæ promissi, nec plus exigat, quam promissi.* Hinc

Resol. 1. Non posse præcipi à superiore res vanas, inutiles, & quæ ad institutum nihil conferunt. Potest tamen præcipere ambulationem, honestam recreationem, &c. si hoc judicaret expediens, ut subditus vegetior resurgeret ad observantiam regularem.

Resol. 2. Nec posse quidquam injungere contra regulam, & ideo non tenetur, immo non potest frater minor obedire, si prælatus sine justa causa præcipiat equitationem, pecuniarum receptionem, &c.

Resol. 3. Graviter peccata religiosum, obedientem prælato præcipienti conversationem, consortium, aut familiaritatem cum mulieribus, etiam titulo charitatis, si inde immineat periculum proximum subdito, aut prælato, castitatis labefactandæ.

Resol. 4. Licere prælatis certas orationes, jejunia, flagellationes, &c. subditis præcipere, ubi exigit necessitas publica: si enim id possint Episcopi, quidni & possent illi, qui jurisdictione quasi episcopali fruuntur? Non debent tamen illa imponere alicui particulari, seclusa circumstantia speciali.

Resol. 5. Quod licet prælatus non possit ad exercendam subditi virtutem ipsi aliquam austeritatem extraordinariam injungere, possit tamen, tum ad puniendum crimen commissum, tum ad recidi-

yam præcavendam: quia hoc expedit ad regulæ observantiam.

Resol. 6. Posse capitulum generale aut provinciale, sicut & prælatum, cui incumbit pro toto ordine, vel provincia constitutiones condere, certas abstinentias vel austeritates imponere, licet in regula, nec explicite, nec implicite contineantur, si expedit pro majori votorum, regulæ, aut statutorum observatione, & ideo prohibetur in aliquibus ordinibus usus tabaci, vini adusti, chocolati, &c. eo quod consumptiones illæ, saltem immoderatæ, graviter noceant paupertati.

Resol. 7. Posse cogi subditum à superiore, si sit dignus, ut acceptet officium prælati, vel aliud beneficium ordinis, non tamen beneficium curatum aut sæculare, nisi certe id exigeret animarum salus ob aliorum defectum. Ratio est; quia primum conducit ad regularem observantiam, non secundum, quod potius eximit ipsum à regulari observantia, & ideo nec tenetur acceptare Episcopatum, aut cardinalatum, nisi obligaretur à Summo Pontifice, qui ratione jurisdictionis, quam habet in totam Ecclesiam, potest, ubi id exigit Ecclesiæ regimen, quemlibet christianorum ad id cogere.

Dixi: *Si sit dignus*, quia si certo sciat se esse indignum, peccat acceptando: si autem sit dubius tenetur parere. Quamvis autem sit quis dignus, semper humilitatis est seclusa pertinacia, aut præcepto, oblatas dignitates aut prælaturas declinare.

Resol. 8. Professum in religione relaxata teneri obedire prælatis illam reformantibus in votis essentialibus, aut in iis, quæ ad illa immediate conducunt. In aliis autem observantiis, etiam tenetur, si mitigatio introducta fuit auctoritate propria, secus si auctoritate Papali. Ratio primæ partis est, quod nunquam Ecclesia approbet aut toleret immo detestetur relaxationem in votis essentialibus, ut patet ex cap. *Cum ad monasterium* de statu monach. & ex Trid. sess. 25. *De regularibus*, & ideo si quæ fuit introducta, est abusus, qui nulli potest prodesse: unde si præcipiatur ut nullus introducat mulieres in monasterium, nullus pecunias retineat sine licentia, &c. tenetur quilibet obedire, licet tempore professionis contrarium vigeret.

Ratio secundæ partis est, quod qui vovet aliquam regulam, debeat esse in animo paratus obedire prælatis aliquid ad ejus conservationem præcipientibus, & ideo si judicet capitulum non posse religionem conservari sine antiquis observantiis, illas præcipienti obediendum est. Interim quamdiu non sit reformatio, non peccat religiosus illas non observando, si per consuetudinem legitimam sint abrogatæ.

Ratio tertiæ partis est, quod regula à Summo Pontifice mitigata, sit quasi alia regula, ejusque professores respiciat independentem à primæva, & ideo nullus potest præcipere monialibus urbanis, ut sequantur adamussim regulam S. Claræ, sicut nec pluribus monasteriis Benedictinorum, ut punctualiter adhæreant regulæ

S. Benedicti, quia regulam suam voverunt cum modificationibus à S. Sede approbatis.

Resol. 9. Non posse superiorem præcipere aliquid cum periculo vitæ, aut honoris ipsius subditi, nisi bonum commune aut religio id exigat, quia talem obedientiam nec regula, nec regularis observantia postulat.

Resol. 10. Posse injungere subdito, ut fratribus peste infectis assistat in corporalibus, & spiritualibus; quia id convenit bono religionis. Debet tamen eligere robustiores ac minus utiles, & quidem pro corporalibus primario laicos, bono communi id exigente.

Dixi: *Fratribus non exteris*, nisi religio aut conventus esset ad id obligatus. Immo posset superior mendicantium id præcipere respectu exterorum pro spiritualibus, deficiente parochia, aut alio ad id conducto, quia mendicantes sunt Episcoporum coadjutores.

Resol. denique posse mitti ad loca non sana, si id postulet conventuum conservatio, aut regimen, immo mitti possunt extra provinciam ad terras remotissimas, etiam cum longa & difficili navigatione, si ibi sint ordinis monasteria, quia omne quod spectat ad bonum religionis, non est supra regulam.

CONCL. III. Potest prælatus rem gravem sub gravi peccato præcipere, levem sub levi, & licet possit quandoque gravem sub levi, nunquam tamen levem sub gravi. Hæc omnia patent ex Tract. de Legibus, ubi etiam colliges quandonam superioris præceptum obliget sub mortali. Ceterum nisi utatur illis verbis: *In virtute sanctæ obedientiæ, Spiritus Sancti*, aut *sub præcepto formali*, non videtur graviter obligare, nisi aliunde constet.

CONCL. IV. Tenetur inferior ut religiosus obedire Pontifici tamquam religionum capiti, ad quod specialiter obligatur frater minor ob speciale præceptum regulæ. Item obedire debet generali provinciali, prælato locali, sicut & capitulo generali & provinciali, quia illis omnibus competit jure ordinario facultas præcipiendi. Porro illorum præcepta afficiunt subditos, licet sint extra conventum, aut provinciam, nisi aliud sit determinatum, quia non afficiunt territoria, sed personas, in quo differunt à præceptis Episcopalis.

CONCL. V. Tenetur subditus obedire in omnibus, in quibus potest prælatus præcipere. Ratio est, quia illa sunt reciproca, & jus præcipiendi in uno supponit obligationem parendi in altero. Quænam autem possit superior præcipere, diximus conclusionem secunda.

Petes, quotupliciter peccet inferior transgrediens præceptum superioris? Certum est peccare duplici peccato, quando id, quod præcipit superior, est aliunde præceptum lege Divina, naturali, aut humana; quia ultra peccatum oppositum virtuti quam violat, etiam peccat contra specialem obedientiam superiori debitam: unde religiosus, cui prohibuit superior carnis comestionem in urbe; peccat contra obedientiam, & temperantiam, si carnes comedat die veneris. Aliud esset, si quod lege Divina aut humana præceptum est,

tantum per regulam præciperetur; quia regula tunc censetur præcipere sub eodem motivo, sub quo præcepit illud Deus aut Ecclesia; & ideo sunt duæ leges supra eandem materiam cadentes, que peccata non multiplicant, ut suo loco dicitur, & patet in usura per legem Divinam & humanam prohibita. Unde frater minor non jejuns in quadragessima Resurrectionis, tantum peccat unico peccato, licet Ecclesia & regula illud jejunium præcipiant; quia utraque procedit ex motivo temperantiæ: non autem obedientiæ, ut dum præcipit superior. De hoc non dubitamus.

Sed difficultas est, an quando res, quam præcipit aut prohibet superior, non est aliunde præcepta aut prohibita, illam violare sit duplex peccatum, unum inobedientiæ ratione subjectionis, alterum sacrilegii ratione voti; sicut servus, qui vovit obedire suo domino, peccat contra obedientiam vi servitutis, & contra religionem vi voti, si domini sui præceptum transgrediatur?

Resp. Probabilius affirmative; quia in professione duplex intervenit obligatio, una per quam vovens traditur & subicitur homini tamquam legitimo superiori, altera per quam obligat se Deo ad obediendum huic homini tamquam ejus vicario; ita ut votum obediendi superaddat novam obligationem illi, quam habet quilibet ad obediendum legitimo superiori, ut patet in servo supra, & in filiofamilias, qui reus esset duplicis peccati, si postquam vovit obedire patri, ejus præceptum transgrediretur.

Dices, si quis Deo promitteret obedire homini indifferenti, tantum Deo obligaretur; hoc fit in professione: ergo, &c.

R. dist. maj. Si quis promitteret Deo tantum, C.; si Deo & homini, N. profitens autem per promissionem acceptatam promittit prælato, quod obedit ipsi, & per suum votum promittit Deo, quod obedit prælato. Prima promissio inducit vinculum obedientiæ, & secunda vinculum religionis.

ARTICULUS I I.

Quid castitas religiosa, quos effectus habeat & in quo differat à voto castitatis simplicis?

CONCL. I. Castitas est votum solemne interdicens religioso omnem delectationem veneream licitam & illicitam.

Dicitur 1. *Votum solemne*, per quod convenit cum obedientia & paupertate religiosa; & disconvenit cum voto castitatis simplicis.

Dicitur 2. *Interdicens religioso*, & per hoc differt à castitate initiatorum sacris ordinibus, licet sustineri possit etiam differre per primam particulam, probando eorum castitatem non oriri ex voto, sed ex præcepto. Sed hac de re suo loco.

Dicitur 3. *Omnem delectationem veneream*, id est, cogitationem, desiderium, tactum, aspectum, colloquium, amplexum, ac-

tionem, coitum, & generaliter omne illud, quod virtuti castitatis adversatur; ita ut, quidquid est sæculari extra matrimonium peccatum mortale in hac materia sit duplex mortale religioso; quidquid veniale isti, huic veniale duplex, eo quod superaddatur malitia sacrilegii.

Dicitur tandem: *Licitam vel illicitam*: quia etiam interdicat copulam maritalem, cum interdicat & irritet matrimonium. Tenetur insuper frater minor ex regula cap. 11. mulierum consortia suspecta vitare; ita ut etsi nec modicam impudicitiae labem contineant, si tamen nata sint generare solam impudicitiae suspicionem, v. g. quia fiunt tempore nocturno, in loco tenebroso aut sequestrato, cum aspectibus fixis, risibus dissolutis, colloquiis scurrilibus, peccet graviter.

CONCL. II. Tres præcipui sunt effectus castitatis religiosæ.

Primus est irritare sponsalia ante & post ipsam contracta: antequidem, quia fiunt sub hac tacita conditione: *Nisi religionem amplecti voluero*; post vero, quia cum sint de re illicita, immo impossibili, saltem seclusa dispensatione Papali, nullatenus obligant.

Secundus est annullare matrimonium subsequens, immo & antecedens necdum consummatum, & in hoc differt à castitate ordinibus sacris annexa, quæ semper irritat matrimonium subsequens, nunquam tamen præcedens.

Tertius est interdicere omnem actum venereum proprium.

Dico: *Proprium*; quia si religiosus induceret sæcularem ad fornicandum v. g. ultra peccatum scandali, non committeret sacrilegium; nisi in alterius actu sibi complaceret, aut aliquo modo interveniret; quia non violaret castitatem propriam, quam in se ratione voti tenetur observare.

CONCL. III. Licet in hoc conveniat votum solemne castitatis cum simplici, quod utrumque prohibeat quamlibet actionem veneream sive externam, sive internam

Differunt tamen 1. Quod votum simplex nec matrimonium subsequens, nec antecedens irritet, sicut votum solemne.

2. Quod hoc irritet sponsalia præcedentia, non illud; & ideo castitati simplici ligatus tenetur, si possit, & sponsa velit, dispensationem petere.

3. Quod voto solemni adstrictus contrahens matrimonium, nec petere, nec reddere possit debitum; quia invalide contraxit, ligatus autem voto simplici, etsi petere non possit, potest & tenetur reddere; quia tantum contraxit illicite, & quidem ex parte sua: Si tamen conjux adulteretur, non poterit deinceps reddere; quia in tantum poterat, in quantum tenebatur; ab hoc autem vinculo liberatur per compartis adulterium. Similiter nec poterit, mortua conjugæ, transvolare ad secundas nuptias: nam si illas contrahat animo matrimonium consummandi, votum transgreditur; si animo ante consummationem claustrum ingrediendi, facit injuriam comparti. Excusari tamen posset, si id faceret ex causa rationabili, v. g. ut vade-

ret manus parentum ingressum religionis impredientium. Sed quid si puella post votum castitatis nuptias contraxit, teneturne ante consummationem religionem ingredi? Affirmant aliqui, eo quod non subsit aliud medium ad observantiam voti. Sed probabilius crediderim contrarium; quia susceptio status religiosi, quem quis non vovit, est onus gravissimum, & medium extraordinarium respectu castitatis servandæ; & ideo sufficit ipsi de peccato poenitere, & in conjugio, eo modo quo potest, debitum non petendo, sed tantum reddendo, castitatem observare.

Petes; an gravibus concupiscentiæ fluctibus jactatus & vario lapsu contaminatus valide voveat castitatem?

Negaverunt aliqui, quia votum castitatis de se bonum non est de meliori bono respectu illius, cum per hoc exponatur innumeris sacrilegiis: unde illi applicari potest illud Apostoli 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri*, etsi tamen non expediat illo casu vovere.

Resp. votum esse validum; alias in similibus circumstantiis nequidem valeret votum castitatis solemne, cum sit par ratio: hoc autem nemo admiserit: unde qui taliter affectus voveat castitatem, censetur velle fortiter adlaborare ad reprimentas carnis tentationes per sensuum cohibitionem, carnis macerationem, occasionum vitiationem, assiduam orationem, &c. qui enim vult finem, debet velle media; & qui vult finem arduum, debet & ardua media velle; per media autem illa poterit pravam consuetudinem extirpare. Ceterum si adhuc fragilitatis suæ experientiam habeat, petat dispensationem, sed caveat ante obtentam nubere.

ARTICULUS III.

De paupertate religiosa.

Duplex est paupertas, necessaria una, voluntaria altera. Prima patiuntur illi, qui vel adversante fortuna, vel indigente familia, omnibus destituti, alieno sustentari coguntur. Secundam amplectuntur illi; qui voluntarie possessis & possidendis, vel ex toto, vel ex parte renuntiantes vitam agunt parcam & pauperem. Hæc subdividitur in philosophicam seu moralem, quæ ex motivo humano contemnit temporalia, ut fecit Crates cum multis aliis; & in Apostolicam, quæ omnia generose abdicat propter Deum & Christi sequelam: de hac sola hic agimus, sed ante

Suppono 1. Tantam rerum indigentiam non esse de ratione paupertatis religiosæ; quia Actorum 4. describitur credentium paupertas evangelica, consistens in hoc, quod omnia essent omnibus communia, & tamen subditur: *neque enim quisquam egens erat inter illos*; sufficit ergo quod pauper evangelicus sit animo dispositus ad rerum inopiam, & interim sciat cum Apostolo *abundare & penuriam pati*, servando in abundantia temperantiam, & in penuria patientiam.

Suppono 2. Quod dominium bonorum, sive mobilium, sive immobilium, in communi non repugnet religiosæ paupertati, quandoquidem Tridentinum sess. 25. c. 3. *De regularibus*, id concedat omnibus religiosis, exceptis minoribus de observantia, & capucinis; quia tamen privilegium est, possunt illi renunciare religiones, ut fecerunt domus professæ societatis; & carmelitæ discalceati quoad immobilia. His suppositis hunc articulum propter materiæ copiam in varios §§. dividemus.

§. I. *Quid religiosa paupertas, quos effectus habeat & præsertim in franciscanis?*

CONCL. I. Religiosa paupertas est votum solemne, quo religiosus abdicat à se dominium, possessionem, proprietatem & usum civile bonorum temporalium, sive mobilium, sive immobilium, actualium, sive possibilium.

Dicitur *Votum solemne*, per quod differt à paupertate philosophica, seu morali; de qua supra.

Dicitur 2. *Quo religiosus abdicat à se*, non autem à monasterio, si possideat in communi.

Dicitur 3. *Dominium*, quod consistit in eo, quod quis possit de re sua pro libitu disponere, illamque impetitam defendere, aut ablatam juridice repetere.

Dicitur 4. *Possessionem*, quæ supra dominium importat actuali rei habitationem.

Dicitur 5. *Proprietatem*, quæ hic infert rei dominium & professionem, aut saltem usum civilem independentem à superiore, & ideo

Dicitur 6. *Et usum civilem*, quia religiosus nequidem potest uti re aliqua independentem ab alio, sed dependentem à superioris voluntate.

Dicitur 7. *Bonorum temporalium*, quia potest habere dominium, possessionem, &c. bonorum spiritualium, ut sunt reliquiæ sanctorum, Agnus DEI, &c. de quibus potest sine licentia superioris disponere, non tamen de imaginibus, medaliis, crucibus, rosariis, &c. quia hæc pretio comparantur, non illa. Item potest, non petito prælati consensu, pro amico orare, prædicare, confessiones audire, missas celebrare, licet amicus pro illis stipendium accipiat; quia sunt spiritualia, quorum habet religiosus dominium, non potest tamen pro missa acceptare stipendium sine licentia, nec acceptum dare amico, quia cum sit temporale, acquiritur monasterio: vel saltem non potest de illo disponere sine licentia superioris. Ceterum sicut potest prælatus à subditis missarum applicationem exigere ita & prohibere, ne se aliis obligent.

Dicitur 8. *Sive mobilium, sive immobilium*, & ideo non tantum abdicat religiosus agros, villas, domos, & alia hujusmodi,

sed etiam res viliores, puta cultrum, vestem, librum, baculum, &c. ita ut nequidem unius aciculæ possit habere dominium, immo in rigore nec usum sine licentia. Sed quid de manuscriptis? volunt aliqui liberum esse religioso illa donare, comburere, aut de illis aliter disponere sine licentia; quia ajunt, sunt ideæ mentis, adeoque quid spirituale: præterea sunt effectus scientiæ, sed scientia non est objectum paupertatis: ergo nec illa, cum accessorium sequatur principale. Dico tamen esse pretio æstimabilia, immo sæpe cariora libris impressis, quorum tamen religiosus non potest habere dominium: unde illa, sicut picturæ, & quælibet artefacta acquiritur monasterio, vel Papæ apud fratres minores, si religiosus illa ad usum suum fecerit.

Quod addo; quia si, accepta ab amico materia, pro illo labore pingendo, cælendo, transcribendo sine licentia, non videtur condemnandus si sit chorista, aut laicus, modo id faciat extra horas servitii. Ratio est, quia choristæ non sunt addicti religioni ut artifices; sed ut monachi, laici autem sunt quidem addicti ut artifices, sed non pro omnibus horis; & ideo si illa facerent contra præceptum superioris, peccarent quidem contra obedientiam, sed non contra paupertatem.

Dixi denique: *Sive actualium, sive possibilium*: hæc est enim essentia hujus virtutis, non tantum juri in possessa, sed etiam in possidenda totaliter renuntiare, seclusa omni spe & affectu; ita ut & habitationem & desiderium habendi penitus excludat.

CONCL. II. Paupertas religiosa prohibet religioso receptionem, detentionem, donationem, usum, venditionem, emptionem & quemlibet contratum cujuslibet rei temporalis pretio æstimabilis sine consensu prælati.

Ratio est, quia illa omnia sonant proprietatem, quæ exulare debent à statu religioso, ut patet ex cap. *Cum ad monasterium*, De statu monachorum: unde Trid. supra cap. 2. docet esse privandum per biennium voce activa & passiva religiosum, qui sine prælati licentia de rebus mobilibus disposuerit, aut usum fuerit. Hinc

Resol. 1. Religiosum ita debere se gerere circa ea, quorum usus sibi à superiore conceditur, ut sit semper paratus illis spoliari ad nutum prælati. Et ideo peccant, juxta materiæ proportionem, qui libros, cultros, aut alia abscondunt ea intentione, ne à superiore auferantur.

Resol. 2. Etiam peccare illos, qui res sibi concessas, aut monasterio communes dant mutuo aut commodato sine licentia, saltem præsumpta, præsertim sæcularibus, quia illa sunt actus usufructuarii; non autem simplicis usuarii, qualis est religionis.

Resol. 3. Reos esse læsæ paupertatis aliquid dantes, aut recipientes sine licentia, licet illud cedat in bonum communitatis, cum agant nomine proprio: facilius tamen præsumere possunt licentiam aliquid recipientes pro communitate, quam pro seipsis. Item si ah-

quid recipiant pro se, quod alias sibi foret à communitate tribuendum. Similiter si dent aliquid vilis pretii benefactoribus potius, quam personis extraneis; quia rationabilius præsuntur in illis voluntas superioris.

Resol. 4. Violare similiter votum paupertatis accipientem sine consensu praelati alicujus rei usum, licet dominium maneat apud dantem; quia re illa utitur tanquam proprietarius; usus autem proprietarius aequè ac dominium prohibetur religioso.

Resol. 5. Etiam culpabilem esse recipientem sine legitima facultate schedulam campsoriam, ut illa utatur pro suis necessitatibus; cum illa pecuniæ æquivalet.

Resol. 6. Similiter peccare illos, qui sub prætextu, quod omnia in religione sunt communia, res communitati destinatas, aut alicui particulari concessas sibi appropriant, cum per hoc de illis disponant tanquam si essent illarum domini, aut proprietarii.

Resol. 7. Reos quoque esse illos, qui res monasterio aut sibi concessas corrumpunt, prodigaliter consumunt, negligenter tractant, v. g. libros, chartam, vestes, &c. Ratio est quia illarum rerum tantum habeant usum facti, & non nisi juxta mentem praelati (id est, modo paupertati congruo) possunt de illo disponere.

CONCL. III. Alios præterea effectus habet paupertas religiosa in franciscanis, ipsos siquidem tam in communi, quam in particulari reddit omnino incapaces domini & juris politici circa quamlibet rem, sive mobilem, sive immobilem. Patet ex c. 6. regulæ & declarationibus Summorum Pontificum. Item ipsi & eorum conventus prohibentur institui hæredes. Patet ex Trid. sess. 25. cap. 3. ubi declaratur nec minoribus de observantia, nec capucinis jus successionis competere. Insuper inhibet ipsis regula usum æquorum, calceamentorum, pecuniarum, immo & reddituum, etiam pro Ecclesia aut sacristia, ut declaravit Clemens V. & Clemens VII. Potest tamen benefactor aliquis alteri redditum assignare, ut per modum elemosynæ tribuat inde franciscanis vinum pro missis, oleum pro V. Sacramento, &c. ut diximus antea. Præcipit etiam ut vilia ferant vestimenta, & unicam habeant vestem, aut ad summum cum tunica: ut in aliis usum servent moderatum juxta prudentis judicium praelati, attendente personarum, locorum, temporum & rerum qualitate.

Denique tanta est minorum paupertas (quam eorum fundator & Summi Pontifices vocarunt *Altissimam*) ut non possint quidquam vendere, emere, mutuare, locare, &c. sive suo, sive conventus nomine. Ita omnes regulæ nostræ expositores, qui circa hoc & præfata videri possunt.

Sed petet aliquis: Cujus ergo erit dominium rerum, quibus utuntur franciscani?

Resol. Dominium Ecclesiarum, cæmeteriorum & oratoriorum Ecclesiis annexorum esse penes Sedem Apostolicam, sicut & alia-

rum, rerum quarum dantes non reservarent sibi dominium. Excipit quidem Nicolaus III. elemosynas pecuniarias & res ad illas reducibiles, quarum dominium voluit ut remaneret penes dantes, donec alienarentur; attamen Martinus V. etiam illarum dominium assumpsit, ubi donantes illud à se ablegarent.

§. II. *Quenam conditiones requirantur, ut quis possit uti rebus aliquibus intra terminos religiosæ paupertatis?*

Quatuor assignat conditiones reverendus pater Marchantius in suo tribunali. Tom. 3. p. 2. tract. 2. tit. 1. q. 4. Prima est, uti rebus tanquam non suis. Secunda, cum rationabili superioris licentia. Tertia, juxta modos in qualibet religione expressos. Quarta, servata honestate & modestia. Hanc quadruplicem conditionem quadruplici conclusione explicabimus.

CONCL. I. Debet religiosus uti rebus tanquam non suis.

Prob. 1. Ex Scriptura Act. 4. *Nec quisquam eorum quæ possidebat, id est, quæ possederat antequam ad pedes Apostolorum fuissent delata, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Prof. 2. Ex Trid. supra cap. 2. ubi prohibet ne religiosi aliqua quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possideant, vel teneant.

Prob. 3. Ratione; quia, ut inquit Marchantius ibid. Resp. 2. in hoc consistit essentia paupertatis, ut quis alieno vivat, alieno utatur, & si quid usibus suis sit concessum, non suum, sed alienum reputet. Hinc

Resol. 1. Ita se debere gerere religiosum circa peculium sibi vel à parentibus, vel à monasterio debite concessum, sicut se gerit respectu aliorum conventus reddituum ita ut sicut hos nec tractat, nec respicit, nec dat, nec respicit tanquam suos, ita nec illud.

Resol. 2. Peccare omnes illos, juxta materiæ proportionem, qui in sua professione reservant sibi pecunias, redditum, censum, aut quodvis aliud mobile, vel immobile sub quocumque prætextu; quia cum per professionem debeant vivere vitam sine proprio, debent omnia sua facere non sua; alias non potest dici, quod renuntiaverint omnibus quæ possident. Et ideo quamdiu in illis perseverant, tamdiu peccant. Aliud esset, si illa relinquerent monasterio, ut inde provideretur suis necessitatibus ad nutum superioris. Sed de hoc postea.

Resol. 3. etiam lædere paupertatem, qui onerant hæredes aut hæreditatem aliquo peculio sibi de jure tribuendo.

Resol. 4. Similiter reos esse, qui pro peculio sibi concessa auctoritative dant quitantias, volunt solutionem pro suo libitu fieri, prohibent inter manus superiorum deponi, cogunt creditores tanquam domini, &c.

Resol. 5. Etiam peccare fratrem minorem, qui obligat hæredes ad certas eleemosynas, sibi aut etiam conventui erogandas, licet prætextu infirmæ valetudinis, studiorum, primitiarum, &c. etsi fiat de licentia expressa superioris, quia nec ille, nec conventus, nec totus ordo est capax talis obligationis.

Resol. 6. Nec posse ullatenus concurrere ut sibi vel conventui relinquatur certa legata annua. Ubi autem, fratrib. insciis, relicta sunt, debent protestari se nullum jus in illa habere, sed si dentur, se illa tamquam puras eleemosynas recepturos.

CONCL. II. Debet religiosus uti rebus cum vera & rationabili superioris licentia.

Ratio est; quia nisi illa adsit, est vere proprietarius, quantumvis dominium rerum, quibus utitur, maneat apud donantes, ut diximus ante.

Dixi 1. *Cum vera*; quia si metu, fraude, dolo, minis, vexationibus, allegatione falsi, molestiis, &c. obtineatur, vel est violentia, vel, si sit licentia, est subreptitia, adeoque nulla.

Dixi 2. *Et rationabili*; quia si absque justa ratione concedatur, nec inferior; nec superior est tutus in conscientia. Immo tales concessionem illa queant animas, relaxant religionem corrumpunt mores, sæcularizant regulares. Interim dum superior habetur vir prudens, nec apparet relaxatus, ordinarie supponere debet inferior ejus licentiam esse rationabilem.

Porro quadruplex assignari potest licentia, expressa, virtualis, tacita, & præsumpta seu interpretativa.

Expressa est, quæ verbo, scripto, aut alio signo aperte conceditur: hæc est optima, securior, & in praxi consulenda.

Virtualis est, quæ in expressa continetur: sic cui permittitur ambulatio per aliquot dies, permittitur ut possit oblatas sibi recreationes honestas acceptare, cui committitur officium, permittuntur & actiones ad ejus executionem necessariae, & ab aliis id muneris exequentibus exerceri solitæ. Hujus etiam licentiæ sufficientia est indubitata.

Tacita est, quando circumstantiis, signis, consuetudine, verisimilibus creditur usum rei, sicut & ejus receptionem, aut donationem à superiore approbari. Hanc licentiam, quæ supponit præsentem prælati voluntatem, crediderim sufficere in iis, quæ videns ordinarie superior, non tantum dissimulat, sed etiam approbat, seu non sibi displicere manifestat. Item in rebus levioris momenti & crebro occurrentibus, sicut & in iis, quæ timorati practicant in religionem reformatis, aut bene ordinatis; quia respectu similium potest applicari hoc axioma juris: *Taciti & expressi eadem est virtus*. Præterea religiosus non agit suo nomine, aut sine licentia, cum præsumatur adesse.

Denique præsumpta seu interpretativa dicitur, quando occurrente necessitate, justa causa, aut ratione, concluditur quod superior

vellet, si rem sciret. Hæc non respicit voluntatem prælati præsentem sicut tacita, sed futuram sub conditione, & ideo male ab aliquibus confunduntur. Circa hanc licentiam varie admodum sentiunt doctores: numquam sufficere asserunt salmaticenses, quia licentia illa non est, dum religiosus operatur, sed tantum foret, si peteretur. Aliqui volunt sufficere, quando non potest superior conveniri, aut consuli, alias non: alii docent satis esse in omni casu, ut excuset à mortali dantem, recipientem, detinentem, &c. qui tamen, ut ajunt, peccant venialiter, si modus ille præsumendi displiceat superiori. Nos media via procedentes credimus illam non sufficere in rebus gravioris momenti, ubi ad superiorem patet recursus. Ratio est, quia si superior sit talis, qualis debet esse, respectu illorum præsumi debet invitus, non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, cum illa præsumptio enervet paupertatem religiosam, & ex ea innumeri sequantur abusus: unde licet credatur, quod superior consultus consentiret, quia tamen videre debet, quod, admissa universaliter licentia præsumpta, inferior semper aut fere semper pro libitu ageret, facile sibi persuadendo rem esse justam, adeoque concedendam, censetur in gravioribus velle jus suum quoad substantiam servare: tuncque tollitur licentiæ præsumptio. In rebus autem ordinariis, ut sunt munuscula recepta, quædam esculenta aut poculenta non nociva, tabacum, &c. uti licentia præsumpta non videtur mortale, præsertim si sit difficilis ad superiorem accessus, aut si inferior difficultatem patiat in petendo ratione timoris, aut verecundiæ. Est tamen veniale, ubi modus displicet: immo erit mortale, si accedat præceptum obedientiæ de petenda licentia expressa, & aliunde materia sit notabilis.

Facilius autem præsumi potest licentia in una religione, quam in alia respectu hujus superioris, quam illius, de rebus acceptis, quam datis in commodum communitatis, quam particularis. Item potius præsumere potest senex, quam juvenis, benemeritus, quam simplex chorista, prælato, ob bonos mores amicus, quam ipsi invidiosus. Ex dictis

Resol. 1. Dissimulationem aut taciturnitatem superioris non semper esse licentiam, quia sæpe vident superiores & tacent ob effrænatam aliquorum murmurandi licentiam, querelas, injustas de superiore detractiones, insanabiles quorundam abusus, &c. aut etiam quia non expedit hic & nunc contradicere.

Resol. 2. Eum, qui aliquid recepit ex facultate præsumpta; eo quod superior abesset, teneri revertentem monere, si res adhuc exstet; quia tam requiritur licentia ad retinendum, quam ad recipiendum: quando autem præsumptio aliunde petitur, quam ex absentia physica aut morali superioris, ubi sufficit licentia præsumpta ad recipiendum, sufficit ad retinendum. Item licentia data ad receptionem est etiam ad distributionem si acceptum soleat distribui.

Resol. 3. Non tantum superiores, sed etiam oeconomos, procuratores, provisores, &c. posse facere quasdam eleemosynas intra terminos honestatis & charitatis quia hoc consequitur officium. Excipe tamen nisi ex causa justa potestatem restringeret superior.

Resol. 4. Si superior det pecuniam studioso pro alimentis in Academia necessariis. iter agenti pro sumptibus viæ, alteri ob honestas recreationes, residuo posse uti inferiorem vel meritorie in eleemosynam, vel religiose ad pietatem, vel honeste in gratitudinem, quia illa non datur sub restrictione indivisibili ad expensas physicas. Excipe tamen, nisi excessus esset gravis, vel nisi datum fuisset abundanter pro sumptibus, vel negotiis incertis, sicut fit respectu procuratorum, &c.

Resol. 5. Eum, cui conceduntur escæ, potus, pharmaca, conservæ, &c. posse suis fratribus illa communicare, immo & extraneis pauperibus, nisi obstet obedientia, quia censetur ipsius usui honesto & piæ dispositioni relicta. Dixi: *Nisi obstet obedientia*; quia pluribus in locis ad vitandos abusos non permittitur religiosis particularibus distributio, etiam propriæ pitantiæ.

Resol. 6. Eum, cui data est pecunia in suos usus, non posse illam expendere in res omnino vanas aut turpes, puta cum meretrice, pro vestibus sericis, conviviis sumptuosis, multis canibus alendis, &c. immo ipse & recipiens tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia illæ expensæ factæ sunt sine licentia, cum juxta religionem & sacros canones illam nec licite, nec valide possit superior concedere, cum nequidem possit illam sibi sumere.

CONCL. III. Tenetur religiosus servare paupertatem juxta modos suæ religionis. Ratio est; quia tenetur quilibet paupertatem servare eo modo, quo illam Deo promisit, sed religiosus vovit illam servare juxta modos in sua regula expressos, & in sua religione servari solitos: ergo, &c. unde frater minor tenetur ad usus arctos & pauperes in sua regula contentos, ut definivit Clemens V. quoad alios ibidem non expressos, debet esse religiosa moderatio, attenta personarum, locorum, temporum, officiorum, & aliarum circumstantiarum exigentia, ita ut vitetur superfluitas, immoderantia, & omne quod sapit thesaurizationem. Ita declarat Nicolaus III. in Extrav. *Exiit qui seminat*.

Quantum ad alios religiosos, debent etiam in rebus sibi ad usum concessis vitare superfluitatem, curiositatem, & pretiositatem; ita ut si in illis graviter excedant, etiam graviter peccent. Ratio est; quia non tenentur tantum ad præcisam paupertatis essentiam, quæ consistit in abdicatione omnis domini, proprietatis, & juris politici in res, sed etiam ad illius accessoria veluti proprietates idest, ad *temperantiam*, quæ tollit nimiam abundantiam & superfluitatem in victu & potu, *sufficientiam*, quæ damnat multitudinem, & superfluitatem in equis, rhedis, canibus, ædificiis, hortis, &c. *modestiam*, quæ tollit fastum, superbiam, curiositatem, &c. *fideli-*

tatem in administratione bonorum monasterii: illa enim Deo & monasteriis data sunt in sustentationem religiosorum, conservationem ædificiorum, cultum Dei, auxilium pauperum; & ideo quidquid contra hos fines prælatus aut religiosi præsumunt, peccant, suntque dicendi dissipatores, non dispensatores. Fateor quidem excedentem usum simplicem facti contra unam aut alteram ex quatuor virtutibus assignatis, non peccare graviter contra quidditatem paupertatis, peccat tamen mortaliter in re notabili contra proprietates jure Divino & humano à religiosa paupertate inseparabiles. Debent denique servare *exemplaritatem*: quod non faciunt illi, qui sumptibus, profusionibus, pompis & nescio qua præsumpta magnificentia magis sordidant statum religiosum, quam commendant.

CONCL. IV. Quarta conditio est, ut servetur honestas, seu ut res concessa non expendatur, nisi in usus licitos & honestos. Circa hoc vide finem conclusionis præcedentis.

§. 3. *An usus peculii liceat religioso, & quæ conditiones requirantur, ut sit licitus?*

Nomine *peculii* intelligo redditum annum, censum vitalitium, pensionem temporaneam, aliamve retentionem bonorum mobilium, aut immobilium, quibus utitur quis successu temporis. Ante resolutionem

Suppono 1. Non esse hic quæstionem de dominio, proprietate, aut possessione peculii, cum hoc manifeste repugnet voto & statui religioso, sed de simplici usu facti, & quidem ad nutum superioris revocabili.

Suppono 2. Peculium non habere locum apud franciscanos de observantia, sicut nec apud carmelitas discalceatos, quibus vel ex regula, vel ex constitutionibus hic prohibetur.

Suppono 3. Quæstionem intelligi post Tridentinum, nam ante sententia affirmativa erat communis.

Suppono 4. Esse omnino indifferens, sive professurus peculium sibi reservet, sive ejus parentes aut monasterium ipsi concedant. His suppositis

CONCL. I. Modo adsint conditiones postea recensendæ, videtur usus peculii religioso licitus.

Prob. 1. Tum ex jure antiquo, tum ex praxi & consuetudine omnium fere religionum possidentium, & præsertim monialium; tum etiam quia peculium ad nutum superioris revocabile non repugnat ex natura sua religiosæ paupertati.

Prob. 2. Refutando fundamentum aliorum; quia Tridentinum sess. 25. c. 2. de regularibus dicens: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usum fructum vel usum*, tantum prohibet peculium, quod sonat proprietatem, sive quod possidetur, aut tenetur extra manus & disposi-

tionem superioris ac monasterii; hocque patet ex iis, quæ immediate præcedunt: *Nemini liceat*, inquit, *bona tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere*. Unde Concilium non imponit jus novum, sed renovat & magis explicat antiquum, quo peculium tamquam proprium cuilibet regulari prohibeatur, ut patet ex cap. *Cum ad monasterium*, de statu monachorum, ubi legitur: *Prohibemus districte in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquod possideat*.

Confirm. 1. Quia licet cap. *Monachi* 2. de statu monachorum dicatur: *Monachis non permittatur peculium habere*; tamen sententia communis ante Tridentinum sic illud intellexit, ut non peculium simpliciter, sed tamquam proprium inhiheretur: ergo à fortiori eodem modo intelligi debet Tridentinum, cum paulo ante agat de bonis tamquam propriis.

Confirm. 2. Quia superiores ordinum S. August. & Dominici (quorum generales & quam plurimi particulares virtute & scientia eximii Concilio interfuerunt) permittunt suis magistris usum reddituum; quos legendo in academiis acquirunt: ergo signum est, intelligendum esse Trid. ut supra.

Confirm. 3. Quia in Hispania & in Portugallia, ubi viget religiosa Tridentini observatio, usu receptum est, ut scripsit Beja, jam à centum circiter annis ut parentes ultra dotem monasterio pro sustentatione traditam, consignent filiæ suæ moniali certos redditus annuos, apud bursariam conventus reponendos, & ipsius monialis usus ad nutum superiorissæ applicandos: ergo talis est Concilii sensus.

Confirm. 4. Quia in ipsamet Italia coram oculis Summorum Pontificum, tale peculium habent sine ulla contradictione quamplurimi religiosi, ut refert idem Beja, jam à 100. annis professor in academia Bononiensi.

Dices 1. Juxta Concilium administratio bonorum monasterii ad solos officiales pertinet; atqui si liceret religioso particulari usus peculii, haberet administrationem alicujus boni ad monasterium pertinentis: ergo.

Resp. neg. min. Ad administrationem enim requiritur: quod quis possit debita judicialiter exigere, solutionem hoc vel illo modo regulare, &c. quod non competit simplicem facti in peculium habenti: unde cui competit administratio bonorum communium monasterii, competit & administratio illius peculii.

Dices 2. Opponitur fini vitæ monasticæ, qui est ut communis vita communibus bonis, communi labore, communibus velut stipendiis conservetur: ergo.

Resp. Hoc esse verum, ubi bona communia pro communi sustentatione sufficiunt; non tamen ubi deficient.

CONCL. II. Variæ requiruntur conditiones, ut usus peculii sit religioso licitus.

1. Est, ut illud non habeat per proprietatem, sed per simplicem usum facti.

2. Ut fiat ex licentia superioris, ad cujus nutum sit revocabile.

3. Ut sit moderatum, nec excedat limites modestiæ religiosæ.

4. Ut sit incorporatum quoad dominium, proprietatem, &c. bonis communibus monasterii, ut patet ex Tridentino supra volente, ut res omnes superiori tradantur, conventuique incorporentur.

5. Ut tantum in usus pios, licitos, aut necessarios expendatur.

6. Ut apud officialem monasterii ad hoc deputatum reservetur, cui tamquam administratori, vel prælato, necessitates exponere tenebitur inferior aliquid exigens.

7. Ut permittatur ex justa & rationabili causa à superiore judicanda, quæ justitia peti potest 1. Ex parte personæ, ut si propter debilitatem, complexionem infirmam, senium, &c. indigeat particularibus. 2. Ex parte officii, ut si quis sit missionarius apud hæreticos, actor rerum publicarum, agens in curia romana, egregius componista, &c. quibus ideo vel propter libros, vel propter viarum expensas, vel propter negotia peragenda, &c. peculium sit necessarium. 3. Ex parte monasterii ratione bellorum, incendii, incuriæ superiorum, aut officialium ita indigentis, ut vix refectiones communes possit religiosis procurare, & ideo teneantur sibi vestes, pharmaca, suppellectilem necessariam aliunde quærere. Sæpe tamen, si omnia peculia particularia in unum coalescerent, & omnes in vitam communem labore, industria, mendicatione conspirarent, facilius fratrum aut sororum necessitatibus provideretur: unde videmus divinam providentiam supra religiones reformatas, ubi vita communis adamussim restituta est, ita largam infundere benedictionem, ut monasteriis ne vel obolum possidentibus nihil desit, dum monasteria aliunde opulenta, debitis supra modum gravantur, eo quod unusquisque studeat sibi, non communitati. 4. Ex parte congruæ cujusdam necessitatis: sic videmus in multis abbatibus certum peculium officialibus distribui, ut unusquisque studeat monasterii utilitati, conservationi, &c. Ex dictis

Resol. 1. Quod licet peculium ita circumstantionatum non repugnet paupertati, adversetur tamen vitæ monasticæ perfectioni, cujus sicut est communis professio, communis Ecclesia, communis observantia, ita communis debet esse victus, communis vestitus, commune auxilium, quantum fieri potest. Circa quod fortiter adlaborare tenentur superiores.

Resol. 2. Posse superiorem, ubi monasterium indiget, ex peculii particularibus apud officialem reservatis assumere: & utinam hoc quandoque tentarent superiores, ut discerent subditi sibi, non proprietatem, sed simplicem usum ad nutum superioris esse concessum.

Resol. 3. Graviter peccare inferiorem, qui vult à superiore reddi sibi comptum juridicum de suo peculio, cum hoc sonet proprietatem.

§. IV. *Quid sit peccatum proprietatis, qualis materia requiratur ad mortale, quæ poenæ proprietariorum?*

CONCL. I. Peccatum proprietatis est sacrilegium, quo religiosus usurpat sibi rem aliquam, sive quoad proprietatem, sive quoad simplicem usum, invito rationabiliter superiore.

Dicitur 1. *Sacrilegium*, quia est voti paupertatis violatio.

Dicitur 2. *Quo religiosus usurpat sibi*, quod potest fieri vel rem monasterii sibi appropriando, vel aliquid à sæculari, vel etiam à confratre quomodolibet recipiendo, vel aliquid ex rebus monasterii aut suis usibus concessum donando, mutuando, locando, vendendo, aut aliter disponendo.

Dicitur 3. *Rem aliquam*, sive mobilem, sive immobilem, sive usu consumptibilem, sive permanentem.

Dicitur 4. *Sive quoad proprietatem*, & tunc ultra sacrilegium committit furtum: quod etiam committit, quando utitur re aliena, invito domino, licet tunc plus requiratur ad peccatum mortale, quam dum usurpat proprietatem, eo quod minorem faciat injuriam domino. Censetur autem usurpare sibi proprietatem, quando non intendit rem domino reddere: usum vero, cum intendit reddere post certum tempus, ita non rem, sed præcise usum illius intendat.

Dixi: *Proprietatem*, & non dominium; quia illius incapax est religiosus, & ideo rei oblatae & ab ipso receptæ statim fit dominus ipse conventus, & in ordine seraphico Summus Pontifex.

Dicitur 5. *Sive quoad simplicem usum*, ut, si accipiat à sæculari rem aliquam, cujus ille reservavit sibi dominium; & illo casu tantum est peccatum proprietatis, non furti.

Dicitur denique: *Invito rationabiliter superiore*; quia prælato necessaria ad victum, vestitum, aut sanationem denegante, non peccat religiosus, si illa accipiat à sæcularibus, aut etiam ex bonis ipsius monasterii; quia tunc subditus utitur jure sibi à natura concessa ad sui conservationem. Præterea in defectum superioris irrationabiliter inviti censetur religio, aut Papa in præfatis consentire. Graviter tamen peccat superior, & per avaritiam suam causa est multorum malorum & relaxationis in religione. Ceterum non sibi adulentur inferiores: meminerintque se esse pauperes, qui cum Apostolo scire debent abundare & penuriam pati: & advertant nequidem ipsos divites omnia pro votis habere: *sunt*, inquit D. Bern. ser. 4. de Adventu, *qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patientur.*

Petes, an qui cum licentia superioris retinet superflua, aut suo statui indebita, sit proprietarius?

Resp. affirm. quia tunc reclamante religione aut Papa tacite,

superioris facultas requiratur nulla. Censetur autem superfluum, quod nec ad vitam, nec ad decentiam status religiosi requiritur; quia tamen superfluitas non consistit in indivisibili, potest fieri; quod aliquid sit superfluum uno tempore, in tali religione, respectu hujus personæ, quod est moderatum altero tempore, in altera religione, aut respectu alterius personæ. Interim in vitium superfluitatis impingunt, qualescumque sint religiosi, qui cellas ornant more magnatum.

CONCL. II. Omissis innumeris circa determinationem quantitatis materiæ proprietatis opinionibus, credo probabiliorem illam, quæ asserit eam materiam esse gravem; quæ æquivalet materiæ furti mortalis in filiis-familias respectu parentum, idque tam in rebus permanentibus, quam ipso usu consumptibilibus, ut sunt esculenta, poculenta &c. cum hac tamen modificatione, quod plus requiratur ad mortale in iis, quæ à sæcularibus oblata sunt, quam in iis, quæ à monasterio surripiuntur: minus è contra in iis, quæ dantur extraneis, quam quæ suis usibus applicat religiosus: minus si detur ex bonis monasterii communibus, quam si ex proprio peculio, quia ubi major vel minor sit monasterio injuria, etiam magis aut minus invitatus creditur superior: æqualiter tamen hic erit invitatus sive quis surripiat è conventu, sive recipiat ab extraneo, si extraneus, quod particulari concedit, alias erat communitati daturus: ad quod serio reflectere debent illi, qui ex confratrum suorum vigiliis, laborio, & sudore viventes omnem operam conferunt, ut fraudata communitate, sibi studeant, sibi consulant, suisque obtemperant sensualitatibus, aut commoditatibus, quasi vero pretium laboris cujuslibet religiosi non debeatur communitati. Nec sibi abblandiantur, quod sæculares tantum illorum intuitu elemosynas illas conferant; si enim inculcarent benefactoribus fore sibi æque gratum, si darentur communitati pro victu & vestitu servorum Dei, illas libentissime & cum majori merito sic concederent.

Prob. autem conclusio, quia prælati respectu suorum succedunt in locum parentum, tam quoad corporalia, quam spiritualia; ergo non est credibile in furtis esse magis invitos respectu inferiorum, quam parentes respectu filiorum. Præterea non decet superiores esse magis tenaces circa CHRISTI patrimonium quod nec suo labore, nec suorum parentum hæreditate adquisierunt, quam sint sæculares circa ea, quæ sæpissime sudando, periculis se exponendo, &c. sibi compararunt.

Dices 1. Filii-familias sunt in spe domini bonorum paternorum, & sic quasi de suis accipiunt, non ita religiosi, ergo, &c.

Resp. Quod si filii superent religiosos in bonorum successione, religiosi tamen superent filios in hoc, quod sint actualiter partes communitatis, cui bonorum dominium competit: filii autem non sint actualiter partes parentum.

Dices 2. Prælati ægrius ferunt, & severius puniunt furta subdi-

torum, quam parentes filiorum: ergo hi sunt minus inviti, quam illi.

Resp. dist. cons. Sunt minus inviti quoad substantiam N.; quoad modum, C. nec mirum, quia filii sunt tantum fures; religiosi vero & fures & votifragi.

Dices 3. Inde sequitur plus requiri ad peccatum mortale in Benedictino, quam in Franciscano; cum plus requiratur ad furtum mortale in filio parentis divitis, quam in filio parentis pauperis.

Resp. Totum esse verum per se loquendo; quia tamen sæpe fit quod monasteria opulenta, sint debitis gravata ratione bellorum: conventus autem pauperum sufficienter habeant ex liberali DEI providentia ad victum & vestitum suæ paupertati proportionatum, ideo non semper mensuranda sunt monasteria secundum id, quod annuatim recipiunt, aut recipere debent. Ex dictis

Resol. 1. Quod sicut filius per varia furtiva minima in rebus permanentibus tandem peccat graviter, ubi materia facta est notabilis: ita & religiosus, licet major quantitas requiratur in iis, quæ paullatim surripiuntur, quam si unica vice surriperentur.

Resol. 2. Etiam graviter peccare religiosum, tenerique ad restitutionem, ubi per varia modica recepit summam notabilem ab extraneis, si non adfuerit prælati consensus, saltem rationabiliter præsumptus quoad substantiam; quia etsi non faciat injuriam extraneo liberaliter illa offerenti, gravem tamen facit monasterio, cui illa adquiruntur.

Resol. 3. Reum esse proprietatis & furti gravis, qui simul res comestibiles, aut notabiles in magna quantitate surripit; quia censetur rationabiliter invitus superior, etiam quoad substantiam, ob magnum conventus detrimentum.

Resol. 4. In eadem crimina impingere illos, qui esculenta aut poculenta paullatim accipiunt, non ad actualem consumptionem, sed ad provisionem in futurum, ubi materia facta est notabilis: quia eadem est ratio de illis, ac de iis, qui simul omnia illa acciperent.

Resol. 5. Accipientem paullatim victualia ordinaria ad præsentem usum, ordinarie non peccare lethaliter, licet quantitas ablata fiat notabilis, si numquam simul existat. Ratio est, quia illis tantum præsumitur invitus superior quoad modum, non quoad substantiam: cum non soleant parentes in illis tam rigorose procedere.

Dixi: *Victuaria ordinaria*; quia non idem sentio de iis, qui surripiunt extraordinaria, infirmis, hospitibus, aut honestæ communitatis recreationi reservata, sicut nec de iis, qui colligunt fructus rariores benefactoribus destinatos, quia merito in illis censentur etiam quoad substantiam inviti superiores.

Resol. 6. Raro delinquere graviter eos, qui sine damno communitatis oblata ab extraneis comestibilia, aut potabilia recipiunt, saltem minoris valoris, quia licet sint inviti prælati, & quidem merito ordine ad perfectionem, non tamen quia reputant materiam gra-

vem in ordine ad paupertatem; quod verius est quando ipsi extranei illa consumunt cum religiosis.

Dixi: *Sine damno communitatis*, quod sæpe evenit apud eos, qui vivunt ex eleemosynis.

CONCL. III. Tres sunt poenæ proprietariorum pecuniam, aut aliud notabile apud se retinentium, vel apud alios deponentium.

Dico: *retinentium*, quia poenæ illæ non afficiunt dantes aut expedientes.

1. Est, quod poenitentiae causa sit recludendus. cap. fin. *De regularibus*.

2. Est privatio vocis activæ & passivæ per biennium. Trid. sess. 25. cap. 2. *De regularibus*.

3. Est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & inhumatio in sterquilinio, cap. *Monachi*, de statu monachorum: immo in loco sacro sepultus debet inde extrahi, si absque gravi scandalo fieri possit, cap. *Super quædam*, eodem titulo. Hæ tamen poenæ non incurruntur, nisi post iudicis sententiam. Immo ad ultimam requiritur quod proprietarius ante mortem non poenituerit, & apud ipsum defunctum, aut depositarium inventa fuerit pecunia, aut aliud permanens, de cujus detentione proprietaria & voluntaria non dubitetur.

Aliam poenam continet caput, *Cum ad monasterium*, de statu monachorum, nempe expulsionem e conventu, sed illam revocavit Urbanus VIII. præcipiens in decreto edito 21. septemb. 1624. ut in posterum à religione nullus legitime professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis. Clemens VIII. alias poenas statuit in quadam Bulla, de largitione anno 1594. quas confirmavit Urbanus VIII. sed constitutiones illæ vel non fuerunt receptæ, vel per desuetudinem sunt infirmatæ.

§. V. *Quid ludo exponere possit religiosus, quid expendere prælati, & quando insit illis obligatio restituendi.*

CONCL. I. Potest religiosus honestæ recreationis causa exponere ludo licito modicam pecuniæ quantitatem, si adsit superioris licentia, quam censetur habere ille, cui permittitur divertere aliquo tempore apud parentes, aut amicos sæculares, non potest tamen quantitatem magnam.

Prob. 1. pars; quia possunt religiosi de superioris consensu expendere concessa in usus honestos & licitos; atqui supponitur usus licitus & honesta recreatio; ergo.

Prob. 2. pars; quia ubi exponitur magna quantitas, lusus est ipis indecens, nec reputatur pro religiosis pauperibus honesta recreatio, sed potius aviditas ad lucrum, & ideo nec licite, nec valide potest prælatus id subdito permittere, adeoque pecunia tali ludo parata, in quantum excedit moderatam quantitatem, est restituenda; quia, ut diximus, superioris licentia expendendi peculium, aut aliud

in usus vanos & illicitos, est nulla & irrita, cum excedat illius potestatem. Crediderim autem quantitatem esse magnam, quæ excedit illam, quam quis potest liberaliter donare, modicam vero, quæ non excedit: & ideo consulat unusquisque monasterii sui consuetudinem. Ex dictis

Resol. Religiosum exponentem uno ictu duos patacones, supposito, quod unus pataco sit justa quantitas, teneri restituere unum, si duo lucretur; quia in ludo justo debet esse æquale periculum æqualiter lucrandi aut perdendi: immo totum restituere teneretur, si sine licentia lusisset, cum in tali casu teneretur colludens omne lucrum restituere.

CONCL. II. Non potest prælatus res immobiles, aut mobiles pretiosas alienare, nisi ex justa causa, & servata solemnitate: ex aliis autem rebus potest illa dare, aut expendere, quæ cedunt in commodum, decentiam, & splendorem monasterii, modo serventur limites religiosæ honestatis.

Prob. 1. pars; ex Pauli II Extravag. quæ incipit, *Ambitiosæ cupiditatis*, & habetur inter communes titulo *De rebus ecclesiasticis non alienandis*: ubi etiam prohibetur locatio ad longum tempus, emphyteusis, hypoteca, infundatio.

Porro censetur adesse justa causa. 1. Si pro sustentandis religionis, aut conservando monasterio, sit necessarium. 2. Si res facta sit monasterio damnosa, aut inutilis. 3. Si ex alienatione succedat evidens monasterii utilitas. 4. Si pietas id postulet v. g. ad erigendum pro studiosis collegium, ad fundandum pro pauperibus xenodochium, ad ædificationem novi monasterii, &c.

Solemnitas vero requirit hæc tria. Primum: auctoritatem in superiore per licentiam à Sancta Sede obtinendam, quod jurant Episcopi & Abbates, dum inaugurantur. Secundum: consensum capituli legitime congregati, ita ut non sufficiant, si unusquisque extra congregationem consentiat, aut si vocem suam aliorum suffragiis committat. Tertium: contractum scriptum à singulis religiosis signatum, vel saltem à notario publico, postquam accepit singulorum vocem & auctoritatem. Hæc intelligenda sunt, secluso privilegio, quod habent certæ religiones & syndici apud fratres minores circa rerum alienationem.

Dixi in conclusione: *Vel res mobiles pretiosas*, ut sunt tapetes, vasa aurea, vel argentea, gemmæ, & alia pretiosa, valoris saltem 25 aureorum, ut dicuntur respondisse Cardinales. Flores autem, numismata, statuæ, &c. quorum æstimatio consistit in varietate, antiquitate, aut hominum imaginatione, alienari possunt sine dictis solemnitatibus; quia non veniunt nomine *rerum pretiosarum*.

Prob. 2. pars; quia prælatus, licet non sit bonorum monasterii dominus, est tamen verus administrator, tenetque locum communitatis; sicque potest facere quidquid potest prudenter communitas. Hinc

Resol. 1. Posse facere pro obsequiis præstitis donationes remuneratorias, munera ad conciliandas conventui personas necessarias, honestas gratitudines erga benefactores, certa dona ad promovenda negotia; quia id exigit bonum communitatis. Debent autem hæc esse majora vel minor, attentis obsequiis, rei gravitate, personarum necessitate, ordinis aut monasterii consuetudine.

Resol. 2. Posse facere eleemosynas, non tantum ex superfluis, ad quod stricte obligatur, cum bona monasterii sint pauperibus hypothecata; sed etiam ex necessariis, juxta laudabilem conventus praxim, religionis penuriam, temporum calamitates, urgentem pauperum famem: nec propterea debent timere, *ne propter regnum DEI militantibus hujus vitæ necessaria desint*, inquit V. Beda lib. 4. c. 24. in Lucam: qui enim dixit, *dare*, dixit: & *dabitur vobis*.

Resol. 3. Non posse quidquam expendere ad ostensionem suæ liberalitatis, ad ditandos parentes, ad conciliandos sibi amicos particulares, ad epulas extraordinarias, ad equorum, canum, venaticorum, rhedarum, domesticorum, &c. multitudinem; quia communitas, cuius bona administrat, censetur rationabiliter invita.

Resol. 4. Respectu amicorum & parentum id ad minimum posse quod potest subditis respectu suorum concedere, cum ipse non sit deterioris, sed mellioris conditionis, quam subditi. Errant tamen graviter superiores illi, qui sibi fere omnia concedunt, aliis autem omnia denegant, non attendentes, quod subditi sint membra ejusdem communitatis, & filii ejusdem matris.

CONCL. III. Omnis religiosus, sive prælatus, sive subditus, qui facit gravem injuriam monasterio, illius bona dando, negligenter custodiendo, prodige administrando, dissipando, consumendo, aut expendendo, ultra limites honestatis & prudentiæ, tenetur restituere, large loquendo, quantum potest.

Ratio est, quia bonorum communitatis nec prælatus, nec subditus habet dominium, sed tantum usum, aut administrationem: ergo sicut administrator dissipans bona, quorum tantum habet administrationem, tenetur restituere domino, ita & religiosus monasterio.

Dixi 1. *Large loquendo*; quia restitutio stricta fieri debet ex propriis ipsius restituentis; proprium autem nec habet nec habere potest religiosus.

Dixi 2. *Quantum potest*: unde si res alienata adhuc extet in se vel in æquivalenti apud extraneum, tenetur religiosus ipsum adonere de restitutione necessario facienda, quam, deficiente extraneo, facere debet ipsemet religiosus: si autem res illa sit apud religiosum, debet illam conventui reddere, quia etsi dominium semper remaneat penes monasterium; tamen usurpans usum rei, invito rationabiliter domino, committit furtum, estque obnoxius restitutioni.

Sed quo pacto restituet religiosus, deficiente extraneo, aut re jam consumpta?

Resp. Ex peculio sibi concesso, si habeat, si non, labore extraordi-

nario sibi proportionato. Non videtur tamen obligatus aliquid sibi subtrahere de cibo aut potu ordinariis; quia sicut benignitas patris, ita & superioris non censetur velle filios suos ad id obligare.

Dixi *Ordinariis*: quia iustitia postulat, ut aliquando se privet extraordinariis. Item poterit religiosus restituere, efficiendo ut id, quod parens aut amicus solet illi gratis concedere, concedatur monasterio.

Advertendum hic 1. Religiosum, qui aliquid recipit ab uno è confratribus habentē facultatem illud distrahendi, non teneri ad restitutionem; quia eo ipso quo superior dat uni licentiam rem aliquam distrahendi, virtualiter dat etiam alteri sibi subdito illam recipiendi quia minus gravatur monasterium, si res detur subdito quam si extraneo. Excipe tamen, nisi danda esset benefactori, aut si alteri religioso nullatenus conveniret.

Advertendum 2. Extraneum, qui rem aliquam injuste recepit à religioso, debere illam restituere monasterio, eo tamen secretiori modo, quo potest, ut servetur fama religiosi, nisi propter relapsum monendus esset superior. Ratio est; quia re illius dominium est penes monasterium, & non penes religiosum; si tamen sciretur re illa non iterum abusurus, posset ipsi restitui, præsertim si foret illi ad usum concessa.

Q U Æ S T I O X.

Quid dicendum de clausura religiosorum, & monialium?

CONCL. I. Prohibitus est sub gravibus pœnis ingressus mulierum non exemptarum in clausuram regularium, ubi non adest justa necessitas, aut determinata pietas.

Prob. ex Bulla Pii V. edita 1570 die 16 julii, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*: voluerunt quidem aliqui ingressum illum tantum prohiberi mulieribus ingredi præsumptibus sub prætextu privilegiorum, non autem aliis, eo quod ipsemet Pius V. in alia bulla quæ incipit, *Regularium personarum*, & Gregorius XIII in Bulla; *Dubiis emergunt*, tantum loquantur de illis; sed Pius V. in constitutione: *Decet Romanum Pontificem*, in terminis comprehendit omnes, & quascumque mulieres, tam in genere, quam in specie.

Dixi in conclusione: *Sub gravibus pœnis*; quia feminis ingredientibus imponitur excommunicatio Papæ reservata, & ipsis religiosi introducentibus pœna privationis officiorum, & inhabilitas ad illa, ac etiam suspensionis à divinis ipso facto incurrenda. Attamen exceptis excommunicatione, & à divinis suspensione, quæ sunt censura, aliæ pœnæ non incurruntur ante iudicis sententiam criminis declaratoriam, ut constat ex praxi.

Ab excommunicatione & à suspensione absolvere possunt confessorii mendicantium virtute privilegiorum. Immo semel in vita, &

semel in morte pœnitentis quilibet ab ordinario approbatus, ut patet ex Bulla *Cruciatae*. Aliæ vero pœnæ, utpote non reservatæ, possunt à mendicantium prælatis tolli, sicut & ab aliis eorum privilegiis communicantibus.

Porro 1. Censentur religiosi feminas introducere, si ad ingressum cooperentur immediate, vel mediate: immediate, portam aperiendo, per fenestram intromittendo, clavem præbendo, &c. mediate jubendo, consulendo, impellendo; immo si clausuræ custodiam habeant, ut prælatus aut janitor, tantum permittendo; quia sunt de facto causæ morales ingressus. Qui autem licite vel illicite ingressas longe diutius detinent confabulationibus, ambulationibus, &c. admisisse censendi sunt, saltem quoad peccatum, sicut & clausuræ custodes illas non expellentes.

Excusantur nonnumquam ab his pœnis (rarius à peccato) mulieres ratione bonæ fidei, aut ignorantia etiam vincibilis: modo non sit affectata; quia in præfata constitutione requiruntur audacia, præsumptio, scientia.

Dixi 2. *Ingressus mulierum*, adeoque & ducissarum, comitissarum, marchionissarum, & aliarum quacumque nobilitate, conditione, gradu, &c. fulgentium, si nactæ sint usum rationis, licet pubertatem non attigerint.

Dixi 3. *Non exemptarum*; quia excerptæ sunt imperatrices, reginæ, regum filia & neptes ob supremam earum dignitatem, sicut & fundatrices, eo quod demum suam ingrediantur. Volunt auctores posse illas ingredi cum suo mulierum comitatu ordinario, non tamen fundatrices, quibus unus tantum aut alterius honestæ domicellæ consortium permittitur.

Dixi 4. *In clausuram regularium*: comprehenduntur autem sub clausura dormitorium, claustrum, bibliotheca, capitulum, hortus, refectorium, infirmaria, culina & aliæ officinæ interiores, non tamen sacristia, chorus, capella junctæ Ecclesiæ, si ad illam detur accessus sine transitu per monasterium. In hospitiiis autem, prioratibus, collegiis, & aliis locis, ubi degunt religiosi, nec officium divinum communiter celebratur, non videtur esse clausura. Sed quid de abbatibus? Certe videmus in Belgio passim mulieres etiam ad interiora monasterii loca divertere; sed an ex privilegio, an ex legitima consuetudine, an autem ex abusu? Videant & diligenter examinent illi, quorum interest. Dixerim tamen ibi & alibi non esse observandam clausuram, quoad per alicujus parietis destructionem, aut per aliud facta est.

Dixi 5. *Ubi non adest justa necessitas*, quem vix reperio: assignant doctores conventus incendium, pro quo extinguendo nulli adessent homines: sed ego credo ipsas magis obfuturas, quam profuturas. Assignant etiam casum, quo deficientibus medicis adesset mulier petita, quæ posset religioso infirmanti succurrere: hic casus non videtur ita metaphysicus, præsertim tempore pestis. Alter ca-

sum est, si mulier quæsitæ ad necem, aut à satellitibus, non posset evadere aliter, quam intrando clausuram. Hi casus omnes, ubi subsistunt, sufficient ad licitum clausuræ ingressum, cum præceptum clausuræ ecclesiasticum non obliget in illis circumstantiis.

Dixi 6. *Aut determinata pietas*, ut dum in claustris religiosorum missæ, aut divina officia celebrantur, processiones fiunt, fidelium cadavera sepeliuntur, aut etiam quando ad infirmum defertur processionaliter Eucharistia. Item dum tantus est populi concursus, ut Ecclesiæ porta non sufficiat ad commodum ingressum & egressum tunc enim licet mulieribus ingredi & egredi cum aliis per portam claustris. Illis tamen casibus tantum possunt esse in clausura tempore officii, & quidem in solis locis, ubi celebratur; ita ut si tempus officii notabiliter præveniant aut subsequantur, vel etiam ad alia loca progrediantur, violent graviter præceptum clausuræ, licet non excommunicentur, eo quod lata sit excommunicatio contra mulieres indebite ingredientes, non autem contra debite ingressas, diutius commorantes, aut ultra progredientes.

CONCL. II. Datur in Ecclesia præceptum obligans, saltem in actu primo, omnes omnino moniales vere religiosas ad clausuram perpetuam, nisi ex fundatione, aut contractu legitimo obligentur ad curam & obsequium infirmorum.

Prob. ex cap. *Periculoso*. De statu regulari in 6. ubi illam præcipue Bonifacius VIII. cujus præceptum approbarunt & innovarunt non solum Pius V. & Gregorius XIII. sed ipsummet Conc. Trid. sess. 25. c. 5. *De regularibus*, tam quoad egressum earum, quam quoad ingressum aliarum in earum monasteria. Hoc autem præceptum, fuisse ubique receptum inde patet, quod nulla sit pars orbis, ubi illam clausuram non introduxerint Episcopi, aut prælati regulares, etiam apud illas, quæ nec ex voto, nec ex consuetudine, nec ex regula ad illam tenebantur. Scio aliquos negasse potestatem esse in Ecclesia præcipiendi clausuram iis, qui illam non voverunt, sed etiam scio, post tot Pontificum Bullas, postquam tota Ecclesia in Tridentino in Spiritu Sancto congregata id ordinavit, temerarium esse dubitare. Non potuit quidem Pontifex obligare ad votum clausuræ, cum votum excludat omnem coactionem, potuit tamen facere, ut nisi moniales sinul cum tribus votis etiam votum clausuræ, emitterent, professio esset nulla, defectu acceptationis; sicut revera fecit.

Dixi 1. *Obligans, saltem in actu primo*: quia in iis monasteriis, in quibus ratione litis, processus, indigentia, bellorum, oppositionis ex parte magistratus, &c. non fuit introducta, potest ad nutum superiorum introduci sine novo præcepto.

Dixi 2. *Omnes omnino moniales*, adeoque & conversas cujuslibet ordinis, quæ si professæ fuerint ad quærendas eleemosynas pro sustentatione communitatis, debent in domo monasterio contigua habitare, nec monasterium ingredi, seclusa dispensatione

Papali, quia sic ordinarunt Pius V. & Gregorius XIII.

Dixi 3. *Vere religiosas*, quales non sunt illæ, quæ vivunt in congregatione sub obedientia, & castitate perpetua vel etiam sub tribus votis ordinariis sed limitatis, quamdiu nempe manserint in congregatione, sed debent emittere tria vota solemnia secundum aliquam regulam à Sancta Sede approbatam ita ut non sufficiat Episcopi approbatio.

Dixi 4. *Nisi ex fundatione, aut contractu legitimo, &c.* quia cum clausura sit tantum juris humani, non potest derogari juri naturali orto ex fundatione, aut contractu legitimo. Et ita declaravit Tertiaris S. P. Francisci Leo X. cui declarationi non derogarunt Tridentinum, Pius V. aut Gregorius VIII. cum nullibi reperiatur specialis particula derogatoria. Ubi tamen fundatio, aut contractus non amplius subsistit; vel quia bona dilapsa sunt, vel quia stipendium sororibus servientibus denegatur, possunt & debent superiores, si fieri possit, clausuram introducere, immo etiam subsistente fundatione, aut contractu, si duæ aut tres pro servitio infirmorum, aut peregrinorum sufficient: illis enim poterit permitti egressus, quantum requirit necessitas, aliis interim clausuram servantibus, ut fit in S. Thomæ conventu Duaci; vel certe recipi poterunt tres aut quatuor, quæ in domo monasterio contigua degentes illud munus obeant.

CONCL. III. Quælibet persona, cujuslibet ætatis, sexus, aut conditionis non exemptæ ingrediens clausuram monialium sine licentia superioris legitimi, incurrit excommunicationem ipso facto, sicut privationem ab officiis obtentis, & inhabilitatem ad illa, aut alia in posterum obtinenda, nisi necessitas moralis excuset. Colligitur tum ex Tridentino sess. 25. cap. 5. *De regularibus*, tum ex motu proprio Pii V. *Cura pastoralis*.

Dixi 1. *Cujuslibet ætatis*: modo tamen usum rationis fuerit adeptæ, quia pueri ante usum rationis nec præcepti, nec censuræ sunt capaces. Amentes autem adulti, licet non peccent ingrediendo, peccant tamen illos introducetes, ob periculum tumultus, & aliorum.

Dixi 2. *Sexus*, quia tam prohibetur feminis, quam viris.

Dixi 3. *Aut conditionis non exemptæ*, quales sunt Reges, Imperatores, & mulieres illæ, quibus permittitur ingressus in clausuram religiosorum.

Dixi 4. *Ingressus clausuram*; ita ut totum corpus ingredientis sit infra clausuræ septa, ubi autem ingressus est completus, non admittitur materiæ parvitas, cum in distantia unius aut alterius passus tantum sit inconveniens, quantum in majori distantia. Facilius admitterem materiæ parvitatem in clausura virorum, dum ingressus fit per portam claustris, eo quod non appareat idem inconveniens: & sic non videntur condemnandæ, saltem graviter mulieres illæ, quæ per portam claustris ingrediuntur Ecclesiam, ubi porta

claustrum & porta Ecclesiæ non nisi duobus aut tribus passibus distant.

Dixi 5. *Sine licentia superioris legitimi*: hanc enim, & quidem in scriptis obtentam, requirit Trid. supra. Prælati vero, nisi causa sit magni momenti, graviter peccant illam concedendo. Si autem sine causa ingressum jubeant, aut consulant, crimen incurrunr, non pœnas, quæ latæ sunt contra ingredientem, non mandantes: lex autem pœnalis non est extendenda. Limita tamen, nisi quis faciat sub prætextu licentiæ Apostolicæ, quia tunc non tantum ingrediens, sed etiam permittens aut ingredi faciens pœnas incurrit: ut patet ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi gratiæ*.

Dixi 6. *Incurrit excommunicationem*, &c. hoc semper subintellecto, nisi excuset bona fides, simplicitas, aut ignorantia.

Dixi tandem: *Nisi moralis necessitas excuset*; unde possunt ingredi opifices necessarii pro reparando, aut construendo ædificio; pro fodienda terra, pro aperiendo sepulcro. Item visitator ut munus suum obeat, confessarius ut infirmis tum in Sacramentorum administratione, tum in morte assistat, immo hic toties poterit, quoties id requirit infirmæ devotio, aut ejusdem indispositio. Similiter medici, chirurgi & generaliter omnes illi, qui requiruntur ad debitam monasterii conservationem, & gubernationem, tum spiritualem, tum corporalem, pro casibus tamen ordinariis: pro extraordinariis enim requiritur expressa legitimi superioris licentia.

Q U Æ S T I O X I.

Qualis debeat esse electio superioris?

Cum in religione sint inferiores & superiores, hujus tractatus ratio postulat, ut postquam varia de religiosis tamquam inferioribus diximus, pauca saltem de superioribus dicamus.

CONCL. UNICA. Electio superioris debet esse canonica, libera, & dignioris.

1. Conditio requirit, ut fiat secundum *sacros canones*, id est, ut l. Ad eam vocentur omnes, qui habent jus eligendi, ita ut si vel unicus vocalium, qui commode citari poterat, non fuerit vocatus, possit electionem irritare: c. *Quoad sicut* 28. De electione, ipso tamen non contradicente, manet valida.

2. Ut omnes electores sint capitulariter congregati. Cap. in *Genesi* 55. De electione.

3. Ut capitulares sint ad minimum tres: unde glossa in cap. 1. De electione: *duo faciunt congregationem, tres collegium*; & ideo est illud axioma commune: *tres faciunt capitulum*. Apud nos tamen ut electio sit canonica, requiruntur ad minus 5. vocales, patet ex Stat. generalibus cap. 7. §. 1. *De electionibus*.

4. Ut major pars capituli consentiat, ita ut, si sint 25. vocales, ad minus 13. vota habeat electus: ubi autem vota sunt paria, nec

jus canonicum, nec constitutio particularis, immo nec ullus auctor, quem viderim, dat suffragium decisivum præsidi capituli; unde si alicubi hoc practiceretur; videndum est, an ex consuetudine legitima, an potius ex corruptela sit introductum. Hoc tamen intelligitur de electionibus à toto capitulo faciendis, nam si fiant à solo definitorio habet præsidens illis electionibus, concurrente suffragiorum paritate, vocem decisivam ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Religiosos viros*, quod & ordinavit Alexander VII. Bulla *Credite nobis*: quam vocem tum in electionibus, tum in aliis negotiis etiam concessit provincialibus, deficientibus alio præside, sacra cardinalium congregatio 13. martii 1653. licet alia eminentissimorum congregatio facta 15. martii 1663. noluerit ut præses habeat votum decisivum in electionibus per ballotationes, nisi per tres vices vota fuerint æqualia. Unaquæque religio consulat quoad hoc legitimam provincie consuetudinem.

Sed habentne in electione canonica abbatissæ, aut alterius monialium præfectæ, suffragium electivum prælati?

Resp. Apud recollectos nationis Belgicæ hoc esse consuetudine legitima introductum: caveant tamen illa uti, nisi in bonum religionis. Quoad votum decisivum nihil introductum legimus.

2. Conditio exigit in electionibus omnimodam *libertatem*, excluditque omnem coactionem, sicut & ex parte præsidis minas, promissiones, imperium, verba aspera; quia illa nata sunt causare in inferioribus metum saltem reverentialem, adeoque obstant electionis libertati, redduntque illam irritam, saltem in foro conscientie, ut docent Navarrus, Portel & alii. Item graviter obstant electionis libertati præsidem illi, qui per se, vel per alios murmur spargunt inter venales se talem respuere, ut sic facilius alteri pateat aditus ad superioratum.

3. Conditio requirit ut eligatur persona *dignior*; ita ut graviter peccent, non tantum qui positive indignum, sed etiam qui dignum, relicto digniore, eligunt. *Meminerint*, inquit Trident. sess. 24. c. 1. *De reform. nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesia (dic & religioni) magis utiles sibi judicaverint. . . . præfici diligenter curaverint*. Et cum aliqui vellent Concilium per digniores tantum excludere indignos, non vero dignos, eorum propositionem in terminis condemnavit Innoc. XI. estque 47. inter condemnatas. Est autem *dignior*, non qui sanctior, non qui doctior, sed qui, attenta probitate, scientia, prudentia, experientia, vita regulari, &c. judicatur aptior. Sed de hoc fusius postea.

Videant ergo illi & contremiscant, qui non ad merita, sed ad passiones, ad affectum inordinatum, ad patriam, vel ad proprium interesse respiciunt, ita ut magis sibi, quam religioni consulant,

magis quærant præesse, quam prodesse, & ideo prælaturam dividunt, electo nomine sibi factum reservantes, ut sic semper & super omnia dominantes sibi amicos sublimant, alios autem deprimant.

Q U Æ S T I O X I I.

Qualis debeat esse prælatorum vita, quale regimen?

CONCL. I. Vita prælati debet esse pura, regularis, & exemplaris.

Puritas consistit non tantum in immunitate ab infamia, à defectu natalium, à censuris ecclesiasticis, &c. sed etiam à peccatis gravibus, qualia sunt rixæ; contentiones, impudiciæ, ebrietas & alia hujusmodi, si enim illa dedeant graviter inferiorem, à fortiori superiorem.

Regularitas exigit vitam communem in omnibus, in victu, vestitu, inessu, in frequentandis choro, meditatione, capitulo, refectorio, & aliis, quantum ipsi per occupationem licuerit, ita ut irregularis sit inter regulares, & scandalosus superior ille, cui nauseat chorus, refectio ordinaria, vita communis, cui nimium placent cibi exquisiti, vinum delicatum, somnus longus, evagationes inutilis, &c.

Exemplaritas postulat ut prius faciat, quam doceat: longum enim iter per verba, breve per exempla: *sermo vivus & efficax exemplum est operis facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.* D. Bern. epist. 201. ad Balduinum. Præterea scire debet prælatus, tales futuros esse subditos, qualis est superior: nam *qualis est rector civitatis* (dic & religionis) *tales & habitantes in ea*, Ecclesiastici 10.

CONCL. II. Regimen superioris debet esse scientificum, prudens, & charitativum.

1. Debet esse *scientificum*, seu scientia suffultum; ut possit prælatus illos, quorum sibi cura demandata est, saltem necessaria ad salutem edocere; idest, fidei & legis christianæ præcepta, votorum essentialium ac præceptorum regulæ notitiam, & tandem ea quæ tangunt uniuscujusque religiosi gradum & vocationem. Ratio est; quia necessario debet suorum salutem procurare; atqui nisi in tribus præfatis instruantur subditi, non possunt salvari: ergo. Accedit quod turpe sit ignorare artem, quam profitemur; & ideo cap. *Si in laicis* 3. dist. 38. dicitur ignorantiam esse intolerabilem in iis, qui præsent. Nec sufficit, inquit Pellizarius, quod superior habeat apud se viros doctos, quorum opera utatur: nam verecundum est ex aliorum manibus quærere, quod apud se inveniri debet, ut docet Innocentius in c. *Cum in cunctis*, de election. num. 1. Hinc

Resol. 1. Graviter peccare illos, & esse omnium peccatorum

inde sequentium causam, qui sub prætextu alicujus pietatis, aut dexteritatis superiores ignaros eligunt.

Resol. 2. Etiam reos esse superiores, qui vel ex incuria, vel ex insufficientia, raro, aut numquam verbum instructorium, exhortatorium, aut monitorium habent apud suos subditos, qui nec per se nec per alios fidei rudimenta & regulæ præcepta laicis & clericis nondum sufficienter instructis exponunt.

Resol. 3. Etiam illorum peccatorum participes esse instructores, si erga suos munus illud negligant: & super hoc maxime debent invigilare superiores, quibus non sufficit instructores designasse, sed efficere debent, ut de facto sequatur necessariorum instructio.

Resol. 4. Rationem domino Deo reddituros esse theologiæ lectores, qui speculativis totaliter intenti, vix aut numquam descendunt ad ea, que sunt hominis religiosi & christiani.

2. Debet regimen esse *prudens*; & ideo debet superior tamquam verus pastor pecoris sui vultum agnoscere, idest, subditorum suorum qualitates, genia, dispositiones, inclinationes investigare, & in suis reprehensionibus, dissimulationibus, correctionibus, &c. circumstantias personarum, loci, temporis, actionum attente considerare, ut sic nec rigor nimius, nec indulgentia nimia adhibeatur, sed quædam paterna dulcedine moderata severitas. Hinc

Resol. 1. Deliquere prælatos illos, qui sub titulo fervoris, obstinato quodam sensu semper et ubique observantias etiam minimas indiscrete zelant, nullo habitu respectu ad personas, loca, tempora occasiones, &c.

Resol. 2. Peccare è contra superiores illos, qui sub prætextu pacis omnia permittunt, omnia dissimulant. Prudentia igitur opus est, ut nec religiosi in summa periclitentur pericula per nimium rigorem, nec religio detrimentum patiat per nimiam libertatem.

Resol. 3. Ad hanc superioris prudentiam spectare, ut opportune, non importune ovibus suis invigilet, ut non sit exactor aut satelles, sed verus pastor, qui de suorum necessitatibus corporalibus et spiritualibus inquirat, externam conversationem tam in conventu, quam extra, immo et interioris dispositionem perscrutando: Caveat tamen delatores, aut adultores fovere: sunt enim pestes communitatum.

3. Debet esse *charitativum*; quandoquidem finis regiminis debeat esse amor Dei, et charitas proximi; et ideo debet superior subditis suis corporalia et spiritualia, quantum fieri potest, subministrare, corporalia quidem ut sic viam excludat proprietatibus, navigationibus, discursibus, amicitiiis perversis, quæ nonnumquam palliantur titulo necessitatis, spiritualia vero, exhortando, monendo, consolando, afflictis compatiendo, infirmos visitando, et omnibus, de confessariis prudentibus, et idoneis providendo. Hinc

Resol. 1. Juxta materiæ gravitatem peccare prælatos, qui ex

quadam tenacitate bene habentibus victum aut vestitum necessarium, infirmis medicamenta, senibus restauramenta denegant.

Resol. 2. Se et suos exponere damnationis periculo superiores, qui afflictis in omnibus duri sunt et rigidi, qui ipsos contemnunt, abijciunt, negligunt, et quandoque in desperationis barathrum præcipitant.

Resol. denique multum adversari charitativo regimini modum agendi imperiosum et nimis absolutum, verba aspera, clamores, vultum severum, &c. *Audiant prælati*, inquit D. Bern. sermone 23. super Cantica, *qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro: Erudimini, qui judicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; Matres, fovendo, patres vos, corripiendo exhibeatis: Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera.*

Q U Æ S T I O X I I I.

Seu variae quæstiunculæ magis obvix superiorum electionem concernentes.

Petes 1. Quinam excludantur à superioratu ex solo Jure?

Resp. Breviter excludi sequentes. 1. Illegitimos, non tamen illegitimas, ut sunt abbatissæ, priorissæ, matres, &c. quia jura excludentia viros, nullam mentionem faciunt de feminis, quæ in odiosis non veniunt nomine *virorum*. Porro cum illegitimis dispensare possunt ex Bulla Gregorii XIV. *Circumspecta*, generales in capitulo generali, et provinciales in provinciali, etiam intermedio. 2. Descendentes intra quartum gradum à judæis, mahumetanis, vel hæreticis, quorum ossa, vel statuæ igni tradita sunt. Ita pro ordine nostro statuit Paulus IV. Bulla *Cum ex Apostolatus officio*. 3. Transuentes de mendicantibus ad non mendicantes; Clem. 1. *Ut professores, de Regular.* 4. Religiosi, qui chirurgiam exercuerunt, ex qua secuta est mors, prohibentur implicite eligi in abbatem, cap. *Tua, de Homicid.*

Petes 2. Quinam excludantur ex crimine?

Resp. 1. Falsificantes litteras Apostolicas, et apud nos falsificantes sigillum ordinis, aut conventus. 2. Infames, excommunicati, interdicti, suspensi et irregulares. 4. Homicidæ voluntarii. 5. Per abusum potestatis sæcularis, semel electi, et apud nos sæcularium favore officia et alia procurantes. 6. A sancto officio poenitentiati, et alii, de quibus fuse Tamburinus de Jure Abbatum tomo 1 disp. 5. quæstio 21.

Petes 3. Quinam excludantur ex infirmitate?

Resp. Omnes illi, quibus deest valetudo sufficiens ad obeundum decenter munus suum: et horum electionem esse nullam tenent

multi DD. à Tamburino supra citati; hincque infert ineligibiles esse leprosos, paralyticos, laborantes morbo caduco, sicut et laborantes lue venerea, furiosos et lunaticos, sordos, mutos, cæcos, gibbosos ita curvos, ut nonnisi difficillime valeant ad Cælum oculos attollere, et generaliter omnes illos, quos statura monstruosa, aut extraordinaria reddit contemptibiles et ridiculos. Item podagros continuos, aut quasi continuos: non tamen illos, quorum podagra tantum est intermedia. Plura de illa materia vide apud eundem ibidem.

Petes 4. Quinam sint excludendi ratione morum?

Resp. Adulatores, hypocrytæ, magis politici, quam religiosi, omnes adiustar Absalon exterius honestissime recipientes et suis tantum benefacientes; suorum imperfectiones excusantes et perfectiunculas ad Cælum usque extollentes, aliorum vero exaggerantes imperfectiunculas: perfectiones labefactantes; in bonis suorum memores, aliorum immemores, in malis è contra: magis solliciti placere sæcularibus, quam prodesse Religioni quærentes superiorum majorum gratias et favores litteris et laudibus adulatoris, muneribus, delicatioribus ferculis, &c. Et idem est, si ipsimet similibus capiantur; chorum ideo et refectioem communem fugientes.

Petes 5. An fratrum minorum, qui vitam communem in victu, vestitu, chori frequentatione, iter pedibus agendo aliisque similibus à regula præscriptis rigoribus non observant, idque infirmitate aut alterius impotentie causa... electio sit valida? hoc ipsum iisdem terminis quæsitit reverendissimus pater Bonaventura à Perrio olim ordinis nostri generalis, nunc Archiepiscopus Salernitanus, ab Innocencio XII. qui in Bulla sua, quæ incipit, *Alias à fel. record.* data anno 1595. 2. julii, cui subscripsit Papa modernus.

Resp. *Religiosos omnes qui vitam communem observantiæ vere et cum effectu sequi non solent, etiamsi ex infirmitate, seu alia quavis necessitate, et absque ipsorum culpa accidat, in prælatos seu superiores ejusdem ordinis eligi non posse; eorumque electionem, si quando fiat, tametsi alias canonica foret, à prælato, seu superiore generali dicti ordinis, servata quoad hoc earundem litterarum forma, irritandam esse, illos vero, qui in prædictis observantiæ communis exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modo ut supra ineligibiles esse; sed insuper poenis constitutionum ipsius ordinis subjacere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus, &c.* Ex quibus sequitur non solum electores, sed etiam commissarios, aut visitatores generales graviter delinquere, si tales confirmaverint.

Petes 6. Quis reputari debeat dignior inter eligendos?

Resp. Illum, in quo sequentia reperiuntur. 1. Major humilitas, & minor ad prælaturas ambitio. 2. Major erga fratres charitas, minor ad amicitias particulares propensio. 3. Major Deo & bono com-

muni adhæsiō, minor sibi, suisque commoditatibus addictio. 4. Pro conservanda religione, ejusque institutis in viridi observantia fovendis zelus ferventior, ab exercitiis communibus officii divini, meditationis, capituli, rectorii, &c. relaxatio minor. 5. Major in tractandis provinciæ aut conventus negotiis scientia, prudentia, & dexteritas, minor in frequentandis sæcularibus inclinatio & voluntas. 6. Major in fovendis & promovendis honestioribus subditis integritas, minor in substinendis imperfectorum adulationibus & vitiis corruptela. Hæc omnia si in uno, eodemque repereris prælaturæ digniorem credito: sin minus, illum, quem ad hæc magis appropinquare existimaveris, idque seclusa passione, affectu, patria, præventionē, interesse proprio, &c. ita ut non te, sed Deum, non bonum particulare, sed commune respicias.

Petes 7. Qualiter peccent eligentes scienter inidoneos?

Resp. Peccare 1. contra justitiam distributivam & commutativam: distributivam quidem, in quantum hæc inclinat ut officia, gradus & dignitates dentur benemeritis: commutativam vero, in quantum nocent bono communi quod tenentur ex officio promovere. 2. Peccant omnibus peccatis, quibus propter ignorantiam, imprudentiam, absurditates, &c. exponuntur electus, & electi inferiores. 3. Reddere volunt inutiles, quantum in se est, omnes orationes & missarum sacrificia, quæ ad Deum diriguntur pro obtinendo superiore idoneo.

Q U Æ S T I O X I V.

Seu aliæ quæstiunculæ ad eandem materiam spectantes.

Petes 1. Quid dicendum de iis, qui præsidendo aut assistendo electionibus superiorum localium, ita efficiunt suis artificiis, suaque auctoritate, ut eligantur omnes, aut quasi omnes, à quibus norunt se, aut suum amicum fore postea in provincialem eligendum?

Resp. Peccare 1. contra justitiam commutativam & distributivam, si superiores locales sic electi non sint digniores. 2. Contra libertatem electionibus essentialē. 3. Contra humilitatem, nedum religiosam, sed etiam christianam, ob apertam ambitionis argumentum. 4. Contra virtutem religionis, quamdam simoniæ palliatæ speciem committendo: si enim simoniacus est dicens: *Eligam te in priorem, eliges me in provincialem*, ut diximus in tractatu de Decal. disp. 1. de simonia, etiam simoniacus est, saltem mentalis, qui in electionibus idipsum principaliter intendit.

Petes 2. Quis dicendus subornator in electionibus?

Resp. Ordinis nostri statuta cap. 6. §. 12. *Declaramus illum dici subornatorem, qui alium trahit donis, promissis, timore, obsecrationibus falsis, ut suum suffragium alicui in electionibus ferat, aut non ferat. Subornator etiam censendus erit, quicum-*

quo fecerit colligationes & inductiones ad prædictum finem.

Dicitur 1. *Donis promissis*, sive interim detur, aut promittatur pecunia, sive officium, sive remissio poenæ, sive certa habitatio, sive ambulatio, sive aliud.

Dicitur 2. *Timore*, quod accidere potest, dum superior creditus magnæ auctoritatis aliquem determinatum postulat in prælatum, dicens *talis est eligendus, & non alius*; quia tunc possent subditi apprehendentes manus longas talis superioris, ex metu succumbere ejus voluntati, talem eligere, quem aut crediderant indignum, aut saltem longe minus dignum.

Dicitur 3. *Observationibus falsis*, quod fit vel extollendo excessive promovendum, vel deprimendo excessive excludendum. In quod vitium manifeste impingunt illi, qui non solum excludendis affingunt crimina chimerica, sed etiam detegunt vera occulta, si unde nullum immineat bono communi detrimentum. Immo ejusdem peccati rei sunt, qui nulla in particulari aperientes crimina, dicunt in genere, *ah: si talem, vel talem novisses, sicut novi, si ejus vitam, mores, imperfectiones, modum agendi, conversationem, &c. numquam eligeres.*

Dicitur denique *Aut fecerit colligationes, &c.* quas facere vincuntur illi, qui ut sibi, aut amico consulant, rationibus fucatis, argumentisque apparentibus vocales in suam partem trahunt.

Petes 3. Quid sentiendum de præsidente, aut assistente electionibus, qui, inter eligendum, electores, quos sibi, aut suo amico existimat contrarios, terret verbis, minatur signis, respicit torvis oculis, &c.

Resp. Esse vere subornatorem, omnesque poenas subornatoribus impositas incurrere: cum per hoc intendat electoribus suadere ut sibi, aut suo amico suffragentur.

Petes 4. An electionem invalidet subornatio?

Resp. affirm. Si ex illa sequatur, alias non secutura. Ratio est; quia libertatem electioni essentialē vel tollit, vel notabiliter lædit. Deberent tamen subornati, si magis Deum timerent, quam homines, neglecta subornatoris auctoritate & consilio ipsum eligere, non quem vanus timor, auctoritas, passio, interesse, patria, aut affectus pravus suggerit, sed quem Deus, ratio, conscientia, bonum commune dictat eligendum. Nihil igitur trepidandum, nihil præsertim christianismo regi LUDOVICO MAGNO subjectis, cum Monarcha ille integerrimus sæpe sæpius declaraverit se velle plenam, integram, expeditamque in superiorum electionibus libertatem. Forte times virgam hominis; magis time brachium Dei Omnipotentis, quem si non timeant nunc subornatores tui, timebunt forte in lecto mortis; sed utinam non serius!

Petes 5. Quænam sint poenæ subornatorum?

Resp. Ex Bulla Pii V. *Pastoralis officii*, incurrere excommunicationem Papæ reservatam, cujus absolutionem etiam ministro &

commisario generali postea commisit Greg. XIII. in sua Bulla *Consuevit*. Hæc tangunt fratres minores, quos eorundem statuta volunt (si de subornatione fuerint convicti) etiam ipso facto actibus legitimis esse privatos. Quantum ad regulares indiscriminatim, privantur per decretum Clemen. VIII. relatum in Bulla 28. Urbani VIII. *Sacra constitutio* officiis obtentis, reddunturque: ad futura obtinenda inhabiles.

Petes denique: an liceat subornatione subornationem impedire?

Resp. neg. quia numquam licet mala facere ut eveniant bona, adeoque nec peccatum peccato impedire. Ultra tamen, quod liceat ex zelo publicæ utilitatis subornationem & subornatores, ac per ipsos promovendum patefacere, ut sic malo communi occurratur, etiam licitum est conferendo, digniorem, ejusque egregias dotes aperire: cum hoc non sit subornare, defectu suasionis, sed bonum commune zelare, hocque patet ex statutis nostris generalibus cap. 6. §. 12. Solus igitur Deus sit omnium electionum & hujus operis.

F I N I S.

